B.E.

PRÆLECTIONES

THEOLOGICÆ

SEMINARII SANCTI-SULPITII.

~~Thos Jones &co~~
0545

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM

COMPENDIUM

AD USUM THEOLOGIÆ ALUMNORUM.

DE MATRIMONIO,

CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

OPERA ET STUDIO

JOS. CARRIERE,

Seminarii Sancti-Sulpitii Presbyteri, Vicarii Gene

Rev D Jo
Santa Barba

DUBLINII:
TYPUS EDITUM IN VIA VULGO DICTA,
23, ESSEX QUAY.

1847.

DUBLINII:
Ex Typis JOANNES F. FOWLER,
7, Crow Street.

#607

MONITUM AUCTORIS.

Quid in secunda et tertia editione *Compendii* nostri præstiterimus, paucis accipe, benevole Lector.

Ante omnia, brevitati simul et perspicuitati consulere studuimus. Quapropter Tractatum nostrum ad eos limites redigere conati sumus, ut solito studiorum theologicorum curriculo melius congrueret. Nonnulla igitur penitus resecta: quædam sicut in *Compendio* nostro *de Justitia*, minutiori charactere excusa, quæ præteriri possint quin abrumpatur materiarum series. Ordo etiam paululum immutatus, quo facilior esset et magis obvius, nec tot divisionum subdivisionumque ambage implicatus.

Cum plura strictim attingi debuerint, cumque præcipui diversarum opinionum auctores variaque testimonia aut monumenta non nisi breviter indicari plerumque potuerint, ad *Prælectiones Majores*,[1] ubi ea fusius explanata occurrent, identidem remittimus, hoc modo: (P. M. n°).

Quæstiones aliquas intricatas et difficiles novo subjecimus examini. In id speciatim incubuimus, ut accurate et absque partium studio ea proferremus quibus elucidari possent: cæterum has controversias dirimere non præsumpsimus; satis

[1] Prælectiones theologicæ Majores in seminario Sancti-Sulpitii habitæ. *De Matrimonio*, 2 vol. in 8o, 1837.

nobis fuit pro praxi vel remittere ad superiores ecclesiasticos, vel agendi normam tradere quam postulant reverentia et obsequium eorum documentis debita. Si quid in his omnibus nobis incautis exciderit minus rectum aut Ecclesiæ fidei minus consentaneum, pro non dicto haberi volumus.

DE MATRIMONIO.

1. Fidem Ecclesiæ circa matrimonium compendiose quidem, sed luculenter, exponit concilium Tridentinum, sessionis xxiv. initio, his verbis: "Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

"Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi, Christus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens, dixit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro:* statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

"Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit; quod Paulus apostolus innuit, dicens: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea;* mox subjungens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.*

"Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ legis sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, concilia, et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt."

2. Hæc est doctrina quam fusius evolvendum suscipiamus in præsenti tractatu, cujus tres erunt partes: prima, de natura matrimonii; secundo, de proprietatibus; tertia, de conditionibus.

PARS PRIMA.

DE NATURA MATRIMONII.

3. Matrimonium spectari potest, vel ut contractus, vel ut sacramentum. Unde agemus primo de natura matrimonii quatenus est contractus ; deinde de natura matrimonii quatenus est sacramentum ; demum expendemus utrum et quatenus sacramentum sejungi possit a contractu. Sicque pars ista triplici capite constabit.

CAPUT PRIMUM.

DE MATRIMONIO SUB RATIONE CONTRACTUS SPECTATO.

4. Nomine matrimonii intelligi potest vel ipse actus quo contrahitur, vel status qui ex eo actu inducitur. Priori sensu dicitur matrimonium *in fieri ;* posteriori, matrimonium *in facto esse*, seu simpliciter *in facto.* Si velimus definitionem quæ sub utroque respectu conveniat matrimonium definiri potest: *Conjunctio legitima viri et mulieris mutuum ipsis et perpetuum jus conferens tum in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, tum in vitæ communis officia.*

Dicitur 1° *Conjunctio ;* qua voce intelligitur non solum consensus quo vir et mulier sese mutuo tradunt et accipiunt, sed et vinculum permanens quod ex illo actu transeunte resultat. Itaque vox *conjunctio* sumitur hic utroque sensu, *activo* et *passivo ;* ideoque potius adhibetur quam vox *contractus*, cui uterque ille sensus non ita facile aptatur. 2° *Legitima*, id est inita juxta leges quibus matrimonium regi debet, et in quibus exponendis versabitur præcipua pars præsentis tractatus. 3° *Viri et mulieris*, ad indicandum subjectum matrimonii, quod diversitatem sexuum exigit. 4° *Mutuum jus ipsis conferens tum.....* ; quibus verbis designantur et finis matrimonii, et jura specialia, obligationesque illi essentialiter annexæ, ut sic distinguatur a quolibet alio soci-

etatis aut unionis genere. Finis igitur primarius matrimonii est prolis procreatio, ejus conservatio et educatio; finis secundarius, mutua opitulatio et sustentatio. Jura autem conjugum et reciprocæ obligationes ad utrumque illum finem referuntur: de his in alio tractatu speciatim agitur. 5° *Perpetuum*, quia unio conjugalis stabilis et ex se indissolubilis est: sicque excluditur vaga et fornicaria sexuum commixtio.

5. Ex ea definitione sequitur essentiam totam matrimonii *in facto esse* consistere in nexu quo colligantur conjuges, et in juribus cum eo vinculo connexis; essentiam vero matrimonii *in fieri* sitam esse in mutuo consensu quo inducitur hujusmodi vinculum. Unde exponendum habemus, utrum et qualis requiratur consensus ad perficiendum matrimonium; et quænam præcise pertineant ad ejus essentiam: quod duplici articulo præstabimus.

ART. 1. *Utrum et qualis requiratur consensus ad perficiendum matrimonium.*

6. Agemus de necessitate et dotibus consensus; deinde nonnulla seorsim addemus de matrimonio sub conditione, et de matrimonio per procuratorem, de quibus speciales moveri possunt difficultates.

§ 1. *De necessitate consensus in matrimonio.*

7. Deus, ut pote supremus omnium jurium dispensator, posset profecto sponsis, etiam non consentientibus, conferre jus mutuum in corpora: potuisset ita res ordinare, ut non nisi ex ejus determinatione et imperio homines hanc vel istam uxorem acciperent. Sed talis non est ordo ipsius providentiæ. In hoc negotio sicut in cæteris, hominem reliquit in manu consilii sui: quod apertum fit ex ipsa institutione matrimonii, qualis describitur *Genes.* ii. 18, et seq.; Adam enim uxorem, licet manu Dei oblatam, sponte accepit et suam fecit per liberam suæ voluntatis determinationem.

Eam autem potestatem, qua Deus uti noluit, fuisse Ecclesiæ aut principibus concessam nemo sapiens dixerit: et reipsa nulla ratione verisimili probari potest.

Contrarium docent omnes idque certissimum esse ait SANCHEZ. Nunquam Ecclesia aut principes tale jus sibi tribuerunt: nec bono societatis expediret ut vinculum mutui et perpetui amoris absque sponsorum consensu efformaretur.

Hinc, ex jure canonico, *Si solus* (consensus) *defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*, ut post Nicolaum I. ait INNOCENTIUS III., cap. *Tuas*, v., *de Sponsa duorum:* ex Codice autem civili, art. 146: "Il n'y a pas de mariage, lorsqu'il n'y a pas d consentement."

Merito igitur matrimonium inter contractus adnumeratur, quamvis in pluribus ab aliis contractibus differat, ut in fine præsentis capitis fusius evolvemus (n° 25).

§ 2. *De dotibus consensus matrimonialis.*

9. Contractui matrimonii applicantur principia generalia, de consensu ad contractus, generatim spectatos, requisito: quæ cum exponantur in Tr. *de Contractibus*, ea hic indicare sufficiet, iis tantum insistendo quæ matrimonio specialia sunt.

Itaque consensus in matrimonio debet esse.

I° *Internus;* id est, non sufficit voluntas proferendi serio verba quibus exprimitur intentio contrahendi, si ea proferens nolit interius contractum inire, sed decipere; seu, ut loquuntur theologi, non sufficit consensus fictus.

Prob. 1° ex omnibus momentis quibus id adstruitur pro aliis contractibus; 2° ex decisione INNOCENTII III., qui expresse declarat, cap. *Tua nos*, XXVI., *de Sponsal. et Matrim.*, irritum matrimonium cui defuerat consensus, *sine quo*, inquit, *cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* 3° Qui dicunt in aliis contractibus sufficere consensum fictum, docent id oriri ex dispositione legum quæ ei talem vim conferunt: jam vero ea ratio hic nequit applicari, ex dictis.

Non tamen putandum est eum qui non dedit nisi consensum fictum posse statim se habere ut omnino liberum, et eodem modo se gerere ac si nullatenus contraxisset. Sed quædam sunt observanda.

1°. Qui ficte consensit, in foro externo reputabitur conjux, ideoque non admittetur ad novum matrimonium, saltem ordinarie. Ita statuit Gregorius IX, in cap. *Is qui*, xxx. *de Sponsalibus et Matrimonio;* si enim admitteretur qui allegat se fictè consensisse, jam via aperiretur dissolvendis pluribus conjugiis; unde sequerentur incommoda longe majora, quam sequi possint ex eo quod validum reputetur quod est irritum; præsertim cum isti posteriori incommodo præsto adsit remedium facile, scilicet in supplendo consensu qui defuit. Aliunde omnino æquum est ut fides ei non adhibeatur qui vel instanti conjugii, vel nunc necessario mentitus est.

Dixi *Saltem ordinarie*, quia, juxta multos, si certo probari posset fictio, irritum declararetur matrimonium, quia veritati cognitæ cedere debet præsumptio; imo novum permitteretur matrimonium, nisi obstaret necessitas injuriam illatam reparandi, de quo mox: sed requiruntur probationes moraliter certæ.

2°. Qui ficte tantum consensit, graviter peccavit et gravem injuriam alteri parti intulit. Quam ut reparet ordinarie tenetur verum consensum præbere: alioquin grave damnum ordinarie patietur pars decepta, quæ nec admittetur ad novum matrimonium, nec in conscientia poterit ad illud recurrere, nisi fictio certo ipsi constet.

Diximus *Ordinarie*, quia fingi possunt casus in quibus non teneatur: 1. si impossibile foret, v. g. quia novum jam iniisset matrimonium; 2. si ex hoc matrimonio tot et tanta timerentur incommoda, ut jam remedium merito censeri posset malo pejus; 3. si pars læsa nollet matrimonium ratum habere, vel saltem consentiret ut non confirmaretur.

9. II° *Liber* esse debet consensus. Quæ conditio duo involvit: 1° ut sit plene deliberatus, seu qualis requiritur ad peccatum mortale; contractus enim tanti momenti oriri non debet ex consensu semipleno. 2° Ut sit voluntarius, non quidem necessario ea spontaneitate plena quæ requiritur in contractibus gratuitis, sed saltem secundum quid, ut loquuntur theologi.

Ea autem libertas tolli potest per amentiam, aut

errorem, aut metum, de quibus dicemus opportunius ubi *de Impedimentis*.

III° *Externus*. Ita exigit finis contractus, per quem transfertur jus seu dominium; quod fieri non potest nisi per actus externos: item voluntas contrahentium, qui non intendunt se obligare per voluntatem mere internam. Illa autem conditio requiritur etiam in acceptatione consensus.

Consensus regulariter exprimitur per verba; in mutis sufficiunt signa et nutus. Verba illa debent esse clara et aperta, id est, clare indicare matrimonium: in contractu enim tanti momenti, nulla relinqui debet ambiguitas.

IV° *Mutuus*. Siquidem agitur de juribus reciproce tradendis et acceptandis. Hæc autem conditio exigit ut consensus uterque veluti in unum coalescat, seu moraliter uniatur: quod ut fiat, necessarium est ut consensus unius alteri intimetur, seu ut alteri manifestetur ex voluntate et intentione ponentis, et ut ab illo acceptetur; sed non opus est ut ea acceptatio priori innotuerit: statim enim ac adfuit, non merum propositum acceptandi, sed vera acceptatio, quod regulariter locum non habet nisi media assumpserit offerenti manifestandi suam voluntatem, statim, inquam, perfectus est contractus, quia concurrit duorum consensus in idem placitum, ut explicatur in Tr. *de Contractibus*.

V° *De præsenti*. Non sufficiunt verba aut voluntas de futuro, quibus fiunt sponsalia. Attamen non est necessarium ut utriusque consensus detur eodem instanti; sed quando ex una parte datus est, perseverat donec revocetur, adeo ut, accedente consensu alterius, validum fiat matrimonium, licet inter utrumque longum intercesserit temporis spatium.

10. Corollarium. Ex principiis positis deduci potest quid sentiendum de matrimonio illius qui falso existimaret se esse quodam impedimento ligatum?— Videtur sic distinguendum esse: vel ita animum habebat idea impedimenti detentum, adeoque sibi persuaserat se actu nubere non posse, ut ne ad illud quidem volendum cogitaret, et solummodo concubinatum quæreret; et tunc irritum est matrimonium, quia evidens

est non adesse consensum necessarium : vel ex ignorantia aut ex inadvertentia, voluit revera et intendit matrimonium contrahere, ita ut censeri possit illud voluisse quantum in sua potestate erat ; et tunc valet matrimonium, quia voluntas contrahendi est voluntas prædominans.

§ 3. *De matrimonio sub conditione.*

11. Cum ex dictis matrimonio applicari possint pleraque ex iis quæ circa alios contractus statuuntur, hic sufficiat quædam observare de nonnullis difficultatibus matrimonio conditionato specialibus : 1° an adveniente conditione renovandus sit consensus ; 2° et 3° quid de conditione impossibili aut contraria substantiæ matrimonii ; 4° demum an permitti debeant matrimonia conditionata.

I. Non omnino constat an matrimonium initum sub conditione suspensiva, statim ea adveniente validum et perfectum sit, an vero necessario renovandus sit consensus, prout communius docebant veteres theologi.

Si attendamus ad solam naturam contractus, nulla videtur ratio cur iste a cæteris differat : ac proinde dicendum statim validum effici ; talis fuit voluntas contrahentium, qui supponuntur dixisse, *Duco te, si.....*, et non tantum, *Ducam te*, et nihil obstat quin sortiatur suum effectum. Igitur ante eventum conditionis, contractus medium tenet inter sponsalia et matrimonium purum : differt a sponsalibus, cum fiat per verba de præsenti, id est, quæ indicant voluntatem actualem contrahendi ; differt a matrimonio puro, cum non sit absolutus et omnio perfectus : unde nondum adest matrimonium *in facto esse*, sed *in fieri*, si ita loqui fas est. Hinc si consensus interim revocetur, non perficietor matrimonium, et, si novum absolute ineatur, validum erit. Ratio est quod indissolubilitas non competat nisi matrimonio perfecto et absoluto, quale non est matrimonium conditionatum ante eventum conditionis.

Hinc concludi posse videretur præsentiam parochi, quæ ex decreto concilii Tridentini (de quo postea, n° 189) requiritur ad validitatem matrimonii, concurrere debere cum adimpletione conditionis, cum eo momento

perficiatur matrimonium. Attamen docent communiter canonistæ, et communius theologi recentiores, satis esse ut consensus datus fuerit præsente parocho, ad normam Concilii : et testatur FAGNANUS ita servari in curia Romana, et in eo sensu pluries responsum fuisse, approbante S. Pontifice. Et revera consensu semel sic præstito Ecclesiæ constat de matrimonio, nec novum permittetur nisi probetur adimpletam non fuisse conditionem, vel consensum fuisse revocatum modo sufficienti.

Dixi *Si attendamus ad solam naturam contractus*, quia si quæstio expendatur sub respectu sacramenti, major adest difficultas ; de ea nonnulla dicemus in cap. seq. (n° 52). Hic monere sufficiat tutius esse in praxi renovare consensum sub conditione datum.

12. II. Conditio impossibilis irritum redderet matrimonium, sicut alios contractus, si reipsa vellent contrahentes huic conditium consensum alligare. Sed in foro externo ecclesiastico non præsumuntur id voluisse, conditioque pro non adjecta habetur. Ita statuit GREGORIUS IX., cap. *Si conditiones*, vii., de *Condition apposit.*, nempe, ut ipse ait, *propter matrimonii favorem*. Et huic dispositioni standum est etiam in foro interno, nisi contest de voluntate contraria contrahentium : unde si de hac voluntate constet, matrimonium irritum est in utroque foro ; si dubitetur, valet in utroque pariter foro.

Quod de conditione impossibili dicimus dicendum videtur de conditione turpi seu illicita : de utraque loquitur pariter Gregorius IX.

III. Si conditio sit contraria substantiæ matrimonii, qualis esset conditio resolutoria, et generatim quæcumque conditio contraria iis quæ a matrimonio separari non possunt, vel pro objecto habens aliquid quod cum matrimonio conciliari non potest, irritum reddit matrimonium, quotiescumque volunt contrahentes consensum pendere ab illa conditione. In foro autem ecclesiastico præsumuntur id voluisse, quando conditio in pactum expresse deducta fuit. Ita statuit GREGORIUS IX., *cap. cit.* : "Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri : *Contraho tecum, si generationem prolis evites*, vel *donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem*, aut *si pro quæstu adulterandam te tradas*, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu."

13. IV. Matrimonia conditionata non sunt ordinarie permittenda. Illud enim esset contra praxim Ecclesiæ : locus daretur multis dubiis et difficultatibus ; et timendum esset ne sic nupti se haberent ut veros conjuges, etiam ante impletam conditionem. Adhiberi tamen potest conditio, quando agitur de revalidando matrimonio dubio : sed non est verbis exprimenda, quia illa expressio non est ex se necessaria, et sine

necessitate recedendum non est a forma in Ritualibus præscripta.

14. Corollarium. Ex dictis in præsenti paragrapho deduci potest, 1° quid sentiendum de matrimonio *Græcorum* aut *Protestantium*, qui existimant dissolvi posse per adulterium, vel alia de causa? Distinguendum est cum Benedicto XIV., *de Synod.*, l. xiii. c. xxii. n° 7. Vel facultas dissolvendi matrimonium in tali vel tali casu, deducta est in pactum, vel non. 1. Si deducta sit in pactum, irritum est matrimonium: talis enim facultas contraria est substantiæ matrimonii, quod, saltem ex jure divino est indissolubile, ut videbimus. Nec præcise necessarium est, ut, eodem instanti physico quo datur consensus, statim apponatur illud pactum: nam sive apponatur antea, sive post, dummodo sit animo præsens quando datur consensus, adeo ut unicus actus ex utroque efformetur, et non ponatur unum nisi dependenter ab altero, pariter irritum erit matrimonium, quia adest eadem ratio. 2. Si non adfuerit pactum, sed tantummodo per errorem crediderint contrahentes matrimonium esse dissolubile, valet matrimonium. Ratio est quod credendum sit eos generali voluntate contrahere voluisse matrimonium juxta Christi legem, ideoque indissolubile privatus enim error non potest præjudicium afferre voluntati generali, sed ab illa quodammodo absorbetur. Doctrinam hanc seu distinctionem constanter seculas fuisse congregationes Romanas, testis est idem Benedictus XIV., n° 8.

15. Deduci potest 2° quid sentiendum de matrimonio celebrato *sub conditione servandæ continentiæ?* Supponitur non adesse merum propositum, sed veram conditionem, id est, inter sponsos initum esse pactum de servanda continentia, obligatorium ex virtute justitiæ, adeo ut neuter possit rigorose ab altero exigere usum matrimonii.—Duplex adest theologorum opinio. Sed probabilius videtur irritum esse matrimonium. Nam essentiale est matrimonio ut contrahentes sibi mutuo transferant jus in corpora, ut dicemus art. seq. (n° 23): atqui hic non transferunt; jus enim in una parte supponit obligationem in altera: atqui hic altera pars non vult se obligare, cum jus sibi reservet denegandi: ergo jus non transfertur. Ita sentire videtur Benedictus XIV., *ibid.* n° 10.

§ 4. *De matrimonio per procuratorem.*

16. Agnoscunt omnes matrimonium *in ratione contractus* valide iniri posse procuratorem. 1° Etenim, si spectemus ad *jus naturale*, ea est natura contractuum ut eo modo iniri possint: ergo idem dicendum de matrimonio; nihil enim ostendit Christum sub eo respectu mutavisse naturam hujusmodi contractis. 2° Si spectemus ad *jus ecclesiasticum*, nedum Ecclesia aliquid per leges suas immutaverit, contra statuit in jure canonico conditiones ad validitatem matrimonii per procuratorem celebrandi necessario servandas; et non raro hujusmodi matrimonia approbat, præsertim inter principes. Equidem præscribit concilium Tridentinum, *sess.* xxiv., cap. 1, *de Reform. matrim.*, ut *Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, dicat, etc.* Verum communis opinio est, teste Benedicto XIV., *de Synod.*, l. xiii., c. xxiii., n° 9, nihil inde concludi debere contra matrimonia per procuratorem, sed dicendum concilium permisisse ut *Qui per alium facit, per seipsum facere videatur*, et ut *Possit quis per alium quod potest facere per seipsum*, prout dicitur in jure. 3° Si demum spectemus ad *jus civile*, de antiquo jure nulla controversia. Sed etiam jus novum, juxta doctiores jurisperitos, nihil statuit quod pro matrimoniis deroget principiis modo allatis:

non enim imponitur partibus obligatio se sistendi per seipsas coram officiario civili, quemadmodum imponebatur pro postulando divortio, art. 294.

Variæ tamen requiruntur *conditiones*.

Prima est, ut mandatum sit speciale. Ita fert *cap. Procurator*, ix., *de Procurat.* in 6° Hæc autem conditio ex jure duo includit: 1° ut adsit mandatum de matrimonio contrahendo; non sufficit mandatum generale de omnibus negotiis: 2° ut respiciat personam determinatam. Ita expresse in jure Romano, l. 34, *ff.* xxiii. 2, *de Ritu nuptiarum*.

Secunda conditio est, ut procurator non excedat fides mandati: patet per se. Hinc 1° alium non debet delegare, quia ad id non accepit potestatem. Hinc 2° si mandatum acceperit ut contraheret tali conditione, non potest alia contrahere.

Tertia conditio est, ut mandatum non fuerit revocatum: alioquin deest consensus contrahentis, ac proinde non potest adesse matrimonium. Illud verum est, licet revocatio non innotuerit mandatorio; vel sit mere interna: item licet mandans jurasset se non revocaturum.

Quarta conditio, juxta quosdam, est, ut detur mandatum coram parocho et testibus. Sed videtur illud non requiri: 1° quia concilium Tridentinum non præscribit nisi ut matrimonium celebretur coram parocho; porro mandatum non est celebratio matrimonii: 2° non ita fert praxis communis. Requiritur tamen ut mandatum detur eo modo ut probari possit, et ut parocho et testibus de illo constet: alioquin essent incommoda matrimonii clandestini.

Dixi *In ratione contractus*, quia si matrimonium spectetur sub *ratione sacramenti*, possunt graviores moveri difficultates: de quibus nonnulla dicemus in cap. seq. (n° 52).

17. Quæ dicimus de matrimonio per procuratorem applicari possunt juxta theologos *matrimonio per litteras*, quia idem præstat epistola ac procurator; et satisfieri potest Concilio Tridentino, modo litteræ parocho et testibus exhibeantur. Quamvis autem ille modus parum decere videatur, ideoque numquam forte fuerit adhibitus, inservire tamen potest aliquando ubi agitur *de Revalidatione matrimonii irriti*, ut postea videbimus (n° 276).

Art. 2. *Quænam præcise pertineant ad essentiam matrimonii.*

18. Hic confutandi occurrunt duplicis generis adversarii; quorum alii ultima definitionis a nobis allatæ verba impugnant, quasi in iis aliquid desit; alii, quasi aliquid redundet: scilicet ex una parte Julianus, Pelagii discipulus, qui *nihil aliud esse nuptias quam corporum commixtionem* dicebat, teste S. Augustino, l. v., contra illum, c. xvi. n. 62; ex altera vero parte, quidam theologi, inter quos eminet Pontius, l. vii. c. lvi. et seq., qui matrimonii essentiam reponunt in individua vitæ et officiorum societate; adeo ut, juxta ipsum, jus ad usum sit quidem essentiale, quando matrimonium initur in ordine ad generationem, sed matrimonium iniri possit in ordine tantum ad vitæ communis

officia ; unde concludit matrimonium inter impotentes jure naturali validum esse posse.

Contra illos igitur duplicem statuemus propositionem.

PROPOSITIO I. — *Actus ipse conjugalis non est de essentia matrimonii.*

Prob. I. *Ex matrimonio B. Mariæ.* Dogma certissimum est B. Mariam nunquam virum cognovisse, ut ostenditur in Tr. *de Incarnatione :* atqui tamen vero matrimonio juncta fuit S. Josepho, ut constat: 1° ex Scriptura Joseph dicitur *vir* Mariæ, *Matth.*, i. 16, 19 ; Maria dicitur *conjux* Josephi, *ib.* 20, 24; Joseph vocatur a Maria *pater* Christi, *Luc.*, ii. 35, 48, quod alia ratione concipi nequit; Christus ipse vocatur *filius* Joseph a Judæis, *Matth.*, xiii. 55; *Luc.*, iii. 23; *Joan.*, vi. 42, qui ignorare non debuerunt an initum fuisset matrimonium, quod profecto comitabantur quædam solemnitates. 2° Ex traditione. Ita agnoverunt multi ex SS. Patribus, præsertim SS. Ambrosius et Augustinus, locis mox citandis : ita omnes theologi, qui illud ut certum habent, adeo ut SUAREZ cum quibusdam aliis pronuntiet esse de fide ; alii agnoscunt saltem illud sine temeritate negari non posse. Id testatur BENEDICTUS XIV., *de Festis*, part. ii. n. 3 ; et *de Synod.*, l. xiii. c. xxii. n. 13. 3° Ex ratione. Valde congruebat matrimonium adesse : ne Christus abjiceretur ab infidelibus tanquam illegitimus, et infamia aspergeretur B. Virgini ; ut in Josepho custodem et nutritium haberet puer, et socium atque adjutorem mater ; quia testimonio S. Joseph facilius comprobatur virginitas Mariæ, et miraculum ortus Christi.

II. *Ex traditione.* In re satis aperta sufficiat indicare S. AMBROSIUM, *de Instit. Virgin.* c. vi. et S. AUGUSTINUM, l. v. *contra Julianum*, c. xvi., ubi expresse asserunt matrimonium fieri sola pactione conjugali, sola voluntate, et afferunt in exemplum ac probationem matrimonium B. Mariæ.

III. *Ex ratione.* Usus rei de qua contrahitur non constituit contractum, sed illum consequitur, ut patet ex variis contractibus ; porro nulla est ratio cur aliud diceretur de contractu matrimonii. Hinc, ut adver-

tunt plures theologi, omnium animis insita est hæc opinio, ideo virum et mulierem sine crimine uniri, quia conjuges sunt, nedum ideo sint conjuges, quia uniuntur.

Solvuntur objectiones.

19. *Obj.* 1. *Contra probationem desumptam ex matrimonio B. Mariæ.* Non fuit verum matrimonium: nam 1° *Matth.*, i. 18, B. Maria dicitur tantum *desponsata;* quæ vox indicat mera sponsalia. 2° S. Joseph voluit occulte dimittere Mariam, *Matth.*, i. 19; porro eam, si vere fuisset illius uxor, non potuisset occulte dimittere, sed debuisset ei dare libellum repudii, juxta legem *Deuteron.*, xxiv. 1. 3° Demum docuerunt multi Patres B. Mariam non fuisse proprie S. Josephi uxorem.

R. ad I. Vox illa *desponsata* sæpe in Scripturis designat veram uxorem. *Deuter.*, xxii. 23; *Osee*, iv. 13. Vid MAUDUIT, *Analys. de l'Evang.*, *Diss.* ii. t. i. Hic autem sensus determinatur ex circumstantiis jam indicatis: unde *Luc.*, ii. 5, legitur *cum desponsata uxore.*

Ad II. 1° Lex illa Deuteronomii, juxta multos, non respiciebat adulteras, quibus non dabatur libellus repudii, sed quæ lapidandæ erant: imo locum non habebat in omne repudio, sed in eo tantum quo dabatur facultas uxori virum alterum ducendi; illud indicat contextus. 2° Licet lex fuisset generalis, erat mere judicialis, ideoque, juxta multos, non obligabat cum gravi incommodo: proinde hic non observandam esse judicare potuit S. Joseph, tum quia Mariam diffamasset, et lapidationi exposuisset, eam ut adulteram traducendo; qualem nec ipse credidit, ob eximiam de ejus virtute opinionem, potius prodigium suspicatus; tum quia probationes ipsi deerant. Unde ne vel innocentem accuseret, vel adulteræ videretnr assentari, voluit occulte ab ea recedere.

Ad III. Nihil aliud intendunt SS. Patres, nisi quod inter B. Mariam et S. Josephum non adfuerit matrimonii consummatio: quod est de fide. Ita intelligendos esse constat: 1° ex eo quod alibi expresse dicant adfuisse verum matrimonium; 2° ex scopo quem intendebant, scilicet ut ostenderent perpetuam Mariæ virginitatem; cui attingendo sufficiebat ut excluderent matrimonii consummationem.

20. *Obj.* 2. *Contra ipsam propositionem.* Adamus, utique a Deo eductus, matrimonii naturam expressit his verbis *Gen*, ii. 24. *Erunt duo in carne una;* quæ nonnisi per matrimonii usum verificantur.

R. Hæc verba indicant effectum matrimonii ordinarium, non vero ipsius essentiam: vel intelligi possunt quoad jus et potestatem utendi corporibus: quæ explicatio valde congruit textui Græco, qui habet: *Erunt duo ad carnem unam.* Addi potest Adamum ea protulisse ante usum matrimonii, seu ante lapsum, ut aiunt vulgo theologi post S. Augustinum, qui exinde contra deducunt verum consistere posse matrimonium ante ipsius consummationem.

21. *Obj.* 3. Matrimonium, præsertim Christianorum, unionem Christi cum Ecclesia significare debet, ex S. Paulo, *Ephes.*, v 32, et tota traditione: atque non nisi per commixtionem carnis significari potest unio Christi cum Ecclesia, quæ in eo consistit quod Verbum per incarnationem una caro effectum sit cum sponsa sua Ecclesia.

R. Duplex distinguitur conjunctio Christi cum Ecclesia: altera moralis, per charitatem et continuum gratiæ influxum; altera physica et naturalis, per incarnationem. Fatemur istam non repræsentari nisi per matrimonium consummatum: sed nihil ostendit essentiale esse ut repræsentetur, nec sufficere significationem prioris, quæ in quolibet matrimonio

reperitur. Certe Apostolus in loco allata præcipue attendit ad unionem moralem, ut patet ex contextu.

22. *Obj.* 4. Illud essentiale est matrimonio, sine quo obtineri non possunt fines illius primarii: atqui sine usu non possunt obtineri fines primarii matrimonii, nempe procreatio prolis et remedium concupiscentiæ. Ergo, etc.

R. 1° Argumentum illud totum in æquivocatione positum est, et est merum sophisma; aliud est quod conjuges non utantur matrimonio, aliud quod non possint uti; sic et aliud est quod non obtineantur fines matrimonii, aliud quod non possint obtineri. Sine usu non obtinentur illi fines; sed, posita facultate utendi matrimonio, intelligitur possibilitas illius fines obtinendi. Igitur ad scholasticorum normam. Resp. *Dist. Maj.* Illud est essentiale, sine quo fines matrimonii obtineri nequeunt, etiam *in actu primo*, C.; *in actu secundo*, N.

R. 2°. *Neg. Min.* Finis matrimonii non est præcise procreatio prolis per singulos conjuges: alioquin non staret matrimonium inter steriles, quod nemo admittit: sed est propagatio generis humani. Porro sufficienter obtinebitur, posita facultate utendi matrimonio; quia constat ex naturali inclinatione sat multos usuros esse. Pariter finis ex levamine concupiscentiæ desumptus non est nisi secundarius, nec illis necessarius qui aliis modis concupiscentiæ nedentur; nihil proinde concludi potest quoad matrimonii essentiam.

23. PROPOSITIO II.—*Jus saltem radicale ad actum conjugalem est de Matrimonii essentia.*

Prob. 1. *Scriptura sacra.* Sic legitur apud S. Paulum 1. *Cor.* vii. 4: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier:* atqui hæc sensu obvio intellecta indicant conjugem ita jus habere in corpus alterius, ut non solum alios ab hujus usu prohibere, sed et ipse uti possit.

II. *Ratione.* Vel essentiale est matrimonio jus ad usum vel solum jus ad individuum vitæ societatem et cætera officia: atqui posterius non sufficit. 1° Ex sensu communi hominum. Supponatur enim virum cum femina de mutuis duntaxat charitatis et amicitiæ officiis sibi invicem per solvendis mutuo convenire; verus et legitimus poterit esse eorum contractus, sed nemo illos habebit pro veris conjugibus. 2° Ex absurdis quæ sequerentur. 1. Ergo non solum frater et soror, sed duo ejusdem sexus homines possent matrimonio invicem conjungi: quidquid enim dicat Ponlus, ideo requiritur diversitas sexus, quia alioquin dari nequit jus in corpora. 2. Ergo sic nupti non possent ad invi-

cem accedere quia essent fornicarii, possent autem ad alios quin essent adulteri: siquidem malitia fornicationis in eo est quod accedatur ad corpus in quod jus non competit; adulterii autem, quod accedatur ad corpus alterius dominio subjectum; cur enim conjux potest impedire accessum alterius, nisi quia ipse jus habet? Ergo, etc.

24. Diximus *Jus saltem radicale*, quia agnoscunt theologi non requiri ad essentiam matrimonii ut habeatur jus, ut aiunt, *expeditum* et morale, id est, quo contrahentes uti possint absque peccato: potest enim jus ligari, v. g. ex virtute religionis, quin cesset existere: sicque explicatur quomodo validum agnoscatur matrimonium initum a sponsis quorum unus aut uterque votum castitatis emisit. Votum castitatis, sive ante matrimonium, sive durante matrimonio emissum, non est ex se et independenter a lege positiva, incompatibile cum jure mutuo conjugum radicali, sed tantum reddit matrimonii usum illicitum et sacrilegum, quia votum obligat ex virtute religionis, non ex justitia: adeo ut qui, non obstante voto, matrimonium iniissent, non forent fornicarii matrimonio utentes, nec filii eorum essent illegitimi: et licite uterentur, obtenta dispensatione, absque novo matrimonio; tandemque adulteri fierent, si commercium haberent cum extraneis. Tunc tantum castitatis servandæ propositum obstare potest validitati matrimonii, quando est inter conjuges deductum in pactum, prout articulo præcedenti (n° 15) diximus.

Hinc facile concipitur quomodo B. V. Maria potuerit valide nubere cum S. Josepho, licet votum perpetuæ virginitatis ab ipsa infantia emisisset. Imo potuit licite: merito enim supponitur eam certam fuisse sive ex revelatione, sive quocumque alio modo, sanctissimum conjugem suum nunquam jure suo usurum esse in matrimonii consummationem, sed potius fore suæ virginitatis custodem. Nullatenus proinde opus est ad explicandum B. Virginis matrimonium ut recurramus ad opinionem quam eo fine excogitavit Pontius.

25. Scholium.—Postquam in toto hoc capite exposuimus ea quæ spectant ad matrimonium sub ratione

contractus, operæ pretium erit paucis exponere qualis sit ille contractus, seu quinam sint præcipui illius respectus, et quo jure regatur.

I. Satis apertum est ex dictis matrimonium esse *contractum naturalem:* non solum quia vinculum quod inducit naturaliter sequitur ex mutuo partium consensu, et quia conformis est institutioni naturæ, sed quia necessarius plane est ad generis humani propagationem et societatis conservationem. Plurimum tamen differt ab aliis contractibus, non tantum excellentia et necessitate, sed etiam propter Dei specialem interventum jam ab initio, ut refertur *Genes.* i. 27, 28, et ii. 18. et seq., et ipsius Christi in promulgatione Evangelii, ut constat ex *S. Matth.* xix., prout indicat concilium Tridentinum cujus testimonium attulimus (n° 1). Unde dicendum matrimonium partim ad naturæ, partim ad positivam Dei institutionem pertinere, et consequenter lege naturali et divina esse regulandum, tum quoad ea quæ spectant ad ejus licitatem, tum quoad ea quæ spectant ad validitatem.

In magno igitur errore versaretur qui existimaret posse conjuges matrimonio quascumque voluerint clausulas apponere, quemadmodum in plerisque aliis contractibus licet; vel qui matrimonium reponeret inter actus mere civiles, quorum vis pendet tantum a lege civili, quales sunt, juxta multos jurisperitos, testamenta, successio, præscriptio, etc.

Non tamen negari potest matrimonium haud parum conferre ad bonum nationum, seu societatum civilium, saltem quatenus vinculo legali conjungit earum membra; proindeque dici posse sub hoc respectu *contractum civilem.* Quousque autem extendatur potestas principum in matrimonium, quæstio est gravissimi momenti, et difficilis, an nempe possint, non tantum curare de observatione obligationum quos pactum inter conjuges initum induxit, sed etiam ferre leges prohibentes et præsertim irritantes: de ea dicemus in tertia parte.

Sed non minus certum est matrimonium conferre plurimum ad bonum societatis religiosæ. Unde nemo, ut putamus, negavit Ecclesiam in vigilare posse ut religiose servetur pactum inter conjuges initum; item-

que ferre leges prohibentes. Potestatem quidem ferendi impedimenta dirimentia quæ attingant ipsum contractum naturalem negavere non pauci novatores: verum eos in eadem tertia parte invictis argumentis refellemus. Hinc merito matrimonium a multis, præsertim recentioribus, dicitur *contractus religiosus*, seu *ecclesiasticus*.

Triplici ergo nomine donatur matrimonii contractus; dicitur nempe contractus naturalis seu divinus, civilis, et religiosus seu ecclesiasticus. Sed non ideo putandum tres adesse contractus a se invicem distinctos: unicus est ratione objecti, ille scilicet quo traditur jus mutuum in corpora, quem initio capitis (n° 4) definivimus, quique varia illa nomina sortitur, prout sub diversis respectibus consideratur. De quo tamen nonnulla sunt advertenda. 1° Existere nequit matrimonium, quin sit contractus naturalis; potest vero existere, quin sit contractus civilis, et ecclesiasticus: si nempe iniretur inter personas non baptizatas, et extra societatem civilem degentes. 2° Aliquando nomine contractus civilis aut ecclesiastici designatur mera illius apprentia, seu species externa, quando scilicet non existit vinculum conjugale in foro conscientiæ et coram Deo, et tamen adest vinculum legale in foro civili, vel ecclesiastico; v. g. si lex civilis validum reputet et favoribus matrimonii validi donet matrimonium in rei veritate irritum; vel si judex ecclesiasticus, ex falsa informatione, validum pronuntiet matrimonium reipsa irritum: vel vice versa, quando matrimonium, licet in rei veritate validum, non producit vinculum legale in alterutro foro ideoque dicitur non adesse contractum ecclesiasticum aut civilem. Jam vero, si id non attendatur, facile inducetur haud parva confusio. 3° Cavendum pariter ne matrimonium ut contractus, de quo hic loquimur, confundatur cum conventionibus matrimonialibus quæ solum spectant ad dispositionem bonorum inter conjuges, vel in favorem liberorum. (Quæ quidem conventiones, ex nostro Codice civili, duobus modis fieri possunt: vel expresse coram notario; vel tacite coram officiario civili, quatenus sponsi, dum directe suas personas obligant, censentur obligare bona sua juxta regimen communitatis legalis, quæ efformat

jus commune Galliæ, ex art. 1393 et 1400 Codicis civilis.) Illæ conventiones in eodem Codice vocantur *Contrat de mariage*, et in consueto loquendi modo non raro dicuntur *Contractus civilis matrimonii*. Sed nemo non videt quantum iste contractus ex objecto suo differat ab eo de quo in præsenti capite actum est.

26. II. Facile intelligitur ex dictis et agnoscunt omnes, matrimonium regi jure naturali, id est, attendendum esse quid jus naturale circa matrimonium præcipiat, quid prohibeat. Dicunt tamen communiter theologi illud attingi tantum jure naturali secundario, non vero jure primario. Quod ut intelligatur, advertendum est legem naturalem duplicis generis præcepta complecti ; primaria, et secundaria, ut juxta doctrinam communem theologorum observat BENEDICTUS XIV., *de Synod.* l. xiii., c. xxi. n° 9. Scilicet per jus naturale intelligitur ordo legitimus relationum inter Deum et homines, vel inter ipsos ad invicem homines : quæ illi ordini congrua et necessaria sunt, dicuntur præcepta ; quæ vero ipsi adversantur, dicuntur prohibita jure naturali. Porro inter illas relationes, quædam fundantur in ipsa rerum essentia, quamlibet voluntatem Dei liberam antecedunt, et sunt prorsus immutabiles ; talis est relatio obsequii, amoris, etc., Deo a creatura debiti ; aliæ vero non consequuntur nisi ordinem a Deo institutum, ita ut, posito quod Deus tale vel tale quid egerit et constituerit, ipsa natura duce locum habeant, non habituræ locum si Deus alio modo egisset : præcepta quæ oriuntur ex relationibus prioris generis dicuntur primaria, seu juris naturalis primarii, vel, ut alii loquuntur, absoluti ; illa vero quæ ex relationibus secundi generis, dicuntur secundaria, seu juris naturalis secundarii, vel conditionati. Porro ex istis notionibus patet ea quæ spectant ad matrimonium non pertinere nisi ad jus secundarium : matrimonium enim non ex ipsa rerum essentia repetendum est, sed ex voluntate Dei, qui certe potuisset aliud medium instituere ad propagationem generis humani.

Non minus certum est matrimonium regi jure divino. Ratio imprimis habenda est institutionis primævæ ; non aliunde enim melius colligi potest quænam natura,

quænam proprietates matrimonii, quænam conditiones, etc.

Tandem libenter agnoscunt omnes matrimonium aliquatenus subjici legibus humanis sed quousque extendenda sit hæc subjectio, apud omnes non constat, ut mox diximus : id in decursu investigabitur.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO SUB RATIONE SACRAMENTI SPECTATO.

Inquirendum est 1° an matrimonium sit novæ legis sacramentum ; 2° quisnam sit illius minister ; 3° quænam materia et forma.

ART. 1. *An matrimonium sit novæ legis sacramentum.*

27. Non loquimur hic de veteri lege, quia nulla est ratio recensendi matrimonium inter sacramenta mosaica, nec reipsa vulgo a theologis recensetur, quando de iis sacramentis agunt in Tr. *de sacram. in genere :* quamvis dici possit, imo et debeat, fuisse sacramentum latiori sensu, quatenus eo nomine designatur quidquid ex sua institutione habet ut sit signum alicujus rei sacræ ; matrimonium enim Adæ cum Eva fuisse signum futuræ Christum inter et Ecclesiam conjunctionis, constans est Ecclesiæ doctrina, deducta præsertim ex S. Paulo, *Ephes.* v. 32, ubi relatis verbis Adami, *Hoc nunc os*, etc., subdit : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia.*

Sub nova autem lege, matrimonio sacramenti dignitatem eripuere, non tantum veteres hæretici qui ejus honestatem negaverunt et de quibus infra, sed et qui ejusdem sanctitatem et divinam originem agnoscebant, Lutherus et Calvinus : quorum errorem profligavit concilium Tridentinum (cujus testimonium jam retulimus n° 1), non solum declarans matrimonium esse sacramentum, sed et quibus argumentis id probari possit, indigitans. Sit itaque.

PROPOSITIO.—*Matrimonium Christianorum, ritu legitimo celebratum, est verum novæ legis sacramentum.*

Prob. 1° *Ex Scriptura.* S. PAULUS, *Ephes.*, v. 23, et seq., sic loquitur: "Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ; ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret... Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit... Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia." Ex his verbis non demonstrativum quidem, sed probabile argumentum deduci potest. S. Paulus enim magnificis adeo verbis extollit dignitatem matrimonii in christianis, officia adeo gravia et perfecta imponit conjugibus, ut inde merito conjicere liceat esse sacramentum cujus virtute et efficacia valeant exprimere dilectionem mutuam et unionem mysticam Christi. Hinc præclare BOSSUET, *Exposit. de la doctr. de l'Egl. cathol.* n° ix., *circa finem:* "Quand on considerera que Jesus-Christ a donne une nouvelle forme au mariage, en reduisant cette sainte societe a deux personnes immuablement et indissolublement unies, et quand on verra que cette inseparable union est le signe de son union eternelle avec l'Eglise, on n'aura pas de peine a comprendre que le mariage des fideles est accompagne du Saint-Esprit et de la grace; et on louera la bonte divine de ce qu'il lui a plu de consacrer de cette sorte la source de notre naissance." Præiverat concilium Tridentinum *loc. cit.* ubi, dum utitur hac voce tantum *innuit*, satis ostendit educi non posse argumentum omnino ineluctabile: ex S. Paulo constat profecto conjuges indigere maxima gratia; sed non concluditur rigorose eam ipsis conferri vi matrimonii.

2° *Ex SS. Patribus.* Eodem fere modo locuti sunt de matrimonio ac de cæteris sacramentis. Illud ubique exhibent ut rem sacram omnique reverentia dignam;

asserunt gratiam ei ex Dei et Christe institutione esse annexam. Sic TERTULLIANUS, l. ii. *ad uxorem :* " Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater cœlestis rato habet !" S. CYRILLUS Alexandrinus, l. 11, *in Joannem*, cap. 1 : " Ipse Christus invitatus (ad nuptias) venit ut generationis humanæ principium sanctificaret quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim ut qui naturam hominis renovaturus erat...non solum iis qui jam in ortum vocati erant benedictionem impertiretur, sed et iis quoque qui postea nascituri essent gratiam præstrueret, et eorum ortum sanctum efficeret." Qui plura voluerit, adeat GIBERT, *Tradition ou Histoire de l'Eglise sur le sacrement de Mariage*, t. i., p. 7 et seq., ubi varia quæ occurrunt singulis sæculis monumenta recenset et ponderat.

Cæterum si cui videatur aliqua superesse difficultas, eo quod unusquique textus sigillatim expensus pluribus cavillationibus possit esse obnoxius, hæc tollitur per fidem et usum Ecclesiæ : nam hic agitur de veritate de qua edocendi sunt fideles in instructionibus privatis ; ergo mirum non esset hanc clarius et expressius traditam fuisse in privatis instructionibus quam in libris Doctorum ; et sic quod deesse posset traditioni scriptæ, satis suppleri per traditionem oralem.

3° *Ex constanti et perpetua Ecclesiæ fide.* Si quæstio versaretur inter catholicos tantum, indicare sufficeret definitiones conciliorum : jam attulimus verba concilii Tridentini, quibus addi potest ejusdem sess. can. 1 : *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam inventum, neque gratiam conferre : anathema sit.* Sed ut scopum nostrum attingamus, ulterius progrediendum est, et probandum hanc fuisse perpetuam et constantem Ecclesiæ fidem : illud autem facile ostendi potest *argumento*, ut vocant, *præscriptionis.*

Ea doctrina pro certa est habenda quam Ecclesia constanter et perpetuo credidit ; a solo enim Christo ortum ducere potuit, ac proinde a nemine christiano rejici potest : atqui, matrimonium esse verum et pro-

prie dictum novæ legis sacramentum, constanter et perpetuo credidit Ecclesia. Nam tempore quo prodierunt, imo pluribus sæculis antequam prodirent Lutherus et Calvinus, illud tenebat Ecclesia : atqui exinde sequitur eam semper tenuisse. Ergo, etc.

Prob. maj. postremi argumenti, quæ in facto posita est : 1° quoad Ecclesiam Latinam, tum ex reclamationibus exortis contra eos novatores, quæ satis notæ sunt ; tum ex definitionibus jam allatis concilii Tridentini ; tum ex concilio Florentino, Constantiensi, et pluribus SS. Pontificum decretis, quibus matrimonium inter septem Ecclesiæ sacramenta recensetur. 2° Quoad Ecclesiam Græcam, tum ex ejus euchologiis et libris ritualibus, tum ex testimonio scriptorum, tum præsertim ex duobus actis authenticis : quorum primum est responsum Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitani ad Confessionem Augustanam ; secundum est censura a pluribus synodis inflicta contra Cyrillum Lucar. Ab iis referendis supersedemus, quia spectant ad septem sacramenta, ideoque potius pertinent ad Tract. *de Sacram. in genere.*

Prob. min. in qua reposita est vis argumenti. Si dicant Protestantes Ecclesiam a tempore Apostolorum hanc doctrinam non tenuisse, sed factam fuisse mutationem, ipsorum est illud ostendere ; alioquin ipso facto possessionis satis stat causa nostra : assignent ergo mutationis illius tempus, auctorem, circumstantias : atqui nihil tale præstant. Sed ulterius progredimur, et quamvis non necessarium, facile tamen est demonstrare prorsus impossibilem fuisse mutationem, multiplici de causa. 1° Ratione modi. Vel facta fuisset subito, vel paulatim et sensim sine sensu : prius autem prorsus repugnat ; posterius vero nequit admitti : agitur enim de re practica, quasi populari, magni momenti ; et mutatio introducenda fuisset apud homines locis, studiis, moribus, opinionibus dissitos : unde et rei natura, et personarum indoles mutationem impossibilem reddere debuit. 2° Ratione temporis. Quonam tempore facta fuisset ! Num a tempore Lutheri ad sæculum nonum ! Sed Ecclesia Græca jam divisa erat a Latina, ac proinde non magis Græca a Latina, quam Latina a Græca novam doctrinam recepisset. Num a

sæculo nono ad quintum! Sed jam tunc erant plures sectæ in Oriente ab Ecclesia divisæ, quæ idem ac nos agnoscunt; de quibus eadem redit observatio. Num a quinto sæculo ad tempora Christi! Sed tunc memoria documentorum evangelicorum erat nimium recens, et doctrina sana permanserat, ex ipsis Protestantibus. Ergo, etc.

28. Diximus in propositione: 1° *Matrimonium ritu legitimo celebratum*, ut abstrahamus a variis controversiis infra expendendis: disputatur enim an omne matrimonium Christianorum sit sacramentum, et in quonam præcise consistat natura sacramenti; hic intendimus tantum aliquando adesse sacramentum, quando nempe omnia adhibentur quæ Christus præcepit, quæcumque reipsa sint. 2° *Verum Sacramentum*, ut innuamus admitti jam non posse opiniones veterum quorumdam theologorum, qui, agnoscentes matrimonium esse sacramentum, non tamen ei tribuebant omnes sacramentorum effectus: intendimus esse sacramentum, quod ab aliis non differat, nisi in iis quæ ei peculiariter conveniunt eo quod sit contractus.

Solvuntur objectiones.

29. *Obj.* 1. Veteres Scholastici de matrimonio locuti sunt modo prorsus ambiguo, et qui parum consonat cum notione sacramenti novæ legis: multi enim legant huic annexam esse gratiam; et qui illud inter novæ legis sacramenta recensent, suam sententiam duntaxat ut probabiliorem proponunt, et agnoscunt quæstionem posse in diversas partes agitari absque dispendio fidei. Ergo dici nequit constantem et perpetuam fuisse Ecclesiæ fidem.

R. 1°. Controversiæ inter veteres theologos non præcise spectabant ad existentiam sacramenti matrimonii, cum omnes summo consensu septenarii numeri sacramentorum fidem profiterentur: sed illorum disputationes erant de quæstionibus subtilibus; nempe 1. de natura sacramenti, an esset ejusdem speciei, seu univocum cum aliis, ut tunc loquebantur: cum admitterent consensum esse totum sacramentum, non ibi reperiebant, ut in aliis, materiam ab Ecclesia applicatam; 2. de modo et natura gratiæ in matrimonio collatæ: tunc non adeo clare ac postea expositi fuerant effectus sacramentorum; nondum Ecclesia tam aperte definerat conferri gratiam ex *opere operato;* et præsertim quando determinandum erat qualis gratia conferretur, pro matrimonio aderant difficultates speciales.

R 2° Non existimandum his disputationibus, quæ scholarum limites non excedebant, obnubilatam fuisse aut infirmatam fidelium fidem; iis nihilominus tradebatur matrimonium esse sacramentum, et gratiam huic esse annexam, quamvis modus non explicaretur, nec gradus certitudinis; ita evenit in quibusdam articulis practicis; pastores in docendo abstrahunt a controversiis et opinionibus scholæ, sicque fit ut illud fidelibus sit quo

dammodo vulgare et familiare, quod apud Doctores in disceptationem venit. Porro illud sufficit ut subsistat argumentum præscriptionis, et constet fieri non potuisse ea de re innovationem.

30. *Obj.* 2. Assignari nequit, 1° quandonam Christus sacramentum matrimonii instituerit; 2° in quonam præcise consistat sacramentum; utrum scilicet in actu transeunte, utrum in statu permanente, id est, utrum in sacramenti dignitas conveniat matrimonio *in fieri*, utrum in *facto esse*; 3° quisnam sit minister, quænam materia et forma, etc.; ergo non debet inter sacramenta annumerari.

R. 1° inane prorsus esse illud argumentum, quo omnia convelli possent dogmata: quot enim sunt a Deo revelata, et ab ipsis Protestantibus admissa, et in quorum explanatione multa occurrunt; quæ vel penitus nos latent, vel saltem sunt ita nobis impervia, ut nihil certi de iis possimus statuere! Sic sacramentum Baptismi admittunt Protestantes, et tamen non constat quandonam fuerit instituum. In his valet axioma: *Non sunt neganda clara propter obscura.*

R. 2° hæc omnia assignari posse, quamvis non omnino certe et determinate.

Quoad I^um^, nihil vetat quin agnoscatur, non quidem cum multis theologis institutio, sed aliqua præparatio hujus sacramenti sive in nuptiis Cana, sive quando Christus per hæc verba, *Quod Deus conjunxit homo non separet*, matrimonium revocans ad primævam institutionem, præsumi potest præparasse gratiam qua hujus onera facilius perferrentur; simulque dicatur fuisse proprie institutum post resurrectionem Christi, quando apparens discipulis loquebatur de regno Dei.

Quoad II^um^, quamvis BELLARMINUS, c. vi., asserat matrimonium simile esse Eucharistiæ, quæ non solum dum fit, sed etiam dum permanet, sacramentum est, alii longe communius docent sacramentum consistere in ipsa celebratione contractus, et solam Eucharistiam esse sacramentum permanens, quia ex usu suo et applicatione sanctificat, quod non occurrit in aliis sacramentis. Et huic posteriori sententiæ adhærendum putamus, si quæstio habeatur de sacramento stricte sumpto: sed nil obstat quin dicatur cum priori opinione matrimonium *in facto esse*, sacramentum latiori sensu, quatenus scilicet repræsentat unionem Christi cum Ecclesia.

Quoad III^um^, quid probabilius videatur indicabimus in articulis sequentibus.

31. COROLLARIUM.—Ex dictis colligi potest, 1. *Quales sint effectus sacramenti matrimonii?*—Producit certe gratiam: et quidem 1° *gratiam sanctificantem.* Scilicet, utpote sacramentum vivorum, *per se* et *directe* non confert primam gratiam justificantem: utrum autem illam conferre possit *per accidens*, nempe in iis qui sacramentum reciperent, falso et bona tamen fide existimantes se esse in statu gratiæ, et ea tantum contritione instructi quæ cum sacramento pœnitentiæ justificat, expendunt theologi in Tr. *de Sacram. in gen.*; quæstio enim illa spectat ad omnia sacramenta vivorum. Confert igitur matrimonium secundam gratiam, seu gratiæ sanctificantis augmentum.

2° Confert *gratiam sacramentalem.* Per hanc in-

telligitur jus fundatum in gratia sanctificante ad accipienda, opportuno tempore, ea auxilia quibus obtineantur fines propter quos institutum est sacramentum. Cum ergo sacramentum matrimonii institutum sit, 1° ut conjuges christiane se gerant in liberorum procreatione et educatione ; 2° ut sese mutuo diligant et adjuvent in necessitatibus et infirmitatibus ; 3° ut juxta castitatis et temperantiæ leges concupiscentiam coerceant, gratiam ad finis illos assequendos recipiunt, quando ad matrimonium accedunt cum debitis dispositionibus.

32. Colligitur II. *Quænam dispositiones requirantur ad sacramentum matrimonii ?*—Eædem requiruntur quas omnia sacramenta vivorum postulant inter quas præcipuæ sunt scientia debita, et status gratiæ.

Quoad primum, refert Benedictus XIV., *de Synod.* l. xiv., c. xiv., n° 1, 2, non defuisse theologos qui negarent episcopum aut parochum posse quemquam a matrimonio repellere, eo quod ignoret rudimenta doctrinæ christianæ : ratio eorum erat, quia ea causa non reperitur inter impedimenta prohibentia. Verum ipse aperte pronuntiat non ita sentiendum. 1° Contrarium habetur in Rituali Romano, in Concilio Mediolanensi sub S. Carolo, in multis episcopalibus synodis, in plerisque Ritualibus : idem sanxerunt plures SS. Pontifices, inter quos ipse Benedictus XIV. 2° Cum ii de quibus agitur rei sint gravis peccati, certum est non esse dignos sacramento ; porro parochus debet curare ut sacramentum nonnisi a dignis suscipiatur ; quia est vel illius minister, vel saltem ab Ecclesia deputatus ad assistendum matrimonio.

Monet tamen idem Benedictus XIV., n° 6, rationem habendam esse eorum qui sunt hebetis ingenii, vel perturbati animo, nec ab iis ultra eorum vires exigendum Pariter hodie aliquando non nimis urgenda interrogatio, ob metum majoris mali.

33. Quoad secundum, scilicet statum gratiæ, moveri potest quæstio, an adsit obligatio recipiendi sacramentum pœnitentiæ, et utrum parochus exigere possit et debeat libellum confessionis ?

1° Si attendatur ad jus divinum, disputatur inter theologos, an in sacramentis diversis ab Eucharistia,

necessario ab iis qui volunt ea suscipere et conscii sunt cujusdam peccati mortalis recurrendum sit ad confessionem, an vero ipsis sufficiat contritio: sub illo respectu, quæstio spectat ad Tr. *Sacrament. in genere.*

2° Si attendamus ad leges generales Ecclesiæ, nulla affertur quæ stricte præcipiat confessionem: Concilium Tridentinum, sess. 24 *de Reform. matrim. cap.* 1, *hortatur* tantum conjuges ut confiteantur; imo ejus hortatio non tam ad celebrationem matrimonii quam ad susceptionem Eucharistiæ referri videtur: pariter Rituale Romanum utitur tantum hoc verbo, *Admoneantur.*

3° Si attendamus ad peculiares variarum diœcesium, præsertim Ecclesiæ Gallicanæ, leges, paulo aliter judicandum erit. In plerisque diœcesibus præscribitur confessio, nec debent parochi ad benedictionem procedere, donec exhibeatur libellus confessionis. Ita præscribere potuerunt episcopi, eo quod confessio sit valde utilis, tum ut ad sacramentum, quod alioquin contritionem perfectam requireret, se disponant conjuges, tum ut agnoscantur impedimenta, si qua adsint.

Notandum tamen occurrere posse, præsertim miserrimis temporibus nostris, casus in quibus ab hac regula generali recedere liceat, v. g. quando una pars tantum est bene disposita, et tamen adsunt graves rationes matrimonium ineundi; vel quando agitur de redintegrando matrimonio. Sed generatim ita se gerere non debet parochus sine episcopi auctoritate, quia ipsi non licet recedere a disciplina in diœcesi recepta.

Art. 2. *Quisnam sit minister sacramenti matrimonii.*

34. Communissima et fere unanimis fuit theologorum sententia ante Melchiorem Canum, qui scripsit an. 1562, sacramentum matrimonii non alium habere ministrum quam ipsos contrahentes: eamdem tenuere multi theologi etiam recentioribus temporibus, apud extraneos, adeo ut vere communior extra Galliam remanserit; nec dici potest apud nos antiquata, cum plures etiam non ita pridem eam propugnaverint.

Melchior Canus in celeberrimo opere *de Locis*

theologicis, l. viii., c. v., post Guillelmum Parisiensem et nonnullos alios veteres quos cita, strenue propugnavit solum sacerdotem esse ministrum. Quamvis ab initio multi theologi contra eum insurrexerint, imo et satis acriter ejus redarguerint opinionem, eam tamen postea plures et celeberrimi secuti sunt, præsertim in Galliis (v. P. M. 64). Utriusque opinionis præcipua argumenta et responsiones referremus.

I° *Expenduntur argumenta eorum qui propugnant sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii.*

35. I. *Ex Scriptura.* Nihil quidem expresse asserit de præsenti quæstione : principia tamen continet ex quibus deduci potest argumentum theologicum. Scilicet S. Paulus, I. *Cor.* i., sacerdotes exhibet ut *dispensatores mysteriorum Dei*, id est, sacramentorum. Hæc est regula generalis, cui nulla afferri debet exceptio, nisi deducatur ex Scriptura vel traditione. Porro nullibi indicat Scriptura excipiendum esse matrimonium ; et traditio quæ sæpius nos edocet laicum in casu necessitatis Baptismum ministrare posse, silet prorsus de matrimonio.

Reponunt alterius sententiæ patroni, exceptionem satis indicari per traditionem cujus testes legitimi sunt theologi ; imo innui per Scripturam, quæ ipsum contractum, cujus utique ministri sunt contrahentes, exhibet ut signum rei sacræ.

36. II. *Ex traditione priorum sæculorum.* Sacerdos est minister, si benedictio quam confert sit ritus sacramentalis ; atqui...Nam ritus apostolicus, semper in Ecclesia observatus, cui annexam esse gratiam docent SS. Doctores, habendus est tamquam ritus vere sacramentalis, seu ad sacramenti substantiam pretinens, nisi ex fide constanti Ecclesiæ vel factis notoriis agnoscatur ut mera cæremonia ; hæc est regula qua discernuntur ritus sacramentales a ritibus mere accessoriis : atqui his dotibus gaudet benedictio nuptialis. 1° Est ritus apostolicus : eam videmus a primis sæculis fuisse in usu, et, juxta S. Augustini regulam, quod semper observatum, nec a Conciliis aut Patribus institutum reperitur, ad Apostolos referendum est. 2° Fuit ubi-

que et semper observatus. Illud fuse adstruit GIBERT, in *Historia sacramenti matrimonii*, tom. 1, collectis undequaque variorum sæculorum monumentis. 3° Huic annexam esse gratiam docuerunt SS. Patres et Concilia: dicunt enim *benedictione jugum imponi*, conjugium *obsignari*, *sanctificari oportere;* pro *ipsius benedictionis* reverentia virginitatem servandam prima nocte; *instar sacrilegii* esse, si ulla transgressione violetur; *sine illa* conjugium esse tantum *humanum officium:* ita S. Basilius, Tertullianus, S. Siricius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ambrosius, Concil. Carthag. IV. 4° Nihil est in fide Ecclesiæ quod indicet meram cæremoniam. Ergo, etc.

Et vero caveant adversarii ne sua opinione grave detrimentum inferant causæ catholicæ: probandum enim est contra Protestantes matrimonium esse sacramentum, et simul vindicanda assertio concilii Tridentini affirmantis ita docuisse Patres et Concilia: porro, si quæcumque loquuntur monumenta de benedictione nuptiali referantur ad meram cæremoniam ecclesiasticam, jam difficile erit utrumque præstare.

Respondent alii, non esse insuetum ut sacramenta denominationem accipiant suam a ritu mere accidentali, præsertim quando ritus ille sensus maxime afficit; et ut accessorio tribuatur quod convenit principali. Sic Patres effectus sacramenti pœnitentiæ tribuunt impositioni manuum, et gratiam nuptialem impositioni velaminis, etc. Unde vim suam non amittunt textus allati ad adstruendam existentiam sacramenti. Insuper non desunt testimonia in quibus nulla fit mentio de benedictione, v. g. S. Cyrilli, S. Augustini, etc.

37. III. *Ex monumentis ecclesiasticis recentiorum temporum.* Hic proferri possunt varia Concilia et Ritualia. Concilium Coloniense, an. 1536, satis indicat benedictionem esse sacramentum, dicens, tit. *de Administ. sacram.* c. iv., in matrimonio, *accedente sacerdotali precatione*, *conferri donum Spiritus sancti.* Sed apertius idem docetur in *Enchiridio* jussu illius Concilii edito, tit. *de Sacram. matrim.* art. penult. (P. M. 70). In aliis Conciliis dicitur sacerdotem esse *ministrum* sacramenti matrimonii, ad illum pertinere hujus *administrationem:* ita in Concilio Cameracensi,

an. 1567, et pluribus aliis ; in Actis Ecclesiæ Mediolanensis sub S. Carolo ; idem asserunt plures episcopi in suis synodis. Sacerdotale Romanum editum circa an. 1494, ait *Sacerdos pronuntiet verba quæ sunt forma sacramenti, cum consensu utriusque.* Rituale Romanum recenset matrimonium inter sacramenta quorum *administratio* ad parochos pertinet. Sacerdos vocatur *minister* ejusdem sacramenti in pluribus aliis Ritualibus seu Manualibus. Ergo, etc.

Respondent alii, vel illas auctoritates non esse tanti ponderis ut prævalere debeant momentis quæ ipsi afferrunt, vel explicari posse in sua sententia ; sic v. g. sacerdotem vocari ministrum, quia est minister solemnitatis, quatenus nempe ex præcepto Ecclesiæ necessaria est ejus præsentia ut valeat matrimonii contractus. Et revera, inquiunt, verisimile non est monumenta Concilio Tridentino an quiora aliam exprimere doctrinam quam quæ in scholis vigebat ; multo minus monumentorum posteriorum scriptores voluisse controversiam dirimere quam intactam reliquit Concilium.

38. IV. *Ex incohærentia sententiæ oppositæ cum natura sacramenti.* Sacramentum constare debet ritu sacro ; habere materiam et formam distinctam ; requirit ministrum a subjecto distinctum, et qui habeat debitam intentionem ; neque sinit reverentia sacramento debita ut conferatur insciis et dormientibus, hæreticis et peccatoribus publicis. Atqui in sententia eorum qui tenent contrahentes esse ministros, 1° nedum adsit ritus sacer, nihil est nisi mere profanum et quod in ipsis infidelium conjugiis reperiatur. Quis contra non videat ritum sacrum præcipue in iis quæ agit sacerdos? 2° Nulla adest distinctio inter materiam et formam, cum utraque reponatur in contractu, hinc maxime laborant et inter se dissentiunt illi theologi in iis assignandis. 3° Nullus adest minister a subjecto distinctus : imo dicendum erit unumquemque conjugem sibimet ipsi conferre sacramentum, saltem partialiter. 4° Sæpe deest intentio : nam ii qui nubunt etiam coram Ecclesia, cogitant quidem de recipiendo sacramento, nullatenus vero de eo conficiendo. 5° Sacramentum confertur insciis et dormientibus, etiam approbante Ecclesia, quando nempe conceduntur dis-

pensationes *in radice*, vel quando matrimonium initur per procuratorem ; item confertur hæreticis, quando permittit Ecclesia matrimonium catholici cum hæretica. Ergo, etc.

Reponunt alii, diversitates illas inter matrimonium et cætera sacramenta satis explicari ex eo quod matrimonium, licet elevatum ad dignitatem sacramenti, suam nihilominus contractus naturam retineat ; unde fit ut, juxta omnes, in pluribus ab aliis sacramentis differat. Cæterum ipse contractus matrimonii est aliquid in se sacrum et religiosum ex primæva institutione, prout jam indicavimus (n^is 25, 27).

II° *Expenduntur argumenta eorum qui propugnant ipsos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii.*

39. I. *Ex Concilio Florentino*, seu ex decreto Eugenii IV. ad Armenos, in quo sic legitur : " Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum... Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus." Unde sic. Ille est minister sacramenti matrimonii, qui ponit causam illius efficientem : causa enim efficiens sacramenti materiam simul et formam complecitur : porro contrahentes ponunt consensum, qui ex decreto Eugenii IV. ad Armenos, in Concilio Florentino, est causa efficiens matrimonii, et quidem in ratione sacramenti ; nam 1° capitis initio expresse declarat se velle tradere doctrinam de sacramentis : et revera edoceri non indigebant Armeni de contractu, nec quemquam latere potarat eum consensu pertici. 2° Alioquin dicendum erit S. Pontificem nihil dixisse de ministro, materia et forma, ac proinde omnino incompletam doctrinam tradidisse, et Armenis erroris occasionem præbuisse ; dum contra, semel edoctis causam efficientem esse consensum, satis constabat materiam, formam, et ministrum adesse cum aderat consensus, nec opus erat hæc omnia rigorose distinguere. Ergo, etc.

R. 1° Eugenius IV. non loquitur de materia, forma et ministro, quemadmodum ubi agit de cæteris sacramentis, quia voluit abstrahere a scholæ controversiis.

2° In omni sententia consensus est causa efficiens sacramenti, saltem partialis, seu positis ponendis. Cæterum nemo nescit quantæ sint difficultates de materia et forma quas assignat Eugenius IV. pro quibusdam aliis sacramentis, v. g. pro Ordine, etc.

40. II. *Ex Concilio Tridentino.* Hæc leguntur cap. i. *De Reform. Matrimonii:* "Dubitandum non est clandestino matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit." Unde sic. Illa matrimonia, sin semper, saltem sæpius carebant benedictione nuptiali: atqui tamen ex eo decreto erant vera sacramenta. Nam Concilium eam vocem *rata* profecto adhibuit quo sensu intelligebant tunc theologi et canonistæ, et quo sensu sumitur in sacris canonibus: atqui theologi per matrimonia rata idem intelligebant ac sacramenta; item in sacris canonibus, ut desumitur ex Innocentio III., cap. *Quanto* vii., *de Divortiis*, qui ait: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum.*

R. 1° Constat Concilium noluisse præsentem controversiam definire. 2° Vox illa *ratum* designat matrimonium verum et firmum, et dicitur per oppositionem ad matrimonium irritum aut solubile, quale est matrimonium in infidelitate contractum, ut suo loco (n° 83) dicetur: unde voces illæ *ratum* et *sacramentum* pro synonymis ab iis tantum habentur qui putant omnia matrimonia fidelium esse necessario sacramenta; sed non probatur Concilium hanc opinionem admisisse: contra expresse testatur Pallavicinus, l. xxiii., c. ix., n° 13, *nunquam declarasse Concilium matrimonia clandestina fuisse sacramenta.*

41. III. *Ex auctoritate theologorum.* Certum est usque ad Melchiorem Canum, imo diu postea, theologos constanter tenuisse contrahentes esse ministros; illudque tanquam adeo certum habuerunt, ut Cani sententiam improbabilem et singularem, falsam, temerariam, aliqua nota dignam, in fide periculosam non pauci dixerint: atqui non licet a tali sententia theolo-

gorum recedere. Nam sunt testes, et quidem maxima fide digni, 1° traditionis præcedentes ; cur enim eis in mentem venit sacerdotem excludi ab administratione hujus sacramenti, nisi quia ita ferebat traditio oralis ? Agitur enim de quæstione magni momenti, circa quam supponi nequit eos recessisse a doctrina majorum. 2° Testes sunt fidei Ecclesiæ suis temporibus, quæ per illos præcipue innotescit ; nec enim aliam tradunt doctrinam pastores quam in scholis acceptum. Ergo, etc.

R. Veteres illi theologi suam sententiam proponebant, non ut dogma fidei, sed velut opinionem, quam fulciebant præsertin argumentis philosophicis : potuerunt ergo deseri a recentioribus, qui doctrinam traditionis magis accurate expenderunt. Idem accidit in variis opinionibus, quæ, olim communes, hodie rejiciunter. Insuper ipsa illa ætate eamdem doctrinam ac M. Canus professi sunt Patres Concilii Coloniensis, Cameracensis, etc. : unde concludi potest eam esse altius repetendam.

42. IV. *Ex novitate et varietate formulæ in benedictione nuptiali adhibitæ.* Formæ hodie adhibitæ, *Ego vos conjungo*, nullum vestigium apparet ante xiv. aut xiii. sæculum : et etiamnum Concilium Tridentinum, jubendo ut sacerdos his verbis utatur, addit : *Vel aliis, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum*, quamvis non ignoraret multis in locis adhiberi formulas substantialiter diversas, et quæ supponunt matrimonii sacramentum jam perfectum : atqui hæc satis indicant hanc benedictionem non haberi tanquam formam sacramenti : ergo, etc.

R. Varietas illa consistit in verbis tantum, non in ipso sensu : nec minor reperitur in formis Confirmationis, Ordinis, etc. Cæterum difficultas illa elucidabitur ex iis quæ circa formam matrimonii dicemus art. seq. (n° 47).

43. V. *Ex praxi Ecclesiae.* 1° Plura antiqua Ritualia, inter quæ Romanum, permittunt ut domi matrimonium celebretur absque benedictione, dummodo postea hæc detur in Ecclesia, sed absque renovatione consensus : " Matrimonium in Ecclesia celebrari decet ; sed si domi celebratum fuerit, præsente parocho et

testibus, sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat sacerdos ne iterum a contrahentibus consensum exigat." Imo concilium Tridentinum hortatur tantum, non vero præcipit rigorose ut hæc benedictio suscipiatur: "S. Synodus hortatur ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem, intemplo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent." 2° Omnia Ritualia vetant ne benedictio nuptialis detur in secundis nuptiis; pleraque, ne detur in tempore clauso. 3° Per disciplinam Ecclesiæ cautum est ne in matrimoniis mixtis sacerdos ullum ritum sacrum, ullas preces adhibeat. 4° Quando matrimonium valde initum fuit absque benedictione aut etiam præsentia sacerdotis, quod pluribus modis evenire potest, Ecclesia, test BENEDICTO XIV., *de Synod.* l. viii. c. xiii. n° 8, non curat ut suppleatur benedictio omissa. 5° Quinimo, quando revalidandum est matrimonium irritum ex causa occulta, non exigit ut adhibeatur sacerdotis ministerium. Porro hæc omnia satis indicant benedictionem nuptialem ab Ecclesia non haberi ut jure divino præceptam, nec proinde ut sacramentalem.

R. 1° Generatim, ea quæ afferunter vel non respiciunt nisi benedictionem accidentalem, diversam ab ea in qua reponitur forma sacramenti; vel, sirespicant formam sacramentalem, ostendunt solummodo ea quæ spectant ad receptionem sacramenti, ita esse prudentiæ Ecclesiæ commissa, ut ipsius sit decernere pro variis circumstantiis quandonam necessarium sit, quandonam deceat, quandonam expediat recipere vel non recipere sacramentum, quemadmodum facile ostendi posset ex ipso exemplo sacramentorum Confirmationis, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis.

R. 2° speciatim ad I. Ritualia et Concilium Tridentinum manifeste supponunt matrimonio domi celebrato adesse parochum, et pronuntiare verba, *Ego vos conjungo*, quæ saltem hodie sunt forma sacramenti: unde benedicto, quam permittunt ab ea celebratione separari, non est nisi benedictio accidentalis.

Ad II. Non denegatur secundis nuptis, et tempore vetito, benedictio essentialis, sed tantum benedictio solemnis quæ datur intra missam, et est accidentalis.

Unde BENEDICTUS XIV., *ibid.* n. 7, vocat ejusmodi argumentum *inane et fallax.*

Ad III. Ecclesia vult ostendere quantum sit ab hujusmodi matrimoniis aliena. Aliunde dici potest hanc esse meram applicationem regulæ quæ vetat ne sacramenta conferantur peccatoribus publicis.

Ad IV. Hortatur Ecclesia ad recipiendam benedictionem, sed non obligat: sive quia dubium est an matrimonium jam antea initum possit fieri materia sacramenti, cum videatur materiam sacramenti esse contractum in fieri, non vero contractum in facto esse, aut meram ipsius renovationem: sive quia daretur locus dubitandi de validitate matrimonii, et alia sequerentur incommoda.

Ad V. Ecclesia non exigit novam matrimonii celebrationem, quia id esset nimis moles tum conjugibus, et multos forsam removeret a revalidando matrimonio.

44. Hæc sunt præcipua utriusque opinionis argumenta: de quibus ut omnino accuratum judicium ferri possit, antea opportunum est investigare ea quæ spectant ad materiam et formam: sunt enim cum præsenti quæstione connexa, iisque expensis, melius innotescet quænam sint utriusque opinionis commoda et incommoda.

ART. 3.— *Quænam sit materia et forma sacramenti matrimonii.*

45. Quæstio sigillatim expendenda venit quoad materiam et quoad formam.

1° QUOAD MATERIAM. Theologi catholici, quacumque ex parte stent circa quæstionem de ministro, inter se consentiunt ut materiam reponant in contractu, cum eo tamen discrimine, quod illi qui tenent contrahentes esse ministros in contractu reponant etiam formam, ut mox explicabitur; dum illi qui tenent sacerdotem esse ministrum, pro forma habent benedictionem sacerdotis: ideoque utroque dicunt matrimonium evectum esse ad dignitatem sacramenti; quia nempe, saltem accedente benedictione sacerdotis, fit sacramentum; quemadmodum fit sacramentum penitentiæ, quando tribus actibus pœnitentis accedit absolutio.

Aliter sentiunt quidam neoterici qui Ecclesiæ potestatem circa impedimenta dirimentia impugnaverunt. Existimantes ideo tantum docuisse theologos Ecclesiæ subjici contractum naturalem, quia illum habent ut materiam sacramentum sicque aliquatenus confundunt matrimonium et matrimonii sacramentum, contenderunt materiam et formam esse reponendam in ritu omnino distincto a contractu, nempe in ritu a Christo instituto cum virtute producendi gratiam. Hinc asserunt improprie dici matrimonium evertum esse ad dignitatem sacramenti, sed dicendum Christum instituisse sacramentum quod gratiam conferret matrimonio. Hinc, juxta illos, contractus neque est totum sacramentum, ut volunt qui tenent contrahentes esse ministros, neque illius pars, ut volunt alii; sed est solum illud circa quod versatur sacramentum, quod ideo summa cura a matrimonio distinguendum est. Ita primus, anno 1753, fuse edocuit Le Ridant, advocatus Parisiensis, quem secuti sunt Maultrot, Agier, Tababaud et alii novatores.

Contra illos sit.

Propositio.—*Materia sacramenti matrimonii reponenda est in contractu matrimonii, seu in partium consensu legitimo.*

Prob. Pro certo tenendum est, juxta doctrinam Ecclesiæ, matrimonium ipsum esse sacramentum: atqui matrimonium dici non potest sacramentum, nisi sit saltem ejus materia: ergo, etc.

Prob. Maj. 1° S. Paulus in textu quem post Concilium Tridentinum attulimus, manifeste loquitur de ipsomet contractu, non vero de ritu ab eo prorsus distincto: ergo vel nihil omnino probat, vel ostendit ipsum matrimonium esse sacramentum. 2° Hæc est doctrina omnium theologorum, quæ intra limites scholæ non stetit, sed totius Ecclesiæ suffragiis est comprobata, ut satis clare agnoscere cogitur ipse Tababaud. Revera Concilium Tridentinum exponens doctrinam de sacramento matrimonii, loquitur primum de matrimoniis veteris legis, ac proinde de ipso contractu matrimonii, et addit: *Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter no-*

vae, legis sacramenta annumerandum, etc. ; quæ certe indicant ipsummet matrimonium inter sacramenta annumerandum. Pariter in primo canone anathemate percellit eos qui dicerent *matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis :* quæ verba sunt satis per se aperta. 3° Demum ex principiis theologicis. Juxta doctrinam Ecclesiæ, ut ratiocinatur C. Gerdil, illud idem est sacramentum proprie dictum, quod Deus instituit ut signum unionis Christi cum Ecclesia, quod ante Christum erat sacramentum improprie dictum, quodque Christus reduxit ad primævam institutionem : atqui hæc competunt matrimonio ipsi, non vero ritui quem fingunt adversarii. Dicendum ergo sacramentum matrimonii eatenus fuisse a Christo institutum, quatenus id quod antea erat contractus accepit ab eo rationem sacramenti ; quia nempe Christus contractui contulit vim producendi gratiam.

Prob. Min. quæ cum ab adversariis non negetur, potius explicatione quam probatione indiget. Verissimo sensu dicitur matrimonium esse sacramentum, si contractus sit altem sacramenti materia, quia sacramenta sæpe nomen accipiunt ab elemento materiali, vel ab eo quod illius instar se habet, quodque, accedente forma, gratiam producit ; sic ablutio, unctio extrema, etc. ; a fortiori verissimus est et valde proprius ille loquendi modus, si contractus sit simul materia et forma ; tunc enim erit totum sacramentum. Sed in sententia eorum quos impugnamus, illud nullatenus dici posset ; siquidem, juxta ipsos, sacramentum esset aliquid a contractu omnino diversum, et contractus esset tantummodo objectum circa quod versatur sacramentum ; unde reipsa contendunt illum loquendi modum esse omnino improprium, ab erroribus scholasticorum ortum habuisse, vel illis locum dedisse.

Et vero vel admittendum quod propugnamus, vel dicendum sacramenti materiam esse impositionem manuum : atqui istud dici nequit : obstat enim 1° quod nemo illud excogitaveret ante Leridanum ; 2° quod in multis Ritualibus omittatur, ut agnoscere coguntur ipsimet adversarii.

46. II° Quoad formam. Aliter, ut jam indicavimus,

sentiunt qui conjuges, aliter qui sacerdotem ministrum esse putant. Sed neque hi, neque isti, inter se omnino concordant.

I. *In opinione eorum qui tenent contrahentes esse ministros.* Illi contendunt Christum nihil mutavisse in natura matrimonii, nec ullum ritum sacramentalem instituisse distinctum ab eo quo perficitur contractus: unde agnoscunt non esse in matrimonio distinctionem realem inter materiam et formam, sed eumdem consensum esse sub diverso respectu materiam simul et formam. Sed quando subtillius volunt inquirere sub quonam respectu consensus sit materia, sub quonam sit forma, in varias abeunt opiniones. Communior ea est quam tenent BELLARMINUS, SUAREZ, et alii plerique, præcertim inter recentiores; docent materiam esse traditionem corporum, formam vero esse eorum acceptationem. Nam, inquiunt, illud se habet per modum materiæ quod est determinabile, illud vero per modum formæ quod est determinativum; ita explicant theologi, ubi de sacramentis in genere, per analogiam deductam ex rebus naturalibus: atqui traditio se habet per modum determinabilis, cum sit quid informe et inefficax, et maneat suspensa; acceptatio autem per modum determinantis, cum perficiat contractum. Ergo, etc.

47. II. *In opinione eorum qui tenent sacerdotem esse ministrum.* Forma est benedictio nuptialis a sacerdote collata, ut satis intelligitur ex dictis: sed quænam sit illa benedictio, non ita apertum est.

1° Communis dicunt aut supponunt eam esse quæ datur ante missam, statim post emissum consensum, et quæ exprimitur his verbis: *Ego vos conjungo*, etc., vel aliis æquivalentibus.—Attamen communis illa assertio theologorum difficultate non caret: 1. ob magnam illius formæ varietatem in variis locis, ut jam dictum est; 2. ob illius novitatem, quam testatur MARTENE, et agnoscit GIBERT, qui huic non dat nisi antiquitatem quadringentorum annorum.

2° Quidam docuerunt formam sitam esse in benedictione quæ datur intra missam, post *Libera nos*. Ita AGIER, quem sequitur TABABAUD.—Sed stare nequit

illa assertio cum sententia unanimi theologorum, cum praxi hodierna Ecclesiæ circa secunda matrimonia, circa ea quæ celebrantur tempore vetito, etc.

3° Alius modus excogitari potest quæstionem solvendi, dicendo scilicet, formam sacramenti esse benedictionem sacerdotis generatim, sed derelictam Ecclesiæ determinationi. Ea esse videtur opinio GIBERTI pluribus in locis. In ea sententia dicendum, ex præsenti determinatione Ecclesiæ formam esse in his verbis: *Ego vos conjungo*, quæ substituta sunt formæ antiquiori, quæ ideo ex essentiali facta est accidentalis. In ea sententia, nullam moram faciunt sive novitas formulæ nunc adhibitæ, sive monumenta antiquiora quæ sacramentum reponere videntur in benedictione solemniori quæ datur intra missam. Quatenus autem potuerit Ecclesia ita determinare sub pœna nullitatis, non ita constat: principia ea de quæstione exponuntur, tum in Tr. *de Sacram. in genere*, ubi expenditur an Christus Ecclesiæ determinandas reliquerit formam et materiam sacramentorum, tum in Tr. *de Poenit.*, ubi de forma indicativa et deprecativa. Ea hic indicasse nobis sufficiat.

48. SCHOLIUM.—His dictus, jam præ oculis habentur quæ inservire possunt ad solvendam quæstionem de ministro matrimonii. Porro ex his patet utramque opinionem sua argumenta, suas difficultates, sua incommoda habere; unde concludimus, liberum esse cuilibet illam sententiam sequi, quam ipse putat esse veriorem, aut nullam amplecti, cum nihil definierit Ecclesia: si tamen judicium aliquod ferendum esset, inclinaremus in sententiam quæstat pro contrahentibus.

Verum nemo negabit in praxi (id enim prudentia exigit), agendum esse quasi benedictio esset essentialis, ac proinde tractandum esse ut ritum sacramentalem. Unde 1° non prætermittenda est nisi in casibus specialibus in quibus id expresse permittit aut jubet Ecclesia. 2° Sacerdos qui matrimonio benedicit, curet ut sit in statu gratiæ; alioquin, ratione dubii, periculo sacrilegii se exponit: et esto quod non conficiat sacramentum, peragit rem sacram, et quidem maximi momenti; unde adesse videtur satis gravis irreverentia: aliud esset, si matrimonio tantum assisteret, nec benedictionem conferret, quod satis raro evenit.

CAPUT III.

AN ET QUATENUS SACRAMENTUM SEJUNGI POSSIT A CONTRACTU MATRIMONII.

49. Facile intelligitur quæstionem hic non moveri de matrimonio inito *inter duos infideles non baptizatos:* quandiu permanent in infidelitate, satis patet eorum matrimonium, licet validum, sacramenti proprie dicti rationem non habere, cum sint sacramenti recipiendi incapaces.

Sed quæri potest, quid dicendum, si infideles sic nupti convertantur et baptismum suscipiant, vel si matrimonium ineatur inter unum fidelem et alterum infidelem?

1° Si *infideles nupti convertantur*, affirmant non pauci, quorum opinionem communiorem dicit BENEDICTUS XIV., *de Synod.*, l. viii. c. xiii. n. 8, matrimonium in infidelitate contractum posse sacramenti rationem postea obtinere. Juxta quosdam ex ipsis, quorum sententia videtur satis improbabilis, id fit per solam baptismi susceptionem. Juxta alios, per renovationem consensus, addendo benedictionem sacerdotalem, si habeatur pro forma: quia illa consensus renovatio potest esse materia sacramenti, cum sit consensus in traditionem corporum novo et titulo modo firmiore insolubilem, et sic quodammodo haberi possit ut novus moraliter contractus.

Nihilominus satis probabilis videtur opinio contraria quæ tenet non posse fieri sacramentum: non enim fiet per contractum jam initum, quia sacramentum consistit in actu transitorio, seu materia sacramenti est contractus in fieri, non in facto esse (n. 30): non per consensus renovationem, quia ille solum consensus est sacramenti materia, per quem efficitur verus contractus: atqui hic non efficitur; res enim semel donata non potest de novo valide donari, cum non remaneat sub potestate donatoris. Cæterum, ut postea (n. 278) dicemus, moris non est ut conferatur benedictio, vel ut renovetur consensus; quod favere videtur secundæ opinioni.

2° Quoad *matrimonium fidelis cum infideli*, quæstio est an, si ineatur cum dispensatione, sacramentum esse possit ex parte fidelis, seu, ut loquuntur theologi, *an sacramentum possit claudicare?*

Alii negant: quia matrimonium, ut contractus, non potest esse in uno et non in altero, sed est unum in duobus: porro sacramentum sequitur naturam contractus.

Alii vero affirmant; quia fidelis habet quidquid necessarium est ad recipiendum sacramentum: gratis enim asseritur contractum non posse esse sacramentalem ex una parte, quin sit ex altera cum id pendeat ab institutione Dei: imo contrarium verisimile videtur: cum enim in prioribus sæculis, aliquando moraliter necessarium esset ut christianæ nuberent ethnicis, durissimum esset dicere eas carnisse gratia valde ipsis necessaria, ad sanctificandos viros infideles.

Inter hæc, cum res pendeat a Dei institutione, quæ nec ex Scriptura, nec ex traditione innotescit, nobis videtur plane incerta. Sed in sententia quæ tenet sacerdotem esse ministrum, patet non esse sacramentum, quando non datur benedictio.

50. Agitur ergo potissimum de matrimonio *inter duos baptizatos*, et quæri potest an valere possit in ratione contractus, quin valeat in ratione sacramenti ; an, hoc admisso, liceat illis hoc modo contractum a sacramento sejungere ?

Quoad I^um^, id est, an *valide* id fieri possit, scinduntur theologi : qui tenent sacerdotem esse ministrum, necessario debent admittere contractum posse existere sine sacramento ; alii vero inter se non concordant. Scilicet duplici ex parte moveri potest quæstio.

1° *Ex defectu benedictionis.* Constat non raro validum esse matrimonium in ratione contractus sine benedictione sacerdotali ; v. g. valebant matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum, ut vidimus (n° 40), item valent nunc in locis in quibus decretum Concilii non est promulgatum, vel quando impossibilis est recursus ad parochum. Porro in his casibus patet non adesse sacramentum, si sacerdos sit minister.

2° *Ex defectu intentionis.* Supponi possunt quo contrahentes qui habeant intentionem expressam non conficiendi sacramentum. Jam vero multi ex iis qui tenent contrahentes esse ministros, præsertim antiqui, dicunt etiam in eo casu non existere contractum sine sacramento. Juxta ipsos, Christus, elevando matrimonium ad dignitatem sacramenti sine speciali ritu, hæc duo inseparabiliter conjunxit : hinc, inquiunt, docent traditio et Concilia matrimonium Christianorum, absque ulla distinctione et restrictione, esse sacramentum ; et ob hanc præcise rationem magis esse firmum et indissolubile quam matrimonium infidelium, ut in decursu videbitur. Igitur si qui vellent inire matrimonium et non sacramentum, expendenda esset voluntas eorum prædominans : si ferretur in contractum, implicite includeret quidquid ab eo est inseparabile, ac proinde sacramentum ; si contra voluntate prædominanti vellent excludere sacramentum, ne contractum quidem efficerent, cum illum non vellent nisi sub conditione impossibili.

Alii, præsertim inter recentiores, etiam ex iis qui tenent contrahentes esse ministros, et a fortiori qui stant pro sacerdote, aliter sentiunt : et quidem satis merito, ut videtur. Nam Christum hæc duo conjunxisse gra-

tis asseritur; quando enim dicitur matrimonium esse sacramentum, illud facile intelligitur *positis ponendis*. Imo contrarium verisimilius videtur: nam Christus, elevando matrimonium ad dignitatem sacramenti, non minuit vim consensus, sed tantum addidit vim supernaturalem, quemadmodum in ablutione quoad baptismum: sicut ergo qui ablueret sine intentione conferendi sacramentum, vere et efficaciter ablueret corpus, nec conficeret sacramentum; ita pariter qui vult contractum sine sacramento, etc.

51. Hinc colligi potest, quid in unaquaque theologorum opinione sentiendum sit de matrimoniis valide initis *inter hoereticos* qui non admittunt sacramentum matrimonii, aut ministerium sacerdotis non adhibent? —Nempe 1° ob defectum benedictionis, deficit vel non deficit sacramentum, pro diversa sententia circa ministrum. 2° Si expresse sacramentum excludant, applicanda sunt quæ modo dicta sunt. Sed si credentes matrimonium non esse sacramentum, de eo non cogitent, forsan dici posset eos habere intentionem generalem et prædominantem nubendi juxta legem a Christo institutam. 3° Non ideo præcise quod fiat extra Ecclesiam Catholicam deficit sacramentum, cum nec fidem nec jurisdictionem in ministro aut suscipiente essentialiter requirat. Cæterum quid servandum sit quando hæretici convertuntur, alio loco (n° 278) dicemus.

52. Quoad II^{um}, *an* scilicet *licite fieri possit haec separatio*, regula generalis est: *In praxi conjuges tenentur omnia praestare quae necessaria esse possunt ad certam sacramenti susceptionem.*

Prob. 1$_o$ Religio non sinit ut negligatur medium adeo efficax consequendi gratias necessarias. Christus enim, instituendo sacramenta in Ecclesia, noluit profecto ut cuique liberum esset ea recipere vel negligere; sed voluit, ut qui statum quemdam amplecteretur, sacramenta reciperet huic statui propria, ne iis gratiis orbaretur quibus indiget ad illius onera sustentanda.

2$_o$ *Ex praxi Ecclesiæ*, quæ quolibet tempore curavit, saltem generatim loquendo, ut fideles matrimonium inirent coram sacerdote et cum ritibus sacris, matrimoniaque inita absque sacerdotis ministerio detestata est. Id

fuse ostendit GIBERE, in *Historia benedict. nuptialis.* Concilium autem Tridentinum, non solum irritum declaravit matrimonium quod fieret aliter quam præsente parocho, ut postea evolvemus, sed et benedictionem sitam in his verbis: *Ego vos conjungo*, etc., vel aliis similibus, præscripsit, quamvis non sub pœna nullitatis: eam pariter præscribi a Ritualibus factum est omnino notorium. Ergo, etc.

Dixi *Generatim loquendo:* sunt enim matrimonia quædam quæ fiunt approbante, permittente, aut tolerante Ecclesia, etiam quando non ita gravis adest necessitas, et quæ, saltem in multorum sententia, eorum præsertim qui stant pro sacerdote, dici possunt valere tantum in ratione contractus.

Sic 1° Ecclesia permittit matrimonium *per procuratorem*, quamvis negent graves theologi, ut ESTIUS, SYLVIUS, etc., hæc esse sacramenta. Sed alii communius affirmant, quia reperiuntur omnia ad sacramentum requisita: nempe materia, quæ in contractu consistit; forma, sive posita sit in verbis contrahentium, sive in benedictione sacerdotis; et demum minister, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Nulla videtur ergo ratio sufficiens cur non esset sacramentum, si servantes conditiones requisitæ. Unde monet SANCHEZ eum qui sic contrahit teneri permanere in statu gratiæ tempore quo probabile est procuratorem nomine ipsius initurum esse matrimonium: alioquin graviter peccaret, sacramentum recipiendo in statu peccati. Attamen theologi prudenter consulunt ut qui matrimonio per procuratorem juncti sunt, vel iterum ipsimet coram parocho et testibus contrahant, vel saltem, quod ipsis absentibus actum est, præsentes ipsi coram Ecclesia ratum habere declarent: sed observat BENEDICTUS XIV., ex communi opinione hoc minime necessarium reputari, sed majori duntaxat cautelæ gratia faciendum suaderi. Observant pariter theologi parochum non debere propria auctoritate talia matrimonia celebrare, quia ex praxit hodierna Ecclesiæ vix inter alios quam inter principes fiunt.

Huic primo casui satis affinis est casus matrimonii initi per litteras, de quo antea (n° 17); item matrimo-

nii conditionati (n° 13). Sed agnoscendum est hujusmodi matrimonia ab Ecclesia communiter non permitti.

Sic 2° Ecclesia permittere potest matrimonium fidelis cum infideli, et certe olim permisit : et tamen periclitatur sacramentum, ex dictis (n° 49).

Sic 3° permittit aliquando matrimonia mixta : et vetat ne detur benedictio, sine qua tamen valere nequit sacramentum in multorum sententia.

Sic 4° in secundis nuptiis olim juxta plures, non dabatur ulla benedictio ; hodie tamen iis non denegatur benedictio essentialis, ut diximus (n° 43).

Sic 5° quando matrimonium irritum fuit ex causa occulta, obtenta dispensatione, conjuges compelluntur quidem ad renovandum consensum, non vero ad se sistendum coram parocho et recipiendam benedictionem.

Idem dicendum de matrimoniis etiam ex causa publica invalidis, quando conceditur dispensatio *in radice*. Sed ibi adest semper aliqua urgens necessitas.

Sic 6° quando conjuges matrimonium valide inierunt sine benedictione (quod pluribus modis contingere potest), testis est Benedictus XIV., *de Synod.* l. viii. c. xiii. n° 8, olim praxim Ecclesiæ non fuisse ut ad recipiendam benedictionem induceret : hodie tamen hortatur, ut postea videbimus (n° 278).

Hi sunt casus circa quos unusquisque revereri debet disciplinam Ecclesiæ, quæ, ubi est conspicua, nobis semper esse debet norma agendi, quamcumque opinionem speculativam in quæstionibus controversis amplectamur. Unde theologi, præsertim qui tenent sacerdotem esse ministrum, non possunt dicere exstare præceptum divinum quod obliget absque ulla exceptione ad recipiendum sacramentum quotiescumque initur contractus.

53. Sed quæstio moveri potest, utrum ratio sit sufficiens non statim recipiendi sacramentum, *quando sponsi sunt indispositi ?* Scilicet maxima in praxi occurrit difficultas quoad sponsos qui adduci nequeunt ut matrimonium propositum ad tempus differant, et tamen non sunt sufficienter dispositi ad sacramentum suscipiendum. Potest ne confessarius vel pastor illis permittere, aut etiam sundere, ut ineant matrimonium solum

ratione contractus, sacramentum suscepturi quando ad meliorem frugme redierint ?

Respondemus id minime fieri posse, saltem attenta hodierna Ecclesiæ disciplina.

Prob. Vel suadebitur hujusmodi sponsis ut civiliter tantum matrimonium ineant, prout volunt TABABAUD et alii novatores ; vel admittentur ad contrahendum coram Ecclesia, omissa tamen benedictione consueta, et cum intentione non recipiendi sacramentum, prout proposuerunt quidam theologi, quamvis haud asseveranter. Atqui neutrum ex his duobus fieri potest. Non I^um^ : etenim matrimonium non initum coram Ecclesia, sed tantum coram officiario civili, hodie in Gallia irritum foret, non solum quatenus sacramentum, sed quatenus contractus, ex decreto concilii Tridentini, quod vim habere independenter a sanctione legis civilis postea ostendemus: prorsus ergo rejiciendum illud systema, quod iis solis probari potest qui non agnoscunt potestatem Ecclesiæ in ferendis impedimentis. Non II^um^; non enim potest sacerdos omittere benedictionem, quin agat contra generalem Ecclesiæ disciplinam et Ritualium præscriptiones ; et quin sæpe adstantibus non leve scandalum generet. Nec sponsi possunt excludere intentionem recipiendi sacramentum, quin se reos constituant fictionis, quæ non minus veritati quam religioni esset contraria. Insuper, quis non videat plerumque contrahentes, qui incertas theologiæ speculationes ignorant, matrimonium sic initum vel pro nullo habituros esse, vel saltem multis ambagibus fore implicandos ?

An autem ad vitanda mala quæ ex profanatione sacramentorum, aut ex matrimoniis mere civilibus ac proinde invalidis, quotidie apud nos, proh dolor ! oriuntur, expediat ut Ecclesia aliquid immutet in sua disciplina, nostrum non est curiosius expendere. Satis sit animadvertere non omnia esse immutanda unde peccandi occasionem accipiunt homines ; alioquin omnio brevi corruerent. Hic incommoda ex hominum malitia profluunt, et sæpe compensantur per bona quæ ex actu religionis, et circumstantia præscripto, consequuntur : ea enim occasione confessarium aut pastorem adeuntes multi prævaricatores revertuntur ad cor, juxta

Scripturæ verba, religioni aliquatenus reconciliantur, et saltem semen verbi divini recipiunt quod fructum dabit in tempore suo. Unde multum abest quin velimus hanc immutationem sundere.

54. Scholium. Ut finem imponamus huic capiti de natura matrimonii in ratione sacramenti, duo observabimus.

1° Nunc facilius intelligetur sacramenti matrimonii definitio, quam huc usque ex industria remisimus. Hæc vulgo, profertur a theologis: *Sacramentum novae legis, gratiam conferens ad sanctificandam legitimam viri et mulieris conjunctionem, et prolem sancte educandam.* Quidam, ut magis directe removeant errorem novatorum de quibus supra (n° 45), matrimonium qua sacramentum non aliter deficiunt ac ipsum contractum, ea tantum addendo quæ sacramenti rationem designant: unde hanc proferunt definitionem: *Conjunctio viri et mulieris...et ex institutione Christi gratiam quam significat conjugibus conferens.*

2° Intelligi potest etiam quomodo sumenda sit ea matrimonii divisio quam vulgo afferunt theologi et canonistæ, in *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. Scilicet *legitimum*, seu, ut auctores intelligunt, mere legitimum, dicitur matrimonium quod secundum leges celebratum est, ibi præcise sistendo, quale inter infideles reperitur: *ratum* duplici sensu accipitur, vel per oppositionem ad legitimum, et tunc significat matrimonium Christianorum, sive deinde sit sacramentum, sive non, de quo supra (n° 40); vel per oppositionem ad consummatum: *consummatum* tandem dicitur, quod carnali copula est completum.

PARS SECUNDA.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

55. De tribus agendum habemus: 1° de honestate; 2° de unitate; 3° de indissolubilitate.

CAPUT PRIMUM.

DE HONESTATE MATRIMONII.

56. Matrimonium, in præsenti quæstione, consideratur præcipue quatenus ad prolem generandam ordinatur. Porro triplex potissimum circa illud exortus est error.

Primus, eorum qui voluerunt matrimonium esse ex natura sua malum et inhonestum, prout prædixerat Apostolus, I. *Tim.*, iv. 2. Ita Simon Magus, Saturninus, Marcion, Tatianus, et Encratitæ, Manichæi, Priscillianistæ, Apostolici, etc.

Secundus, eorum qui e contrario docuerunt matrimonium esse ita in se bonum, ut virginitas non sit ei anteponenda, sed æqualis sit utriusque status sanctitas: ita sæculo iv. Jovinianus.

Tertius, eorum qui volunt nuptias esse virginitate meliores; imo virginitatem esse malam. Ita Protestantes initio Reformationis, ubi contendebant matrimonium esse singulis lege naturali præceptum; unde cælibatum sacrorum ministrorum suggillabant. Nunc vero non hucusque progrediuntur, sed stant errori Joviniani.

Contra illos errores triplicem statuemus propositionem.

PROPOSITIO I. — *Matrimonium est in se bonum et honestum.* Contra Manichæos.

Prob. Illud est bonum quod Deus instituit, imo præcepit, Christus confirmavit, etc.... Atqui matrimonium 1° Deus instituit. Ex *Genes.* i., 27, 28 : *Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis et ait : Crescite et multiplicamini.* Et ii. 21-24, fusius refertur ea institutio. 2° Imo aliquando præcepit aut consuluit. Sic in *Deuter.* xxv. 5, jubetur frater *accipere uxorem* fratris sui defuncti, ut *suscitet semen fratris sui.* 3° Christus confirmavit, tum assistendo nuptiis Cana, quo argumento usi sunt Patres, tum varia circa illud statuendo ; tum denique elevando, ex dictis, ad dignitatem sacramenti. 4° Commendarunt Apostoli, præsertim S. Paulus : vocat *Honorabile, Hebr.*, xiii. 4 ; ait, *Qui matrimonio jungit virginem bene facit*, 1 *Cor.*, vii. 38 ; præcipit ut *Debitum reddatur, ib.* 3 ; consulit viduis, *Volo juniores nubere*, 1 *Tim.* v. 14 ; recenset doctrinam *prohibentum nubere* inter *doctrinas doemoniorum, ib:* 1 *et* 3. Nec contrarium docet 1 *Corinth.* vii., ubi id sibi unice proponit ut continentiam præ matrimonio extollat, prout legenti caput integrum patebit. 5° Contra detractores vindicavit Ecclesia : in re tam aperta supervacaneum est referre testimonia SS. Patrum qui hæreticos supra memoratos impugnaverunt, et decreta conciliorum quæ eosdem errores profligaverunt. 6° Natura ipsa postulat ; cum sit medium unicum ad propagandam speciem humanam, juxta legem a Deo creatore in præsenti rerum ordine institutam.

57. PROPOSITIO II.—*Matrimonium quamvis jure naturali et ex primæva institutione aliquatenus præceptum communitati, non præcipitur individuis determinate sumptis, saltem ordinare.* Contra veteres Protestantes.

Prob. per partes illa propositio, quæ explicatione potissimum indiget.

1° *Respectu communitatis*, matrimonium dici potest aliquatenus præceptum *jure naturali*, quatenus est necessarium ad conservationem societatis : non enim suf-

ficit conjunctio transitoria, qualis locum habet in brutis ; sed requiritur ut proles habeat determinatos parentes vinculo quodam inter se permanenter alligatos, qui possint providere illius educationi et variis necessitatibus. Hunc etiam refertur *institutio primaeva*, seu illa Dei verba, *Crescite et multiplicamini*, necnon et illa quæ protulit Adamus Dei instinctu, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem*, etc.

2° *Respectu individuorum*, prorsus immerito diceretur matrimonium *jure naturali* præceptum. Rite enim genus humanum propagari et conservari potest, absque eo quod singuli homines matrimonium ineat, multo magis absque eo quod matrimonium ex præcepto inire teneantur : sufficit inclinatio naturæ. Ad summum requireretur ut communitas jus haberet pro circumstantiis matrimonium imperandi aliquibus e suis membris : sed de facto communitas ab ea cura liberatur. Afferri nequit etiam *præceptum divinum :* quidquid enim dicatur de primævis mundi temporibus, donec nempe satis diffusum esset genus humanum, saltem gratis et immerito diceretur adfuisse sub lege mosaica hujusmodi præceptum ; illud autem sub nova lege admittere prorsur absurdum esset.

Dixi *Saltem ordinarie*, tum ut abstrahatur a peculiaribus circumstantiis, quales occurrerunt exordio mundi et post diluvium : tum quia fingi possunt casus, in quibus privatus aliquis teneatur ad matrimonium. Triplicem assignant theologi. Primus est necessitatis politicæ, qualis esset in principe qui nullam habens regni sui hæredem, prævideret exinde, post mortem suam, oritura bella et perturbationes. Secundus, infirmitatis quando quis, propter graves tentationes, salutis periculum incurrit in cælibatu : possunt quidem per alia remedia superari ; sed si hæc non adhibeantur , matrimonium fit necessarium per accidens. Tertius, paupertatis ; v. g. si vir dives et probis moribus consentiat accipere puellam, quæ non habet unde vivat : sed raro orietur vera obligatio ex isto tertio casu.

58. PROPOSITIO III.—*Virginitas pro Deo suscepta nuptiis melior est ac excellentior.* Contra Jovinianum et recentiores.

Prob. 1. *Ex Scriptura.* Habemus 1° doctrinam Christi, *Matth.*, xix, 10, 11, 12. Cum exposuisset varia matrimonii onera, iisque territi discipuli exclamassent: *Si ita est causa hominis uxore, non expedit nubere*, illud humaniori forte sensu dictum plane confirmat, asserens quosdam reipsa se a nuptiis segregare *propter regnum cœlorum*, sed tantæ acquirendæ, vel etiam intelligendæ perfectionis omnes non esse capaces, sed illos *quibus datum est;* ex quibus præclare commendatur virginitas pro Deo suscepta. 2° Doctrinam Apostoli, I *Cor.*, vii. Ibi, ut vidimus, honorifice loquitur de matrimonio, sed de virginitate longe honorificentius: 1, *Bonum est homini mulierem non tangere;* 7, *Volo omnes vos esse sicut meipsum;* 34, *Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi;* 38, *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, et qui non jungit melius facit.* Hæc certe sunt satis aperta.

2. *Ex SS. Patribus.* Virginitatis excellentiam supra matrimonium miris laudibus extulerunt SS. Doctores; inter quos citari possunt SS. HIERONYMUS et AUGUSTINUS, qui Jovinianum ex professo confutarunt, S. AMBROSIUS, lib. *de Virginibus*, S. CYPRIANUS, TERTULLIANUS, etc.

3. *Ex decisionibus Ecclesiæ.* Jovinianus, qui contrarium propugnabat, inter hæreticos recensitus fuit, et Concilium Tridentinum, sess. xxiv. can. 10, sic statuit: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatui, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimanio, anathema sit.* His perstringitur simul error Joviniani, qui matrimonium virginitati æquiparabat, et Protestantium qui anteponunt.

4. *Ex rationibus theologicis.* 1° Exemplo Christi. Christus virgo virginem matrem habere voluit; discipulum virginem præ cæteris dilexit, eique soli moriens matrem suam commendavit: quibus satis ostendit

quanto in pretio virginitatem habeat. 2° Ex virginitatis excellentia, et effectibus relative ad salutem. Per virginitatem homo magis removetur a sollicitudinibus sæculi, et liberius Deo vacat, ut indicat S. Paulus; supra seipsum quodammodo extollitur, fitque angelicæ naturæ particeps, ut aiunt SS. Doctores.

Confirmari posset *ex rationibus philosophicis et politicis*, ostendendo expedire, imo et moraliter necessarium esse ad bonum societatis, in regione incolis redundante, ut plures continentiam servent: sive quia continentiæ publica exempla mirum in modum commendant bonos mores qui sunt tanti momenti, ad bonum societatis, et sæpe multum influunt in conservationem et perfectionem speciei humanæ; sive quia plurimi interest ut præsto sint viri qui per sollicitudines familiæ non impediantur ab operibus misericordiæ spiritualis simul et corporalis, et speciatim a muniis sacerdotii rite obeundis, etc.: sed hæc ad scopum nostrum directe non spectant.

Dixi *Pro Deo Suscepta;* quia requiritur ut Dei intuitu servetur; alioquin non est præcise meritoria. Cæterum, quamvis excellens, non omnibus consulenda est, sed antea inspiciendum an congruat voluntati Dei, an regulis prudentiæ. Ideoque antequam ad votum castitatis quisquam admittatur, spectari debent, 1° ætas, ex S. Paulo; 2° virtus; 3° indoles, et præsertim constantia et fortitudo; 4° agendi ratio, an mollis, an abnegationi et mortificationi dedita. Ex his omnibus intelligetur an expediat tale consilium dari. Ut adhuc maturius detur, permitti potest primum solummodo votum ad tempus; sicque experientia innotescet quid deceat.

CAPUT II.

DE UNITATI MATRIMONII.

59. Matrimonii unitas, quæ *monogamia* dicitur, est conjunctio unius tantum cum una. Huic opponitur *polygamia*, quæ in eo sita est quod unus cum pluribus conjungatur, vel simul, vel successive. Hinc duplex polygamia, simultanea, et successiva.

Art. 1. *De polygamia simultanea.*

60. Duplex distinguitur: conjunctio unius uxoris cum pluribus viris, quæ dicitur *polyandria*, vel *polyviria*, et unius viri cum pluribus uxoribus, quæ retinet nomen *polygamiæ*.

De *polyandria*, vix ulla ex difficultas: agnoscunt omnes eam adversari primariis matrimonii finibus, nempe 1° generationi prolis, cum experientia constet mulieres quæ pluribus viris commiscentur esse infecundas; 2° educationi prolis, cum incertum redderet patrem.

Igitur agendum superest de *polygamia* simpliciter dicta, an sit contraria juri naturali, an et qualiter vetita jure divino pro variis temporibus. Porro de hoc non una est omnium sententia.

1° Calvinus docuit polygamiam repugnare juri naturali, adeo ut excusari nequeant veteres patriarchæ. In hoc imitatus est Manichæos, qui patriarchas traducebant ut adulteros, et inde concludebant libros et legem veteris Testamenti, in quibus exhibentur tanquam amici Dei, esse a principio malo.

2° A Calvino multum dissentit Lutherus, qui contendit polygamiam ne lege quidem evangelica absolute prohibitam esse, adeo ut in casu necessitatis liceat: hinc eam permisit, simul cum bucero et Melanchtone, Landgravio *de Hesse*, an. 1539.

3° Theologi catholici ab utroque excessu recedunt; sed non omnes consentiunt circa prohibitionem polygamiæ ex jure naturali: hanc prohibitionem, post Durandum, negavit Maldonatus, et quidam alii, sed admittunt plerique, quamvis diversis modis explicent. Non constat etiam quid pro variis temporibus jure divino statutum fuerit. Quæstionem solvemus quadruplici propositione.

Propositio I.—*Polygamia simultanea non adversatur juri naturali primario; sed adversatur juri secundario, præsertim quando ultra certos limites extenditur.*

Nota. Ut rite intelligatur propositio, in memoriam

revocandum est quod supra (n° 26) diximus de distinctione inter jus naturale primarium et secundarium. Quo posito.

Prob. 1ª *pars*, scilicet polygamia non *adversatur juri naturali primario*. Etenim ex una parte, non repugnat primario fini conjugii, cum possit unus et idem vir ex pluribus uxoribus filios suscipere ; ex altera vero parte, fines ipsi secundarii absolute obtineri possunt, præsertim si Deus per suam providentiam incommoda avertat saltem graviora.

Prob. 2ª *pars*, scilicet polygamia *adversatur juri naturali secundario*. 1° Quia impedit reciprocam debiti redditionem, et æqualitatem contractus ; æquitas enim postulare videtur ut quemadmodum uxor totam se tradit viro, ita vir se totum tradat uxori. 2° Pacem domesticam turbat. Unaquæque enim uxor in eo tota erit ut ad se pertrahat affectum viri ; facile accidet ut vir non omnes æquali amore prosequatur : exinde porro jurgia, quæ vix compescere poterit maritus, nisi exerceat auctoritatem quæ mutuo conjugum affectui non satis congruit. 3° Nocet congruæ prolis educationi. Valde timendum erit ne maritus, in prædilectæ uxoris filios præcipue intentus, cæteros negligat : ipsæ uxores etiam sæpissime ex invidia nocebunt mutuæ puerorum educationi.

Dixi *Præsertim quando ultra certos limites extenditur*, quia nemo negabit juri naturali omnimode adversari polygamiam illam tyrannicam, ex sola ortam libidine, totque incommodis obnoxiam, quæ viguit et adhuc viget apud quosdam populos infideles.

Hinc intelligitur communem theologorum opinionem, quæ propugnat polygamiam repugnare juri naturali, gravibus momentis inniti, neque adesse rationem sufficientem ab ea recedendi, et admittendi opinionem Durandi et aliorum, de qua sic pronuntiat Benedictus XIV., *de Synod.* l. xiii, c. xxi. n° 9 : " Quamvis singularis hæc eorum opinio dici non possit a Tridentino Concilio fuisse proscripta, censuram tamen non fugit doctrinæ improbabilis et alienæ a communi sententia aliorum theologorum :" et tamen potuisse Deum dispensare, multumque abesse quin ex illa sententia in errorem Calvini deducamur.

Cæterum observandum est præsentem quæstionem ad praxim nihil conferre, semel admisso jure divino polygamiam absolute prohibente, de quo mox ; non minus enim illicitum et invalidum erit secundum matrimonium, vivente prima uxore initum, etiam apud infideles : quia et illi, ex communi theologorum doctrina, subjiciuntur juri divino, quod omnes obligat. Hinc ex praxi constanti Ecclesiæ, matrimonia infidelium sic inita pro irritis habentur, quando ad fidem convertuntur.

61. PROPOSITIO II.—*Polygamia contraria est institutioni primævæ matrimonii.*

Prob. 1° *Ex Genes.* ii. 21 et seq. Si Deus voluisset ut vir unus pluribus uxoribus jungeretur, *Cum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres*, ut observat S. CHRYSOSTOMUS. Hinc Adamus matrimonii naturam exponens, ut observat INNOCENTIUS III. cap. *Gaudemus*, viii. *de Divortiis*, *Non dixit tres vel plures, sed duo* ; *nec dixit adhœrebit uxoribus, sed uxori* ; quæ polygamiam excludunt. 2° *Ex verbis Christi*, interprete Concilio Tridentino sess. xxiv. : *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba (adhœrebit uxori, etc.) tanquam a Deo prolata referens, dixit : Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* 3° *Ex auctoritate SS. Pontificum.* NICOLAUS I. *Resp. ad consulta Bulgaror.* n° 51, ait, *Adulterii flagitium quod Lamech omnium primus in Duabus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum extitisse.* INNOCENTII III. verba jam attulimus ; eodem sensu loquitur GREGORIUS IX. Item Patres mox indicandi.

62. PROPOSITIO III.—*Polygamia fuit Judæis permissa sub lege Mosaica, imo et patriarchis ante Moysen.*

Prob. 1ª *pars.* 1° Ex lege Moysis, *Deuter.* xxi. 15, et seq. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ fa-*

cere primogenitum, et præferre filio odiosæ. Lex ibi permittit aut potius permissam supponit polygamiam : non solum enim vir qui duas mulieres duxit non improbatur, sed ambæ vocantur uxores, et æquiparantur filii quoad jus hæreditatis ; atqui non ita lex loqueretur, si una tantum fuisset legitima uxor. 2° Exemplis sanctorum. Legimus enim in scripturis viros maxime pietate insignes plures habuisse uxores : sic de Elcana, I. *Reg.* i. ; de David, II. *Reg.* ii. 2 ; de Joa, II. *Paralip.* xxiv. 3, etc.

Prob. 2ª *Pars.* 1° Exemplo patriarcharum : Abraham, Jacob, et alii passim leguntur in Scripturis plures habuisse uxores, nec tamen ideo reprehenduntur, contra proponuntur ut viri pietate insignes. 2° Ita docent SS. CHRYSOSTOMUS, HYERONYMUS, AUGUSTINUS, etc.

63. *Obj.* 1° Vocantur concubinæ mulieres quas, præter Saram, habuit Abraham, *Genes.*, xxv. 6 ; item pluribus aliis in locis. Ergo non erant veræ conjuges, nec proinde licita erat polygamia.

Confirm. Judæi, *Joan.*, vii. 41, ut significent se descendere ex Sara, non vero ex Agar, dicunt : *Nos ex fornicatione non sumus nati ;* ergo putabant Agar non fuisse legitimam uxorem.

R. Concubinæ nomen in locis objectis non idem designat quod nos hodie vulgo eo nomine intelligimus, sed designat uxorum genus secundarium, quæ scilicet unice ad procreandos liberos non ad familiam regendam resque familiares administrandas essent admissæ : eædem enim quæ dicuntur concubinæ, alibi vocantur uxores, v. g. Agar, *Genes.*, xvi. 3 ; Cethura, xxv. 1. Hæc concubinæ acceptio aliquandiu perduravit etiam sub lege evangelica, ut constat ex pluribus antiquis canonibus. *Vide* BENEDICTUM XIV., *de Synod*, l. ix. c. xii. nº 2, 3.

Ad *Confirm.* *R.* Verba Judæorum alludere ad Agar gratis omnino supponeretur, et immerito : tum quia alioquin inhonorassent tanquam fornicatorem Abrahamum quem *ibid.* patrem appellant ; tum quia, si in ea fuissent sententia quæ ipsis tribuitur, jam indirecte confessi essent quod directe negabant, e suis scilicet multos ex fornicatione natos ; cum plures ortum ducerent ex Rachelis et Liæ ancillis, Bala et Zelpha, non minus fornicariis quam ipsa Agar, ancilla Saræ. Sunt ergo intelligenda de fornicatione spirituali, seu de idololatria, quæ sæpe eo nomine in Scripturis designatur : huic interpretatione apprime cohærent verba subsequentia, *Unam patrem habemus Deum ;* quasi dicerent : *Nos non ex idololatris nati sumus, sed ex patribus verum Deum colentibus :* nullatenus autem cohærerent, si ibi ageretur de fornicatione carnali.

Obj. 2° III. *Reg.*, xi. 1, 2, crimini vertitur Salomoni quod plures uxores habuerit. Ergo, etc.

R. Non in eo præcise reprehenditur Salomon quod plures, sed quod alienigenas, et ad scandalum usque multiplicatas uxores habuerit, quæ eum, a Deo tot bonis cumulatum, ad idololatriam praxerunt. *Ibid.*, 3, dicitur : *Fuerunt ei uxores quasi reginæ 700, et concubinæ* 300 ; *et averterunt mulieres cor ejus.... ut sequeretur deos alienos.*

64. COROLLARIUM. Ex dictis in duabus præcedentibus propositio-

nibus, sequitur per Deum concessam fuisse dispensationem seu derogationem primævæ institutioni qua excludebatur polygamia. De illa dispensatione quædam observare operæ pretium erit.

1° Communiter dicunt theologi eam dispensationem concessam non fuisse ante diluvium. Etenim vix dubitari potest quin saltem hocce temporis lapsu viguerit primæva institutio. Hinc ait INNOCENTIUS III., *loc. cit: Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Porro ante diluvium solus Lamech legitur plures habuisse uxores: sed præsumptio non est in illius gratiam, et satis dure reprehenditur a SS. Patribus, imprimis TERTULLIANO, S. HIERONYMO; et SS. Pontificibus supra citatis (no 61). Ergo nondum permissa erat polygamia: quia scilicet, ad S. CHRYSOSTOMUS, ob longævam hominum vitam non ita erat necessaria ad generis humani propagationem; vel, juxta alios, ne putarent homines polygamiam esse primævam matrimonii constitutionem. Quandonam igitur concessa fuit dispensatio? Quidam putant concessam fuisse primum Abrahamo, ut pote qui constitutus erat caput populi Dei, qui ea via propagandus erat. Nec opus fuit ut cuilibet speciatim concederetur, sed post factam Abrahæ, aut alteri patriarchæ sanctitate eximio, revelationem, cæteri satis intellexerunt idem sibi licitum esse.

2° Non convenit inter theologos utrum illa dispensatio data fuerit, non solum Judæis, sed etiam ipsis Gentilibus. Quidam negant ut SANCHEZ, ESTIUS, DROUIN. 1. Quoad illos non militabant rationes, quibus verisimile est Deum permotum fuisse ad eam dispensationem concedendam, quas vulgo repetunt theologi, tum ex multiplicationis populi Dei, tum ex præfigurandis legis novæ mysteriis. 2. Non jam dispensatio dicenda fuisset, sed abrogatio legis.

Alii tamen, post BELLARMINUM, communius affirmant polygamiam fuisse etiam Gentilibus permissam. 1. Ex pluribus exemplis quæ in Scriptura occurrunt. Sic *Gen.* xx. Abimelech voluit uxori suæ Saram addere, nec reprehenditur nisi quia tulerat uxorem alterius. Sic *Gen.* xxvi. 34, et xxviii. 9, plures duxit uxores Esau extraneus populo Dei, nec ideo reprehenditur. Sic Esther conjuncta est Assuero jam uxorem habenti, quamvis sperare non posset filios suos ad legem Mosaicam informandos, nec proinde ipsi applicari posset dispensationis Judæis concessæ motivum. 2. Si dispensatio data fuit statim post diluvium, debuit ad omnes extendi: si data Abrahæ et Jacob, saltem ad omnes eorum posteros pertinere debuit. 3. Etiam apud gentes propagari poterat populus Dei, quatenus procreari poterant veri Dei cultores, quales occurrunt plures etiam extra populum judaicum. Aliunde polygamia, etiam apud Gentiles, præfigurare poterat conjunctionem multorum populorum ad unum Christum.

65. PROPOSITIO IV.—*Christus, revocato primævam institutionem matrimonio, polygamiam simultaneam abrogavit.*

Prob. 1° *Ex verbis Christi, Matth.* xix. 4 et 5: Christus indicat se revocare matrimonium ad primævam institutionem: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio*, etc. Eam autem institutionem exponit per hæc verba: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, quæ excludunt polygamiam. Sed clarius adhuc lo-

quitur *Luc.* xvi. 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur ;* ex quibus concludendum : ergo a fortiori qui, priore retenta, aliam duxerit. Nam, ut ratiocinatur BELLARMINUS, ideo mœchatur qui alteram ducit, quia prior in rei veritate non desinit esse uxor : atqui quando non est dimissa, a fortiori remanet uxor : ergo est vere adulterium.

2° *Ex S. Paulo*, qui non solum semper loquitur de uxore singulari numero, I. *Cor.*, vii. sed ait *Rom.* vii. 3 : *Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro ;* cum autem ex eodem Apostolo, I. *Cor.* vii. pares sint conjuges in jure ad usum matrimonii, non magis potest vir fieri alterius uxoris maritus sine adulterio.

3° *Ex SS. Patribus* et *Conciliis*, quorum doctrina adeo constans est et unanimis, ut nullum ex adverso proferri possit testimonium. His consentanea fuit praxis omnium Christianorum. Et si quando principes quidam, priore uxore vivente, alteram ducere tentaverint, nemo nescit quanta vi reclamaverint SS. Pontifices. Cum autem Lutherus Philippo, Hessiæ landgravio, priori superstite uxore, aliam ducere permisisset, præsensit ipse quantum reformationi suæ dedecus exinde oriturum esset, ideoque ut occulta manerent hujus concessionis instrumenta conatus est. Cum tamen postea publici juris facta fuissent, palam dicere potuit BOSSUET, obsque ullo reclamationis metu : "Il fut dit pour la premiere fois depuis la naissance du Christianisme.....que Jesus-Christ n'avait pas defendu de tels mariages." *Hist. des Variat.* l. vi. n° 6.

Hinc Concilium Tridentinum, sess. xxiv. can. 2, sic decrevit : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.*

66. Ut Bossuettii assertionem confutaret, et reformationis suæ auctorem vindicaret, duo facta seu testimonia protulit BASNAGE. Primum est Socratis, qui refert Valentinianum imperatorem duas simul uxores habuisse, et lata lege statuisse ut idem cuilibet volenti liceret. Secundum est Gregorii II. respondentis licere ducere aliam uxorem viro cui sua, ob infirmitatem corporis, debitum reddere non valet.

Verum hæc testimonia, etsi genuina agnoscerentur, nullius ponderis esse possent contra aliunde unanimem omnium sæculorum traditionem. Sed insuper commentitia reputatur ab eruditis Valentiniani lex : vid.

BOSSUET, *Def. de l' Hist. des Variat.* nº 63. Non desunt etiam rationes habendi responsionem Gregorii II. ut suppositiam : aliunde intelligi potest et debet de muliere quæ, ob corporis infirmitatem, impotens erat, cujus proinde matrimonium ab initio irritum erat: quo posito, nulla difficultas.

ART. 2. *De Polygamia successiva.*

67. Secundas et ulteriores nuptias damnaverunt Montanistæ, quibus se adjunxit Tertullianus, et postea Novatiani. Plurimi SS. Patres, præsertim Græci, licet ab eorum errore alieni, de iis tamen satis dure locuti sunt. Priores confutare, posteriores explicare oportet.

PROPOSITIO I.—*Licitæ sunt etiam sub lege christiana secundæ et ulteriores nuptiæ.*

Prob. 1° *Ex Scriptura.* S. PAULUS, *Rom.* vii. 3 : *Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberta est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Idem docet, I. *Cor.* vii. 39, addens : *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Et I. *Tim.* v. 14, ait de viduis : *Volo juniores nubere.*

2° *Ex traditione.* Si quis SS. Patrum testimonia per currere velit, hæc illi occurrent : secundæ et ulteriores nuptiæ non sunt crimen, ex S. AUGUSTINO ; non peccatum, ex HIRMA ; licent, etiam nimis repetitæ, ex S. AMBROSIO ; non sunt lege prohibitæ, ex CLEMENTE ; ab omni culpa absolvuntur, ex S. EPIPHANIO ; ad normam evangelicæ legis fiunt, ex S. CHRYSOSTOMO. Sufficiat addere decretum EUGENII IV. ad Armenos, quod ita expresse definit ; et Constitutionem BENEDICTI XIV. qua exigit ab Italo-Græcis ut illùd agnoscant. *Bullar.* t. 1, *Const.* CXXXIX., § 29.

3° *Ex ratione.* Secundæ et ulteriores nuptiæ nulla lege prohibentur. 1. Non lege naturali, cum nullatenus repugnent finibus matrimonii. 2. Non lege divina ; sive Mosaica, quæ contra aliquando illas præcipiebat, ut in casu defuncti fratris sine liberis ; sive evangelica, ex qua nihil afferri potest. 3. Non lege ecclesiastica, saltem generali et adhuc vigente, cum quotidie hujusmodi nuptias per suos ministros celebret Ecclesia. Ergo, etc.

68. PROPOSITIO II.—*Ecclesiæ veteris pastores et doctores non habuerunt unquam secundas et ulteriores nuptias ut jure naturali aut divino prohibitas: eas tamen vituperaverunt ut quid sanctitati christianæ minus conveniens; imo et variis pœnis subjecerunt, quamvis non viderentur ulla lege generali eas prohibuisse.*

Prob. 1ª *pars*, scilicet *secundæ et ulteriores nuptiæ habitæ non fuerunt ut jure naturali aut divino prohibitæ.* Satis evidenter sequitur ex dictis in prima propositione: unde difficultas nulla superesse potest, nisi forsan ex quorumdam Patrum vel Conciliorum particularium paulo durioribus verbis, quæ tamen benigne explicari possunt, si attendantur principia sequentia. 1° Nonnulla ex iis quæ opponuntur possunt intelligi vel de polygamia simultanea, vel saltem de secundis nuptiis initis post datum more Judæorum aut Gentilium libellum repudii. 2° Patrum scopus est secundas nuptias ut aliquid minus perfectum reprehendere: ea autem occasione, oratorum more loquentes, paulo duriora adhibent verba quæ non sunt in toto suo rigore sumenda. Et revera S. Hieronymus, quo nemo forsan durius locutus est, cum uxorem bis nupta *prostitutam* dicat, expresse tamen profitetur se bigamiam non damnare. 3° Illi ipsi qui secundas nuptias pœnitentiæ subjiciunt, simul agnoscunt eas esse in se licitas. 4° Nullibi legimus Concilia aut SS. Patres edixisse ut talibus juncti matrimoniis ab inviceam separarentur; quod tamen non omisissent, si talia matrimonia credidissent lege divina prohibita. 5° Tandem si, ope principiorum quæ mox attulimus, quidam textus explicari nequeant, nil vetat dicere in quibusdam locis secundas nuptias fuisse positiva lege prohibitas, imo etiam forte irritas, quo posito, explicantur varia SS. Patrum in illas improperia: de quo statim.

Prob. 2ª *pars*, scilicet *fuerunt minus probatæ.* S. PAULUS, I. *Cor.*, vii. 8 et 40, consilium dat de non ineundis secundis nuptiis: primis autem ætate, cum major esset fervor fidei, minus probabantur qui consilia evangelica non sectabantur. Hinc SS. Patres de secundis, et præsertim de tertiis et ulterioribus nuptiis, satis dure locuti sunt. Rationes autem, præter continentiæ excellentiam, erant 1° quod plurimæ nuptiæ habebantur ut signum libidinis et incontinentiæ: hinc magis improbabantur tertiæ et ulteriores nuptiæ; 2° quia per eas non ita perfecta repræsentatur unio Christi cum Ecclesia: quod sæpe exprimitur per ea verba, *ob defectum sacramenti*, quæ tamen non indicant præcise tale matrimonium non esse sacramentum.

Prob. 3ª *pars*, scilicet *fuerunt variis pœnis subjectæ*, enumeratione earum pœnarum, quæ tamen non omnes ubique et semper viguerunt. 1° Pluribus in locis subjiciebantur pœnitentiæ publicæ, præsertim in Ecclesia Græca: 2° Bigami erant irregulares ad sacros Ordines suscipiendos. Illa disciplina, quæ fundamentum habet in S. Paulo, hodie perseverat. Idem vigebat pro viduis quæ ad disconissarum munus assumebantur. 3° Secundæ et ulteriores nuptiæ privabantur benedictione quadam sacerdotali. Hodie ex Rituali Romano, non confertur benedictio quæ dari consuevit itra missam. Ratio autem præcipua hujus disciplinæ desumenda est ex jam dictis, imprimis juxta BENEDICTUM XIV., *de Synod.* l. viii. c. xiii. n° 7, ex defectu sacramenti sensu mox explicato. 4° Iisdem de causis apud Græcos sæpe bigami non coronabantur. 5° Tandem, teste S Hieronymo, bigami minorem Ecclesiæ eleemosynam recipiebant quam alii.

Prob. 4ª *pars*, scilicet *non lege generali prohibitæ.* 1° *Quoad Ecclesiam Latinam*, id satis communiter admittitur, eo quod nulla lex, nulla auctoritas proferatur quæ talem exhibeat prohibitionem: solummodo citantur quædam Hispaniæ Concilia, sub finem sæculi vii. habita, quæ

prohibere videntur ne regina viro suo superstes secundum ineat matrimonium; sed illam disciplinam jamdiu abrogatam supponunt auctores. 2° *Quoad Ecclesiam Græcam*, quamvis quidam teneant secundas nuptias fuisse quibusdam in locis prohibitas, communius tamen id negant, quia nulla satis expressa affertur auctoritas, et parum verisimile est latam fuisse hujusmodi legem post canonem Concilii Nicæni contra Novatianos. De tertiis autem nuptiis, graviores adsunt rationes judicandi eas fuisse prohibitas jure ecclesiastico: sunt enim quidam Patres quorum verba in sensu obvio atque proprio illud indicare videntur. Vi autem præsentis disciplinæ, tertiæ nuptiæ non nisi in certis casibus validie contrahi possunt; et a pluribus sæculis, quartæ nuptiæ pro invalidis habentur.

CAPUT III.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

69. Matrimonium, ut jam diximus, inducit 1° vinculum seu nexum inter conjuges; 2° jus ad usum, seu debitum conjugale; 3° jus ad individuam vitæ societatem et mutua officia. Hinc triplex distinguitur matrimonii dissolutio, seu divortium: 1° *quoad vinculum*, ubi conjuges ita restituuntur libertati, ut novas possint inire nuptias; 2° *quoad torum*, ubi manente nexu conjuges liberi sunt a debito conjugali; 3° *quoad habitationem*, quando conjuges sub eodem tecto vivere desinunt. Prima dissolutionis species vulgo apud nos nomine *divortii* designatur: duæ posteriores nomine *separationis* intelliguntur. Quæstio est ergo, utrum et quatenus matrimonium sub his diversis respectibus sit indissolubile.

Quidquid dicendum occurrit duplici articulo complectemur: agemus 1° de indissolubilitate matrimonii quoad vinculum; 2° de dissolutione quoad torum et habitationem.

ART. 1. *De indissolubilitate matrimonii quoad vinculum.*

70. Expendendum habemus quid generatim statuat lex naturalis aut divina de indissolubilitate matrimonii, et an quasdam exceptiones patiatur ista indissolubilitas etiam sub leve Evangelica. Agemus igitur 1° de indissolubilitate matrimonii generatim spectata; 2° de casu adulterii; 3° de casu, ut aiunt, Apostoli, id est, de ma-

trimonio duorum infidelium, quorum alter christianam fidem amplectitur; 4° de professione religiosa; 5° de dispensatione Summi Pontificis.

§ 1. *De indissolubilitate matrimonii generatim spectata.*

71. Cum hæc quæstio valde affinis sit illi quam supra expendimus de polygamia simultanea, eumdem sequemur ordinem.

Hic autem confutandos habemus præsertim Lutherum, qui contendit matrimonium etiam ex lege Evangelica non ita esse indissolubile, quin plures divortii causas admittat; et varios recentiorum temporum pseudophilosophos, qui divortium exhibent tanquam naturæ consentaneum, et bono sive conjugum, sive societatis moraliter necessarium, ideoque insurgunt adversus religionem Christianam quæ divortium omnimodem reprobat.

Inter catholicos vix ulla est de jure divino controversia. Quod spectat autem ad jus naturale, agnoscunt omnes, et facile intelligitur ex dictis, matrimonii indissolubilitatem non esse repetendam ex jure primario; sed de jure secundario major difficultas: quamvis enim fateantur omnes matrimonium ex eo jure habere quamdam indissolubilitatem, in eo sensu quod ex natura sua non sit contractus ad arbitrium contrahentium sicut alii contractus rescindibilis, sed quamdam exigat firmitatem, nihilominus in controversiam inter eos venit quousque extendenda sit ea firmitas, et præsertim an sit omnino absoluta.

Errores memoratos confutare nostra interest præcipue: simul tamen breviter exponemus quid eligendum videatur inter varias theologorum opiniones.

Propositio I.—*Indissolubilitas matrimonii, præsertim consummati, ipsimet juri naturali innititur.*

Prob. Illud juri naturali tribuendum, quod postulant 1° æqualitas contractus; 2° unio conjugum; 3° educatio filiorum; 4° boni mores; 5° pax familiarum. Atqui hæc omnia indissolubilitatem postulant, seu, quod idem est, his omnibus repugnat facultas divortii.

I. Divortium abrumpti *æqualitatem contractus.* Matrimonium est societas : ergo ut in ea servetur æqualitas, ita debet esse ordinata, ut, si dissolvatur, quælibet pars possit sua bona extrahere, et æqualiter reponi in statu in quo erat antea : atqui illud in matrimonio est impossibile ; vir quidem nihil amisit, mulier autem a sua dignitate excidit, et vix quam suam pecuniam inde asportare valet : notum est enim mulierem jam nuptam, et præsertim dimissam, despectam esse, et vix invenire qui eam ducere velint.

Et vero vel permittetur viro tantum uxorem dimittere, vel utrique : si 1°, jam non-adest æqualitas in contractu ; si 2°, jam illius naturæ derogatur, cum uxor non debeat in virum sic quamdam exercere auctoritatem.

II. Obest quamplurimum *unioni conjugum :* quod multiplici ratione ostendi potest. 1. Quia favet conjugiis disparibus, gallice *mal assortis.* Nihil magis unionem conjugum impedire potest, quam si duo conjuges sibi mutuo non conveniant : porro huc sæpissime adducet divortii facultas : majori enim cura instituuntur conjugia cum cognoscitur inde conjugum felicitatem aut infelicitatem perpetuam pendere ; dum e contrario infelicis conjugii consectaria minus cavebuntur, si fas sit illud post aliquod tempus disrumpere. 2. Quia conjugum amorem restringit. In eo præcipue consistit eorum felicitas, quod sibi intime sint conjuncti, et sint cor unum et anima una, sicut sunt una caro ; porro illa animorum conjunctio vix subsistere potest cum divortii facultate : quis enim tam intime illi adhæreat, qui quolibet instanti potest discedere ? tunc ita datur amor quasi deberet odium succedere, ut ait quidem paganus 3. Quia leves discordias adauget. Si matrimonium sit indissolubile, timent conjuges ne per discordias gravissimum et intolerabile fiat jugum quod excutere non valent ; dum contra, concesso divortio, levissimæ discordiæ gravissima evadent jurgia, quia conjuges sibi felicitatem alibi pollicebuntur quam hic impossibilem effingent.

III. Facultas divortii multum obest *educationi filiorum.* Certum est infantem indigere utriusque parentis auxilio : satis non est ut a matre enutriatur, nisi adsit cura patris, ad quem præcipue pertinet educatio mora-

lis, et cujus auctoritas in multis est necessaria: porro ad hoc requiritur ut inter conjuges adsit naturale vinculum, non ad breve tempus, sed diu et per totam vitam; nam antequam omnium infantium perfecta fuerit educatio, sæpissime in eo statu sunt illorum parentes, ut jam non sint amplius ad matrimonium habiles, aut saltem mutuis officiis invicem indigeant: et aliunde si separari possent, perfecta educatione, quot nascerentur controversiæ ad judicandum quandonam fuerit sufficiens educatio! Ergo, etc.

Et vero utrilibet parentum adhæreant filii, vix possibile est ut ad alterum odio prosequendum multimode non incitentur, sicque a præstandis pietatis vere filialis officiis non removeantur. Insuper si patri adhæreant, quid non ipsis metuendum ex invidia novercæ? Si vero adhæreant, matri, quomodo poterit hæc ferre omnia matrimonii onera? quid præterea ex parte secundi mariti, qui timebit ne, ob ipsorum curam, proprii filii negligantur? Ergo utrinque multa et gravia mala fili imminent. Ergo, etc.

IV. Facultas divortii in *morum depravationem* vergit. 1. Quia matrimonium vertit in concubinatum. Quis enim pro palliato concubinatu non haberet matrimonium per unum, duos, tres aut quatuor annos duraturum? Porro facultas divortii eumdem effectum producit; poterit enim matrimonium abrumpi post unum aut quosdam annos, ut facile perspiciet qui attenderit quanta sit hominis inconstantia. 2. Quia dat locum innumeris criminibus. Per eam facultatem laxatur habena cupiditatibus: eo facilius adulterio se tradent conjuges, quod matrimonii dissolutionem sperabunt. Dabitur locus innumeris instigationibus, quas cohiberet matrimonii indissolubilitas. 3. Quia mulierum communitatem potest inducere. Hanc horret natura, hanc nemo hodie excusare ausit: attamen uxor si a marito dimittatur, poterit alteri nubere, et ab isto dimissa, ad priorem redire, et sic pluries: ita mulier quasi communis erit tribus, quatuor, aut pluribus maritis; ergo, etc.

V. Divortium perturbat *pacem familiarum*. Matrimonia varias familias inter se coadunant, aliquando lites et inimicitias exstinguunt, et nemo ignorat per hujusmodi fœdera præcipue effformari et veluti constringi

vincula pacis et concordiæ inter varia ejusdem societatis membra: porro ex divortio effectus omnino contrarii sequentur; etenim per divortium mulieri præsertim infamia inuritur, quæ in totam familiam redundat, et hinc odia et vindictæ privatæ orientur, et maxima mala in societatem.

Hæc sunt præcipua incommoda quæ ex facultate divortii sequuntur: pleraque totius societatis bonum respiciunt; ac proinde prævalere debent incommodis peculiaribus, quæ ex indissolubilitate aliquando experiri possunt quidem privati, qui per hæc inducendi sunt tantum ad matrimonia magis caute et prudenter instituenda. Hinc non mirum quod, apud eos etiam populos quibus lex permittebat divortium, huic semper insita sit quædam ignominia in existimatione communi, ut ex variis historiæ monumentis constat.

72. Dixi in propositione: 1° *Matrimonii praesertim consummati* quia pro eo præcipue militant rationes allatæ. Attamen quædam respiciunt etiam matrimonium ratum; unde in utroque ad jus naturale indissolubilitatem refert BENEDICTUS XIV. q. 546, n° 33.

Dixi 2°, *Innititur juri naturali;* quæ verba in omni theologorum sententia vera sunt, et sufficiunt ad obtinendum scopum quem præcipue a nobis intentum diximus.

Ut autem exponamus quousque sint urgenda, seu quatenus indissolubilitas matrimonii præcepta sit jure naturali, libenter distingueremus inter divortium auctoritate privata, et auctoritate publica: prius judicamus juri naturali contrarium, quia tot et tanta sunt illius incommoda, et tam proxime ex illa facultate semel concessa consequuntur, ut juri naturali repugnare facile concipere debeat, ut nobis videtur, qui illa omnia perspexerit, et attenderit hæc esse inspicienda moraliter, seu prout, positis hominibus ut sunt, solent accidere. Quoad posterius autem, major adest difficultas, quia concipitur per publicam auctoritatem ita posse restringi et ordinari divortii facultatem, ut tollantur aut minuantur quædam ex allatis incommodis: unde non ita aperte auderemus pronuntiare. Cæterum sive indissolubilitas matrimonii dicatur ex jure naturali, sive non, magni non est momenti, cum sit satis aperta lex divina, quæ omnes obligat, et de qua nunc dicendum habemus.

73. PROPOSITIO II.—*Matrimonium ex primæva Dei institutione est indissolubile.*

Prob. Ita omnes theologi catholici. 1° *Ex illius institutionis historia, Genes.* ii. 18 et seq. Eva formatur ex

ipsomet corpore Adami ; inde agnoscit Adamus quid Deus per hæc designare voluerit, et concludit, non solum pro se, sed pro futuris in posterum matrimoniis, per verba quibus magis expresse adhiberi nequeunt ad indicandum quam arcta et firma debeat esse illa unio : *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc. Porro hæc ab Adamo non nisi Deo inspirante prolata esse constat ex ipsius Christi testimonio. Ergo, etc. 2° *Ex verbis Christi.* Magis expressa desiderari non possunt. Etenim *Matth.* xix. 3 et seq., et *Marc.* x. 4 et seq., relatis verbis Adam, aperte concludit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Cumque reposuissent Judæi Moysem mandasse dare libellum repudii, statim respondet : *Ab initio non fuit sic.* Ergo, etc. 3° *Ex concilio Tridentino*, cujus verba protulimus (n° 1) : " Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : *Hoc nunc os*, etc." Ergo, etc.

74. Propositio III.—*Matrimonium sub lege Mosaica dissolvi poterat per libellum repudii, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiae, non tamen sine certis limitationibus.*

Prob. 1ª *pars*, de qua nulla potest esse difficultas, nempe pro *foro externo.* Legitur *Deuteron.* xxiv. et seq. " Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duexerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certo mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino." Porro ex his verbis intelligitur Moysem concessisse, aut concessam supposuisse facultatem repudii, quo ipsum matrimonii vinculum dissolvebatur, saltem in foro externo. Illud constat tum ex ipso nomine divortii ; tum ex verbis legis, quæ aperte supponunt uxorem posse alteri vire nubere ; tum ex eo quod *Levitic.* xxi. 7, prohiberetur sacerdotibus uxorem repudiatam ducere, quod supponit aliis fuisse licitum ; tum denique ex praxi constanti Judæorum.

Prob. 2ª *pars*, de qua est tota difficultas, nempe quoad *forum conscientiae*. De ea dissentiunt inter se Patres : dissentiunt et theologi. Non desunt qui putent meram fuisse tolerantiam : ita Estius, Sylvius, et alii, præsertim ex antiquis, apud quos hanc fuisse opinionem communiorem testatur Bellarminus, l. i. c. xvii. *Obj.* 14. Alii tamen, ut videtur, longe communius, præsertim inter recentiores, propugnant fuisse veram permissionem ; illaque opinio probabilior nobis videtur.

1° Magis congruit *verbis legis*. Nam l. divortium vocatur abscissio, divisio. 2. Qui dimissam ducit vocatur pure et simpliciter maritus, et potest ipse dare libellum repudii ; quod soli vero marito competebat. 3. Prior maritus prohibetur recipere in uxorem ; quod supponit jam non fuisse uxorem.

2° Magis congruit *interpretationi Judæorum*. Nam 1, habemus interpretationem quasi practicam Prophetarum dum enim Judæis exprobant crimina longe minora, non videmus quod unquam exprobraverint secunda illa matrimonia, quæ, in adversariorum sententia, fuissent vere adulterina, et quæ satis frequentia fuisse constat. 2. adest etiam auctoritas ecclesiæ Judaicæ, etiam tempore quo erat vera ecclesia : nam quæ scholæ, Schammai scilicet et Hillel, in hoc consentiebant, et non dissentiebant nisi circa causas.

3o Magis congruit *rationi et æquitati*. Nam 1. in adversariorum sententia, lex tolera visset adulteria publica : porro, præterquam quod illud omnio incredibile est in lege qua adeo severe puniebatur adulterium, nulla assignari posset hujus dispositionis ratio sufficiens : nam ex una parte, mariti cui licita erat polygamia, nihil intererat an uxor dimissa posset denuo nubere, necne ; ea quoad torum et habitationem dimissa, consequebatur maritus quidquid optare poterat : ex altera parte, vitæ uxoris satis consulebatur per separationem a toro et domo mariti. 2. Iniquissima sane fuisset mulierum conditio : cum enim mulieri non liceret plures virus habere, repudiata debuisset perpetuo se continere, vel fieri adultera : porro vix credibile est legem Mosaicam voluisse repudiatas ad perpetuam continentiam obligare, præsertim cum verisimiliter non raro absque sua culpa repudiarentur, eo quod casus repudii

non essent in lege modo certo et inconcusso determinati. 3. Vir prohibebatur uxorem denuo recipere: porro in adversariorum sententia, difficillime explicatur illa prohibitio: esto enim quod non teneretur recipere repudiatam a secundo marito; ut non debuisset prohiberi, cum sæpe ad id compellere posset charitas, ne infausta mulier, et facti forsan pœnitens, in perpetua peccandi occasione relinqueretur. Ergo, etc.

Dixi *Non tamen sine certis limitationibus:* facultas enim divortii non omnibus erat concessa, nec qualibet de causa, variisque erat formalitatibus adstricta, et cautionibus munita.

75. I. *Non omnibus* concedebatur facultas divortii. Sic 1o non concedebatur uxori erga maritum: ita sequitur ex ipsismet verbis legis, et constanter intellexere Judæi. Ita merito statuit Moyses: tum quia sic servatur ordo a Deo constitutus in matrimonio, ex quo uxor auctoritatem non debet exercet in maritum: tum quia ideo, ut advertunt auctores, Moyses permisit aut toleravit facultatem divortii, quia alioquin sæpe magnum periculum, ipsius aliquando vitæ, subiisset uxor ex immanitate mariti: porro illa ratio non militabat ex parte uxoris, cui satis providebatur permissa separatione quoad torum et habitationem; igitur, ultra non progrediens Moyses, servavit, quantum potuit, primævam matrimonii institutionem: tum demum quia mulieres multo facilius abusæ fuissent illa licentia, quiam viri, qui, cum plures uxores ducere possent, mœmorem de una conceptum poterant alterius solatio lenire. Sic 2o ipsi viro non permittebatur divortium, quando injuste accusaverat uxorem quod eam non invenisset virginem, *Deuteron.*, xxii. 19; vel quando ante matrimonium cum ea commercium habuerat, *ib.* 29.

II. *Non qualibet de causa.* Quænam autem esset illa causa, non satis constat: illud pendet a sensu qui tribuitur illi verbo Deuteronomii, *aliquam fœditatem.* Per hoc designari aliquid turpe ex omnibus versionibus constat; sed scindebantur doctores Judæi: quidam intelligebant solum libidinam seu impudicitiam; quidam vero putabant comprehendi multa alia minus gravia, et intelligendam esse fœditatem non solum moralem, sed et physicam. Prævaluisse videtur hæc posterior opinio ultimis præsertim temporibus. Hinc frequentius factum est divortium; sed contra mentem legis, quæ certissime exigebat causam gravem, et contra reclamationes Prophetarum.

III. *Variis formalitatibus* adstricta erat facultas divortii. Scilicet 1. vir dimittens uxorem scriptum tradere debebat libellum repudii: in eo sensus, dicitur in Evangelio Moysem mandavisse libellum repudii. Per hanc scripti necessitatem, non solum providebatur statui uxoris, sed et difficilius et rarius evadebat repudium. 2. Plura requirebantur ut valeret ille libellus: decem circumstantias enumerant Rabbini, quæ concurrere debebant, et quæ eo præcipue tendebant ut etiam ex his difficilior efficeretur illius facultatis usus.

IV. *Variis cautionibus* honestati publicæ lex consulebat. Sic 1o quando secundum matrimonium inierat uxor, prior maritas non poterat eam recipere in uxorem: per hanc cautionem difficilius reddebatur divortium, et providebatur honestati publicæ; alioquin prior maritus videri potuisset uxorem suam alteri quasi commodasse. 2. Uxor quæ

novum inierat matrimonium, contrahebat impuritatem legalem; ita deducitur ex textu Deuteronomii jam allato, et ex *Jeremia* iii. 1: verum illa impuritas non erat absoluta, nec impediebat quin uxor, dimissa a secundo marito, vel eo mortuo, posset alium ducere; sed respiciebat tantum priorem maritum.

76. Superest ut ad solvendas alterius opinionis difficultates, et quæstionem apertius enucleandam, quædam observemus.

1° Uxor repudiata, quæ ducit alterum virum, dicitur quidem in textu Deuteronomii *polluta et abominabilis coram Domino.* Verum illa verba quidam intelligunt de pollutione legali tantum, et quidem respectu solius prioris mariti. Alii probabilius dicunt eum esse sensum, ut abominatio sit uxorem redire ad priorem maritum, propter rationes jam indicatas: in textu enim primigenio et antiquis versionibus legitur: *Quia abominatio hoc est coram Domino.*

2° Eodem sensu intelligi potest Jeremias: nihil diserte pronuntiat de divortio; sed ex eo quod viro non liceret uxorem recipere, arguit quanta sit Dei benignitas, qui recipit populum qui fornicatus erat, id est, coluerat deos alienos.

3° Malachias, ii. 13. et seq. contra eos invehitur qui *despiciebant uxorem pubertatis suæ*, et ait: *Uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum ejus.* Per hæc verba, non reprobat propheta divortium præcise in se, sed quale fiebat, scilicet temere et absque causa, ad ducendas uxores alienigenas, quas designat in versibus præcedentibus per hæc verba *filiam dei alieni.* Imo, juxta eruditissimos interpretes, hic non agitur præcise et directe de divortio, sed propheta invehitur in Judæos qui ad servitutem redigebant, seu ad meræ ancillæ ordinem, uxorem juventutis suæ, ut ducerent uxorem alienigenam; quasi diceret: Si vobis displicet prior uxor, potius dimittite eam; hoc erit minus malum, et ipsa feret insignia injustitiæ vestræ, si dimittitis sine casu; sed nolite eam despicere, a suo ordine dejiciendo.

4° Ait quidem Christus Moysem non permisisse divortium nisi *ad duritiam cordis:* sed inde non sequitur non fuisse vere permissum. Indicat tantum divortium esse quid minus perfectum, et primævæ matrimonii institutioni minus consentaneum; ideoque Moysem hanc facultatem non concecisse, nisi ut se accommodaret eorum infirmitate et duritiæ cordis, ad vitanda scilicet majora mala.

Observandum denique non constare apud auctores, an ea permissio respiceret ipsos Gentiles, apud quos divortium in usu fuisse certum est. Ipsis licitum fuisse negant multi, eo quod de hac dispensatione nihil expressum exstet in sacris litteris. Verum observant alii, non magis quid expressum exstare circa polygamiam, quam tamen ipsis Gentilibus permissam jam (n. 64) diximus: unde idem hic dicendum probabiliter judicant. Quidquid sit, certum satis est divortium, quale vigebat apud varios populos, plerumque fuisse illicitum, eo quod fieret sine gravi causa, et eo modo qui multa secum afferebat incommoda.

77. Propositio IV.—*Sub lege Evangelica, matrimonium saltem consummatum, in christianis ita est indissolubile, ut nulla auctoritate humana dissolvi possit.*

Prob. 1° *Ex verbis Christi.* Legantur illius verba *Matth.*, v. 31, et xix. 3 et seq.; *Marc.*, x. et seq.; *Luc.*, xvi. 18, et manifestum fiet ipsum statuere matri-

monii indissolubilitatem. Nam. I. asserit matrimonium ab initio fuisse indissolubile, et divortium non fuisse a Moyse permissum nisi ob duritiam cordis; et postea illud revocat ad primævam institutionem. 2. Declaret eum esse adulterum qui uxorem dimittet, vel dimissam ducit; quod verum esse nequit nisi matrimonium sit indissolubile. Verba Christi sunt absoluta apud S. Marcum et Lucam; in S. Matthæo autem ad summum paterentur exceptionem in casu adulterii, quod non impediret legem generalem. Ergo, etc.

2° *Ex S. Paulo*, I. *Cor.*, vii. 10, in allatis Christi verbis agnoscit matrimonii indissolubilitatem: iis qui matrimonio juncti sunt, *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptum.* Et postea, 39, *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Demum Rom., vii. 2 et seq. *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro.* Verba illa sunt omnino generalia, nec ulla explicatione indigent.

3° *Ex traditione.* Innumera afferri possent SS. Patrum testimonia, quæ collegit GIBERT, t. iii. p. 22 et seq. Adnotare sufficiat, 1. si excipiatur casus adulterii, Patres esse unanimes in eadem sententia: porro hoc nobis nunc sufficit; 2. plurimos ex iis, leges quæ in certis casibus repudium permittebant, eo modo insectatos esse, qui plane ostendit quam certo tenerent matrimonium esse indissolubile.

Hinc Concilium Tridentinum illud expresse statuit *sess.* xxiv. tum in *Doctr. de sacram. matrim.*: "Matrimoni perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit...Christus....ejusdem nexus firmitatem....his verbis confirmavit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;*" tum can. 5: "Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit."

Dixi 1° *Saltem consummatum*, quia non desunt auctores qui contendant matrimonio tantum rato non competere perfectam indissolubilitatem.

78. Quomodo ad id deducti sint intelligetur ex iis quæ dicemus circa dissolutionem matrimonii rati per professionem religiosam. Nituntur autem 1. verbis legis divinæ, quibus statuitur indissolubilitas eo quod conjuges sint duo in carne una. 2. Ex motivis legis. Motiva quæ præcise ad jus divinum spectant, desumuntur ex eo quod matrimonium sit signum unionis Christi cum Ecclesia: porro duplex distinguitur unio Christi cum ecclesia, alter physica per incarnationem, altera moralis per gratiam: jam vero prior non repræsentatur per matrimonium ratum, sed solum per consummatum; posterior autem licet firma et indissolubilis ex parte Christi, potest abrumpi ex parte animæ fidelis per peccatum mortale. 3 Ex SS. Pontificibus et SS. Patribus, qui præcipue repentunt indissolubilitatem ex eo quod conjuges sint una caro, id est, ex consummatione; sicque innuunt ea seclusa non esse omnino indissolubile.

Attamen dicendum videtur, cum communiori sententia, matrimonium, etiam non consummatum, esse indissolubile ex jure divino. Probari potest 1° ex institutione matrimonii. Verba allata protulit Adamus, etiam ante consummationem matrimonii, cujus firmitatem concludit ex eo quod Eva educta sit de ejus corpore, *Hoc nunc os....propter hoc....* 2° Ex lege Christi Christus, *Matth.*, xix. 4, et creatione et matrimonio Adami et Evæ deducit matrimonii firmitatem: *Non legistis..propter hoc..* Loquitur quidem de consummatione, sed non tanquam firmitatis principio sed potius consectario. 3° Ex S. Paulo. *Rom.*, viii. 2, 3, loquitur absque ulla restrictione: item I. *Cor.*, vii. 3 et 10; supponit tantum jus in corpora, quod per contractum acquiritur, non per consummationem, cum usus jus necessario supponat. 4° Ex SS. Patribus: multi loquuntur generatim absque ulla restrictione; ideo autem sæpe mentionem faciunt de consummatione, quia sæpius consummari contingit. Multi quoque eas rationes indissolubilitatis afferunt quæ conveniunt etiam matrimonio non consummato: v. g. quod Eva educta sit e corpore Adami; quod uterque conjux jus habeat in corpus alterius; quod Deus unum tantum hominem unamque mulierem creaverit, antequam matrimonium instituerit, etc. Hinc Benedictus XIV. q. 546, n° 35, asserit matrimonium ratum, juxta veriorem sententiam, esse indissolubile ex jure divino.

Dixi 2° *In Christianis*, quia docent quidam theologi matrimonium infidelium etiam consummatum ab Ecclesia, sive a S. Pontifice, dissolvi posse. Sed alii id negant: nec videmus SS. Pontifices hac potestate unquam usos fuisse (vid P. M. n° 277).

Dixi 3° *Ut nulla auctoritate humana...* quia cum ista lex non fundetur jure naturali primario, Deus potuit ei apponere quasdam exceptiones; utrum autem reipsa apposuerit, intelligetur ex dicendis in paragraphis sequentibus.

Solvuntur objectiones.

79. *Obj.* 1. *Ex legibus et usu variorum sæculorum.* 1° Plures christiani imperatores, ut Constantinus, Theodosius, etc., leges tulerunt quibus permittebatur aut permissa supponebatur conjugum separatio, etiam quoad vinculum. 2° Leges haud absimiles adhuc vigebant in

Galliisoctavo sæculo, ut patet ex formulis Marculphi, inter quas reperitur formula divortii. 3° Iis autem legibus non est dubium plures praxim suam accommodasse : sic circa finem sæculi quarti Fabiola, viro ob depravationem repudiato, ad alias nuptias convolavit. 4° Sic ipse Carolus Magnus, qui ut sanctus in pluribus ecclesiis colitur, dimissis duabus uxoribus viventibus, tertium duxit. Ergo dici nequit legi divine repugnare divortium.

R. Nec per leges humanas, nec per exempla quæcumque, infirmari posse legem divinam, qua indissolubile statui matrimonium invicte ostendimus. Unde.

Ad I. 1° Varias illas leges numquam approbavit Ecclesia ; imo adversus illas reclamarunt SS. Doctores. Earum occasione dicebat S. Hieronymus : *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi ; aliud Papinianus aliud Paulus noster præcipit.* Eodem sensu locuti sunt S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, Nicolaus I., etc. 2° Pleræque ex illis legibus, ex parte imperatorum christianorum, erant ex mera tolerantia : non existimarunt illi principes posse, absque graviori incommodo, statim penitus aboleri consuetudinem longo usu firmatam : qua propter in foro externo malum illud, sicut plura alia, metu mali gravioris, tolerarunt; sed exinde contra legis divinæ existentiam nihil concludi potest.

Ad II. In formula Marculphi dicitur locum esse repudio *probatis causis*, sed non explicatur quænam sint illæ causæ : nil obstat quin dicatur eas fuisse aliquod impedimentum dirimens, matrimonio præexistens. Si aliter intelligenda videatur dicta formula, huic applicandum quod mox dicebamus : forum externum tantum et civile respiciebat.

Ad III. Varia exempla nihil probant contra regulam. Aliunde multa alio modo possunt explicari. Fabiolam redarguit S. Hieronymus, et eam Romæ, propter illud factum, publicam egisse pœnitentiam testatur.

Ad IV. Non constat apud eruditus qualis præcise fuerit agendi ratio Caroli Magni : illud procerto tenendum, vel non nisi successive eum plures habuisse uxores, unum scilicet post alterius mortem ; vel priorem aut priores fuisse ab eo dimissas, propter aliquod impedimentum ante matrimonium existens ; vel demum, si aliter egerit, maculam esse in vita celeberrimi illius imperatoris, quam pœnitentia eluisse persuasum habent ecclesiæ quæ eum ut sanctum venerantur.

Obj. 2. *Ex usu Poloniæ.* In provinciis Polonorum catholicis quotidie, videntibus et annuentibus episcopis, dissolvuntur matrimonia et nova contrahuntur, non tantum propter adulterium, sed ex variis aliis causis ; illud est factum satis notorium : ergo apud ipsos Catholicos licet in dubium revocare indissolubilitatem matrimonii.

R. 1. Etiamsi divortium frequens esset apud Polonos, nihil exinde concludi posset, quia non probatur locum habere sciente et approbante, aut saltem non improbante Ecclesia ; unde essent penitus deserendi, et prout varias causas divortii admitterent, de iis ferendum esset judicium, secundum canones V. et VII. Concilii Tridentini.

R. 2. Prorsus falsum est Polonos catholicos admittere facultatem divortii, et in hoc a cæteris Catholicis dissentire. Nam 1° nulla citatur auctoritas quæ illud ostendat ; 2° in contrarium multa citantur apud auctores testimonia scriptorum omnimoda fide dignorum ; 3° quamvis non necessarium, facile tamen assignari potest quid dare causam potuerit huic allegationi : mutiplex affertur. Prima hæc est : cum plurimi Judæi, Protestantes, et Græci schismatici, qui divortii legem sequuntur, permixti degant cum catholicis, facile evenire potuit ut viatores, sæpius non ita cauti, omnibus, etiam Catholicis, idem adscriberent. Secunda est,

quod sæpe prætenduntur et facilius pronuntiantur matrimonii nullitates; quod oritur potissimum, sive quia non satis observatur decretum Concilii Tridentinii de promulgatione bannorum et de præsentia proprii parochi, quod facile eludunt multi ob domiciliorum pluralitatem; sive ex allegatione metus sub quo initum prætenditur matrimonium. Abusus illos graviter reprehendit, hisque mederi conatus est BENEDICTUS XIV. tribus successive constitutionibus ad episcopos Poloniæ directis, 11 April, 1741, 3 Novembris, 1742, 18 Maii, 1743. *Bullar.* t. i. *Const.* xvi., xxxiii., lxxxv.

§ 2. *An Matrimonium dissolvi possit propter adulterium.*

80. Huic controversiæ occasionem præbuit duplex textus S. Matthæi; alter, v. 32: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat;* alter, xix. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* Ex falsa eorum locorum interpretatione, orti sunt varii errores, qui ad triplicem classem reduci possunt.

Prima classis est Græcorum, qui existimant matrimonium adulterii causa dissolvi, adeo ut liceat ad alias nuptias transire. Incerta est hujus consuetudinis origo.

Secunda est Protestantium, qui inter se nec ipsimet secum concordes sunt: Lutherus enim docet matrimonium dissolvi variis de causis; Calvinus autem non aliam causam admittit quam adulterium.

Tertia est quorumdam Catholicorum, qui Græcorum partibus nimium faverunt: quatuor præsertim citantur, nempe Erasmus, Cajetanus, Ambrosius Catharinus et Launoius.

Ab his erroribus recedunt cæteri omnes Catholici, sed non consentiunt circa gradum certitudinis quæ doctrinæ communi competit. Mentem nostram duplici propositione aperiemus.

PROPOSITIO I.—*Matrimonii vinculum non potest in lege nova propter adulterium dissolvi.*

Prob. Cum ex dictis lex divina generatim statuerit matrimonii indissolubilitatem, certa erit nostra propositio, donec probetur vel ex Scriptura, vel ex tradi-

tione, excipiendum esse adulterii casum : atqui illud non probatur, imo contrarium plane evincitur.

1. *Ex Scriptura.* Tota difficultas, si qua sit, oritur ex textu S. Matthæi jam allato : jam vero ex hoc nihil concludi potest. 1° Quia, licet ea verba, *Nisi ob fornicationem*, referrentur ad ea quæ subsequuntur, quemadmodum ad ea quæ præcedunt, non ideo omnino confecta re esset : nil enim absolute vetat dicere cum S. AUGUSTINO, l. i. *de Adulterin. conjug.* c. ix. n 9, hæc verba intelligenda esse negative, non exceptive, adeo ut sensus sit : *Qui ducit uxorem dimissam propter aliam causam quam fornicationis, moechatur ; de eo autem qui ducit dimissam ob fornicationem, nihil pronuntio.* 2° Sed prorsus ruit difficultas, si illa exceptio possit restringi, et referri tantum ad ea quæ præcedunt : hoc enim posito, licitum quidem erit dimittere uxorem adulteram, sed non ideo novum iniri poterit matrimonium, et prius stabit semper quoad vinculum : atqui reipsa potest, imo et debet. 1. *Ex ipsismet textibus* qui objiciuntur. Satis patet in priori textu, v. 32. in quo exceptio respicit dimissionem, non vero novum matrimonium. Quamvis autem de altero, xix. 9, non ita apertum sit, potest tamen ostendi : nam ibi sunt duo ejusdem phrasis membra : igitur si particula exceptiva utrumque afficeret, poni debuisset post utrumque ; cum ergo ponatur post primum, ad illud restringenda est, juxta regulas sermonis, ut multis exemplis ostendi posset. 2. *Ex aliis textibus* Scripturæ. Ad summum dici potest textum S. Matthæi esse obscurum et ambiguum : jam vero hoc posito, debet explicare per textus aliorum Evangelistarum, et S. Pauli, qui sunt omnino clari : isti nullam restrictionem apponunt ; eam tamen omittere non debuissent, alioquin lectores in errorem inducerent, præsertim cum ii qui illorum opera legebant sæpe S. Matthæum non legerent, qui hebraice, et præsertim pro Judæis scripserat. 3. *Ex ratione et æequitate.* Ut ratiocinatur BELLARMINUS, in sententia adversariorum, dicendum esset mulierem dimissam propter adulterium posse inire novum matrimonium, non posse vero injuste dimissam : porro illud vix admitti potest ; hinc enim melior efficeretur conditio adultræ, quam innocentis ; et exinde conjuges quibus

grave videretur matrimonii jugum, excitarentur ad adulteria committenda. Illud reipsa confirmat experientia, in locis ubi viget divortium adulterii causa, ut in Anglia.

II. *Ex traditione.* Eam inspicere possumus tum quoad priora Ecclesiæ sæcula, tum quoad posteriora.

1° *Quoad priora saecula*, ne singulos textus sigillatim expendamus, rem conficiemus quibusdam observationibus. Itaque, comparatione instituta inter SS. Doctores quos allegant adversarii, et eos qui nobis aperte favent, contendimus multiplici ratione anteponendum esse testimonium eorum qui nobiscum sentiunt. Nam 1. si numerus spectetur, longe pauciores citant adversarii, qui non nisi quinque aut sex cum quadam verisimilitudine sibi vindicare possunt. 2. Si auctoritas attendatur, pro nobis stant SS. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, et alii celebriores simul et antiquiores, ut Hermas, Athenagoras, S. Justinus: ex parte adversariorum, Tertullianus, Lactantius, SS. Epiphanius, Asterius, et ad summum S. Basilius, cujus tamen mens valde incerta evadit, si varia illius testimonia invicem conferantur. 3. Si rerum adjuncta perpendantur, animadverti potest, leges imperiales errandi causam iis præbuisse qui pro matrimonii dissolutione stare visi sunt; nil vero simile nostris objici posse.

Idem, proportione servata, dici potest de Conciliis, de quibus illud addimus: quæ adversariis favent, pleraque eodem fere tempore et iisdem in regionibus habita sunt, ac proinde unum duntaxat traditionis ramum expandunt; quæ autem nos afferimus, variis sæculis congregata, variis terrarum tractibus, omnem traditionem quasi repræsentant; ergo, etc. Ergo etiam concedentes adversariis auctoritates quas allegant, causa vincimus; id unum exinde sequetur, non statim plane eliquatam fuisse præsentem quæstionem; quod in quibusdam aliis accidisse satis notum est.

2° *Quoad posteriora saecula*, prorsus inconcussa efficitur nostra sententia. Etenim ad summum ostendent adversarii dubiam esse priorum sæculorum traditionem: in ea hypothesi, interroganda erit posteriorum sæculorum doctrina, et fides Ecclesiæ, ad quam pertinet tradi-

tionem interpretari: porro de hac nulla moveri potest controversiæ; indicare sufficiat Concilium Florentinum et Tridentinum. Posterius sic loquitur, can. 7: "Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi .....anathema sit." Ubi observandum, Concilium non solum tradere nostram doctrinam, sed duo addere maximi momenti, nempe 1. ita *Ecclesiam docere et docuisse;* ex quo sequitur doctrinam Ecclesiæ non exhiberi in iis quæ in sui gratiam allegant adversarii; 2. hanc esse *doctrinam evangelicam et apostolicam;* ex quo deducitur quam immerito canonem illum veluti meræ disciplinæ interpretari voluerit Launoius. Ergo quæcumque dubia superesse possent de priorum sæculorum traditione, tolluntur per doctrinam sæculorum subsequentium: ergo 2° ex parte traditionis non adest locus apponendæ exceptionis.

Solvuntur objectiones.

81. *Obj.* 1° *ex Scriptura.* Textus S. Matthæi, præsertim xix. 9, debet intelligi in sensu Græcorum. Nam responsio Christi convenire debet interrogationi Judæorum; isti autem interrogabant de divortio apud Judæos fieri solito, quod veram matrimonii dissolutionem importabat: ergo Christus non potuit loqui de mera dissolutione quoad torum. Aliunde si de hac tantum esset locutus, non dixisset solam causam esse adulterium, cum constet plures alias dari. Ergo, etc.

R. Ad I. multiplex afferri potest responsio. 1° Juxta multos, etiam admissa nostra interpretatione, interrogationi Judæorum convenit Christi responsio, cujus hic est sensus et series; interrogatus an liceat uxorem dimittere quacumque ex causa, primum respondet promulgando indissolubilitatis legem, quæ est omnino generalis; Pharisæi ipsi opponunt dispositionem legis Mosaicæ de libello repudii; cumque duo includeret libellus repudii, perpetuum ab uxore discussionem, et facultatem ducendi alteram, quoad priorem partem respondet Christus non licere nisi ob fornicationem; quoad posteriorem, nunquam licere. 2° Juxta

quosdam, verba Christi allata non referuntur ad legem mosaicum sub qua adulter dici non poterat ille qui, dimissa uxore, alteram ducebat, cum licita esset polygamia; sed ad solam legem Christianam spectant. Christus igitur primum respondet Judæis, versu 8: sed versu 9, per hæc verba, *Dico autem vobis*, sermonem convertit ad suos discipulos. Sicque intelligitur series ejus responsionis.

Ad II. ideo Christus, in priori responsionis parte, solam allegat fornicationem, 1° quia hæc est sola causa ex se perpetua, ut pote fidem conjugalem solvens; porro de hujusmodi causa loquebantur Judæi, qualis nempe oriebatur ex libello repudii; 2° quia hæc est unica ratio peculiaris matrimonio ut tali; aliæ enim conveniunt cuilibet societati, adeo ut propter illas possit filius a pater, frater a fratre, etc., discedere.

Obj. 2° longum catalogum auctorum, sive Latinorum, sive præsertim Græcorum, quem texit Launoius, qui plus minusve expresse docuerunt matrimonium adulterii causa dissolvi posse.

R. Nostri non est propositi hunc tædiosum, ut vocat Tournely, catalogum percurrere, et singula testimonia discutere, de quibus videri possunt Tournely, Collet, Drouin, etc. Quædam indicare principia satis erit. 1° Quidam textus fuerunt a Launoio adulterati; 2° quorumdam suspecta est integritas seu authenticitas; 3° multi SS. Patres intelligi possunt et debent de dissolutione quoad torum, nec proinde nobis adversantur; 4° quidam loquuntur de licentia secundi matrimonii, non ex Evangelio, sed ex lege civili; 5° quidam varias agnoverunt causas priorem deserendi conjugem et ad novas nuptias convolandi; sed illæ causæ, in eorum mente, erant impedimenta dirimentia quæ matrimonium præcesserant; 6° quidam supponunt aut saltem supponere dici possunt mortem prioris conjugis; 7° tandem si qui supersint qui nullo ex indicatis principiis explicari possint, nihil exinde concludi potest, nisi quod quæstio foret eorum tempore adhuc obscura et nondum plane eliquata: nihil autem inde contra nos, ut patet ex dictis in probatione.

82. Propositio II.—*Indissolubilitas matrimonii, in casu adulterii, non fuit a concilio Tridentino definita tanquam de fide catholica.*

Antequam abstruamus illam propositionem, opportunum erit quædam prænotare.

1° Notandum cum Montagne, *de opere sex dierum, appendix*, distinguendum esse inter fidem divinam seu theologicam, et fidem catholicam : aliquid dicitur de fide divina, eo ipso quod revelatum est et continetur in Scriptura, quia eo ipso propter auctoritatem Dei credendum est : dicitur vero de fide catholica, quod non solum revelatum est, sed proponitur ab Ecclesia credendum ut in se et immediate revelatum. Qui prius negat, reus est sane, imo dici potest hæreticus in foro Dei, si veritas illi satis innotescat ; sed non est pure et simpliciter hæreticus, seu in foro Ecclesiæ, sed tantum qui posterius. Igitur, ut aliqua propositio sit de fide catholica, seu ut illius contradictoria sit hæretica, tria requiruntur : I. ut sit immediate et in se revelata ; 2. ut sit ab Ecclesia definita ; 3. ut ab Ecclesia proponatur tanquam de fide divina, seu tanquam immediate revelata.

Not. 2° cum *Theolog. Nanceiensi*, p. 101, vocem illam *error* alio sensu sumi a philosophis, alio a theologis : apud philosophos indicat quodlibet falsum judicium ; apud theologos vero, indicat propositionem quæ sit revelationi clare et certo opposita, et ut talis a Christo vel Ecclesia reprobata.

His prænotatis, adstruimus nostram propositionem cum eodem theologo Nanceiensi. 1° *Ex iis quae praecesserunt* canonem Tridentinum. Juxta Pallavicinum, *Hist. Concil. Trid.* l. XXII. c. IV. n° 27, canon fuerat ita adornatus, ut eum anathemate percuteret qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi ; deinde vero reformatus est, qualis nunc exstat, postulantibus Venetis oratoribus, qui observarunt Græcos, licet matrimonia dissolverent, non fuisse anathemate damnatos : ergo in mente Concilii fuit, ut nota hæreseos opinioni Græcorum non inureretur. 2° *Ex ipsomet canone.* Anathema inuritur tantum ei qui diceret *Ecclesiam errare, cum docet*...atqui exinde non deducitur propositionem esse de fide catholica. Nam. 1. aliud

est dicere adulterio dirimi matrimonium, aliud Ecclesiam errare cum docet contrarium, ut constat ex prænotatis : anathema non incurreret qui quæstionem haberet ut dubiam, et suam sententiam propugnaret ut opinionem. Igitur, ut visum est oratoribus Venetis, canon ille anathema infligit tantum temerariis vituperatoribus Ecclesiæ, quæ obtimis nixa fundamentis, eam doctrinam, tametsi non tanquam fidei dogma, tradit. 2. Licet asserat canon Ecclesiam docere *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam*, non statim sequitur illud ad ipsam fidem de qua loquimur pertinere ; ut enim aliqua propositio juxta evangelicam doctrinam doceatur, minime necessum est ipsam in revelatione immediate contineri, sed satis est si ex revelatione, ope ratiocinii, per consequentarium seriem deducatur: atqui talis propositio non est propositio fidei catholicæ. Ergo nihil est in canone, etc. 3° *Ex agendi ratione Ecclesiae post Concilium.* Si credidisset hunc articulum esse de fide catholica, post Concilium Græcos sibi subjectos, tanquam hæreticos, e sinu suo ejecisset, nisi suam opinionem abjicerent : porro nihil tale egit, quamvis vehementer reprehenderit, præsertim in insulis Italiæ adjacentibus. Hinc Benedictus XIV. in sua constitutione *de Dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis tenendis atque servandis*, § viii. n° 3, *Bullar.* t. 1, *Const.* lvii. non exigit ut opinionem suam abjurent tanquam hæresim.

§ 3. *De matrimonio inter duos infideles, quorum alter ad fidem christianam convertitur.*

83. Si post matrimonium valide initum uterque ad fidem convertatur, certum est matrimonium non dissolvi, quia ut ait Innocentius III, cap. *Gaudemus*, viii. *de Divortiis*, *Per sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur ;* sed quæstio respicit casum quo unus tantum convertitur. Huic locum dedit textus S. Pauli, I. *Cor.*, viii. 12 et seq. : *Caeteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam...Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujus-*

modi ; in pace autem vocavit nos Deus. Hinc quæstionem illam vocant multi canonistæ *Casum Apostoli.*

Docuerunt communissime theologi et canonistæ, post INNOCENTIUM III. cap. *Quanto*, vii. *de Divortiis*, et quosdam alios SS. Pontifices, matrimonium dissolvi posse, si pars quæ remanet in infidelitate nolit conversæ parti cohabitare, aut non nisi cum contumelia Creatoris, vel pertrahendo ad peccatum mortale.

Cum autem illa qæstio maximo animorum æstu agitata fuisset an. 1758, occasione Judæi conversi, cui nomen Borach Levi, contra matrimonii dissolutionem pronuntiavit Senatus Parisiensis, sed forsan, juxta quosdam auctores, ob rationes casui peculiares. Ea occasione, plura prodierunt scripta contra communem theologorum doctrinam, pleraque auctoribus jansenianis (vid. P. M., n° 256), quorum multa damnata fuere Romæ, in Indicelibrorum prohibitorum. Contra eos sit.

PROPOSITIO.—*Conjux conversus potest dissolvere matrimonium in infidelitate contractum, si alter infidelus nolit cum eo cohabitare aut nonnisi cum contumelia Creatoris, vel pertrahendo ad peccatum mortale.*

Prob. Illa sententia tenenda est, quæ gravi Scripturæ momenta innixa, nec traditionis auctoritate omnino destituta, invicte adstruitur praxi Ecclesiæ : atqui, etc.

1. Gravi *Scripturæ* momento nititur, nempe textu jam allato S. Pauli. Nam 1° Apostolus ibi concedit facultatem matrimonium dissolvendi, quoad vinculum, et non tantum quoad torum et cohabitationem : quod deducitur ex tota serie textus. S. Paulus scribens ad Corinthios mox conversos e gentilibus apud quos permittebatur divortium, nec vigebat simplex separatio, pure et simpliciter dicit, loquendo de infideli : *Si discedit, discedat*, dum ubi loquitur de fideli, ait : *Quod si discesserit, manere innuptam ;* nullam quoque restrictionem apponit his verbis : *Non est subjectus servituti :* porro hæc omnia naturaliter debuerunt intelligi de dissolutione matrimonii quoad vinculum. Etenim ex his, et ex toto contextu clare patet Apostolum velle

infideli converso aliquod privilegium concedere, et quidem quod non concedit nuptis post baptismum ; atqui nisi ageretur de dissolutione vinculi, privilegium non concederet : tum quia Apostoli declaratione opus non erat, ut agnosceretur eum liberari a cohabitatione quæ fit ipsi impossibilis ; tum quia, in adversariorum sententia, gravissimo potius oneri subjaceret, cum cogeretur vel invitus ac immeritus ab usu conjugii abstinere. Pariter nihil peculiare concederet neophyto : nam profecto apud fideles, quando unus e conjugibus non vult cohabitare, alter non tenetur ab cohabitationem. Ergo, etc. 2° Hanc facultatem concedit Apostolus pro triplici casu assignato : ita S. Paulum explicant Innocentius III., Benedictus XIV., et omnes theologi, et merito quidem : nam duo ultimo casus includuntur in primo ; in his enim pars infidelis discedit moraliter, si non physice, cum optime sciut aut scire debent fidelem non posse cohabitare cum tanto conscientiæ cruciatu. Ergo.

Confirmari potest nostra ex positio Apostoli, ex sententia omnium fere interpretum et theologorum, qui sic intellexerunt.

II. Nostra propositio *traditionis* auctoritate omnino non destituitur. Quamvis enim agnoscendum sit non exstare monumenta quibus constet prioribus Ecclesiæ temporibus dissoluta fuisse matrimonia de quibus nunc agimus ; quamvis fatendum sit etiam de eo casu siluisse plerosque ex Patribus (quod quomodo factum sit explicabimus, ubi de solvendis objectionibus) ; attamen non desunt omnino testimonia ; suppetunt enim textus SS. Ambrosii, Chrysostomi, Theophylacti, Œcumenii et quorumdam aliorum, qui vix intelligi possunt, quique sufficiunt ad explicandum quomodo Innocentius III., Benedictus XIV., et alii SS. Pontifices, item plerique theologi antiqui deducti sint ad agnoscendum privilegium de quo nunc agimus : eo magis quod inniti etiam potuerunt traditioni orali. Ergo, etc. (vid. P. M. n° 258).

III. Nostra propositio invicte adstruitur *praxi Ecclesiæ* recentioribus temporibus. Etenim praxis plurium insignium Ecclesiarum, cum dogmate et moribus connexa, a pluribus SS. Pontificibus approbata, tacente

imo et approbante universa Ecclesia, invictum est veritatis argumentum: illud principium sacræ Scripturæ et S. Augustini auctoritati innixum fusius exponitur in Tr. *de Ecclesia*. Atqui pro matrimonii dissolutione in nostro casu militat praxis hujusmodi. 1° Talis est praxis multarum ecclesiarum: ita omnes ecclesiæ institutæ apud gentes recens conversas, apud Indos, Sinenses, Americanos, etc. 2° Ea praxis connectitur cum dogmate, nempe cum quæstione de indissolubilitate matrimonii; et cum bonis moribus, quia, si non innitatur veritati, adulterina fovet conjugia. 3° Approbata est a SS. Pontificibus, qui post INNOCENTIUM III., non solum docent matrimonium in eo casu dissolvi, sed regulas tradidere missionariis observandas; ita præsertim GREGORIUS XIII., S. PIUS V., et præcipue BENEDICTUS XIV., in pluribus constitutionibus. Vid. *de Synod.*, l. vi. c. iv., et l. xiii. c. xxi. Ita constanter respondit S. Congregatio Concilii Tridentini interpres, videntibus et approbantibus SS. Pontificibus. Addi posset damnatos fuisse in Indice librorum prohibitorum plures libros, eo quod doctrinam nostram impugnarent. 4° Nedum reclamaverit Ecclesia, contra satis aperte approbat. Nam 1. ita statuitur in pluribus libris ritualibus variarum ecclesiarum. Occasione litis supra memoratæ, allegata sunt Ritualia Suessionense, Metense, Bononiense et Ebroicense, quibus plura alia facile addi possent. 2. Talis est usus in regionibus ubi degunt Judæi, v. g. in Alsatia: eadem occasione producta sunt testimonia quæ id probant pro diœcesibus Argentinensi, Virdunensi, Metensi, Tollensi. 3. Ita docent omnes theologi et canonistæ, qui id tanquam certum habent, ita ut ab aliqua temeritate non excusent paucos illos auctores qui aliter sentiunt; ac proinde ita observari debuit ubi casus occurrit. Ergo, etc.

Tertium illud argumentum ex *praxi Ecclesiæ* deductum, ad quod non satis attenderunt qui in præfata lite causas dixerunt, et cui non satis insistunt multi theologi, invictum putamus. Unde mirum non est, quod BENEDICTUS XIV., cujus tanta eruditio et prudentia in ponderandis theologorum opinionibus, aperte pro-

nuntiet certum esse matrimonium tunc dissolvi, *de Synod.*, l. vi. c. iv. nº 3.

84. Dixi autem in propositione, 1º *Conjux conversus*, quia apud omnes non constat an infidelis possit quoque novum inire matrimonium. Res adhuc in dubio est, ait BENEDICTUS XIV., *Bullar*, t. ii. *Const.* xxviii. § 58, et *Const.* xxxviii. Affirmandum tamen videtur, quia matrimonium reipsa est dissolutum.

Dixi 2º, *Potest dissolvere*, quia, cum privilegium, sit in gratiam conversi, non tenetur eo uti; neque ipso facto matrimonium dissolvitur, sed tantum quando conversus novum matrimonium init, juxta probabiliorem sententiam ut infra dicemus (nº 86).

Dixi 3º, *Matrimonium in infidelitate contractum*, quia si infidelis nupsisset cum infideli, licet textus S. Pauli sit omnino generalis, attamen nec INNOCENTIUS III., nec theologi de eo casu agunt: et non applicatur motivum privilegio: qui enim nupsit cum infideli, tali periculo se sponte exposuit, nec proinde potest conquerit.

Solvuntur objectiones.

85. *Obj.* 1º. Lex indissolubilitatis est absoluta; ergo non afferenda exceptio. Saltem lex a Deo lata est; ergo S. Paulus non potuit exceptionem apponere propria auctoritate, ex qua tamen sola loquitur eo loco, *Ego dico, non Dominus:* ergo intelligendus est tantum de separatione quoad torum et habitationem, de qua statuit disciplinam suo tempori accommodatam.

R. ad I. Non tollitur lex generalis, etiamsi quædam admittatur exceptio, modo non admittatur absque probatione sufficienti: porro satis probatam reputamus eam quæ a nobis affertur.

Ad II. S. Paulus vult solum dicere Christum nihil expresse statuisse de hoc casu; sed tamen ipse, statuens auctoritate apostolica, loquitur nomine Christi: unde ait in fine ejusdem capitis: *Puto autem quod et ego spiritum Dei habeam.*

Obj. 2º *ex silentio traditionis.* Si Apostolus tale privilegium concessisset aut promulgasset, certe ejus aliquod vestigium superesset prioribus Ecclesiæ sæculis, et SS. Doctores de eo mentionem fecissent: atqui tamen nullum citatur exemplum ante x. aut xi. sæculum; nihil fere occurrit apud antiquos Doctores, imo non pauci vel illud privilegium rejiciunt, vel saltem generatim dicunt matrimonium esse indissolubile absque ulla restrictione. Ergo, etc.

R. 1º *Quoad defectum exemplorum* in prioribus sæculis, nihil inde concludi potest. Nam l. in rebus practicis consuetudo traditione orali sufficienter conservatur. Hinc factum est ut plurima constanter fuerint observata in Ecclesia, quæ tamen non nisi serius scriptis mandata sunt.

2. Praxis hodierna invicte probat existentiam privilegii, quia alioquin Ecclesia debuisset in eam praxim animadvertere : quamvis autem nemo usus fuisset privilegio, non inde sequeretur illud non existere, quia non ideo reclamare debuit Ecclesia. 3. Exemplorum vestigia potuerunt temporum injuria deperire. Nec mirum quod prioribus sæculis hæc rariora fuerint : siquidem sæpe timere potuerunt recens conversi ne, novum matrimonium ineundo, infidelium animos offenderent, atque a fide christiana magis avocarent ; et insuper ipsi forsan leges ab Ecclesia contra bigamos latas incurrissent.

2° *Quoad* SS. *Patrum silentium ;* ut aliquid probaret, ostendendum esset postulavisse rerum adjuncta ut de præsenti casu loquerentur : porro nihil tale ostenditur ; plerique enim scribebant contra hæreticos, pauci Scripturam uno tenore exponebant : jam vero prioribus non se dabat occasio disserendi de præsenti privilegio ; inter posteriores vero non desunt qui de eo verba fecerunt.

3° *Quoad testimonia* quæ opponi possent, pleraque non sunt ad rem : alii dicunt non dirimi vel impediri matrimonium propter infidelitatem ; quod fatemur, cum sola non sufficiat infidelitas : alii dicunt fornicationem sive carnalem, sive spiritualem, seu infidelitatem, non dissolvere matrimonium ; quod intelligi potest de infidelitate quæ subsequitur matrimonium, seu apostasia : alii dicunt adulteram esse partem infidelem, si nubat ; quod verum esse potest, si nubat antequam pars conversa ad novum matrimonium transierit : alia demum testimonia sunt generalia, nec desinunt esse vera in nostra opinione.

Cæterum, licet admittatur traditionem priorum sæculorum esse dubiam, explicatur per praxim et doctrinam sæculorum posteriorum, et præsertim Ecclesiæ Romanæ : illud sane rationi et veris principiis est valde consentaneum, et a nemine vere catholico rejici potest.

Scholium.—*De variis quæstionibus quibus locum dedit præcedens controversia.*

86. Pauca de iis dicemus, nempe ut intelligatur theologorum doctrina, et perspiciatur sensus variarum decisionum Sedis Apostolicæ.

I. *De tempore quo dissolvitur prius matrimonium.* Aliquando evenit ut, parte conversa ad novas nuptias non transeunte, pars infidelis novum ineat matrimonium : si hæc postea convertatur, ut judicium feratur de secundo isto matrimonio, judicandum est an prius fuerit dissolutum, et quandonam, ut exponit Benedictus XIV., qui testatur ita evenisse Florentiæ anno 1726, *de Synod.* l. vi. c. iv. n° 4.

Triplex adest sententia : alii volunt dissolvi per ipsum conversi baptismum, modo constet alterum nolle converti ; alii tunc quando constat infidelem nolle cohabitare ; alii tandem tunc solum quando conversus novum init matrimonium. Hæc tertia opinio sola admittenda est. 1° Ita aperte supponit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, viii. *de Divortiis.* 2° Hæc est communis et communissima hodie theologorum et canonistarum opinio, ait idem Benedictus XIV. q. 546, n° 6. Ita decidit S. Congregatio Concilii an. 1680, *ibid.* n° 10, et an. 1726, in casu mox indicato ; et ita decidere etiam debent episcopi in suis synodis, ex *Synod*, l. vi. c. iv. n° 6. Ita demum declarat ipse Benedictus XIV., *Bullar*, t. ii. *Const.* xxviii. § 58. 3° Ex ratione. Cum privilegium sit in gratiam solius fidelis conversi, ne cælebs manere cogatur, ad hunc finem obtinendum sufficit ut eo instanti dissolvatur, quo novum init matrimonium.

87. II. *De casibus in quibus potest conversus privilegio uti.* Difficultas præcipua est, utrum, si altera pars nolit quidem converti, sed velit habitare pacifice, possit conversus novum inire matrimonium ?

Tres sunt ea de re opiniones. Prima pure et simpliciter affirmat. Secunda pure et simpliciter negat. Tertia varia tempora distinguit; prioribus sæculis non licebat, quia id versum fuisset in odium religionis et offensionem infirmorum; ideoque prohibitum erat in eo casu repudium, non quidem præcepto divino, sed humano per S. Paulum lato per hæc verba: *Cæteris ego dico, non Dominus:* posterioribus vero sæculis licuit; quia, cum graviora malo metuenda forent ex cohabitatione fidelis cum infideli, quam ex eorum separatione, obligare desiit præceptum Apostoli.

Inter eas opiniones, secundæ standum putamus, saltem generaliter. 1° Ex S. Paulo, cujus verba sunt omnino expressa: privilegium non debet extendi ultra verba concessionis; porro Apostolus non concedit facultatem dissolutionis, nisi pro casu quo infidelis discedit; ergo ad hunc debet restringi. 2° Ex INNOCENTIO III. qui ait, cap. *Gaudemus*, viii. *de Divortiis: Numquam ea vivente* (uxore) *licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.* 3° Ex ratione; tunc non applicatur ratio privilegii, nempe ne conversus detrimentum fidei patiatur, aut cælebs remanere cogatur. Hinc ita declarasse S. Congregationem Concilii refert BENEDICT. XIV., *de Synod.* l. xiii. c. xxi. n° i.

Divi *Saltem generaliter*, quia dubium est an apponenda non sit restrictio: scilicet, juxta multos, si ex Ecclesiæ lege, vel ex circumstantiis, illicita fiat cohabitatio fidelis cum infideli, qui non vult converti, eligendo cohabitationem quam interdictam non ignorat, censetur velle discedere. Huic rationi nollemus nimium insistere, quia æquum non videtur ut Ecclesia indirecte efficiat matrimonium dissolvi, ultra casum ab Apostolo assignatum: unde satis crederemus, posita lege Ecclesiæ cohabitationem prohibente, dari tantum locum separationi quoad torum et habitationem.

88. III. *De interpellatione facienda parti infideli, antequam conversus novum ineat matrimonium.* Hæc statui possunt, inhærendo potissimum doctrinæ BENEDICTI XIV.

1° Regulariter necessaria est interpellatio: ita decidit S. Congregatio apud BENEDICTUM XIV., q. 241; et reipsa, ut ipse observat *de Syn.* l. xiii. c. xxi. n° 4, si conversus non possit novum inire matrimonium, quando alter converti aut pacifice cohabitare consentit, prius illud debet inquirere.

2° Si illa interpellatio sit moraliter impossibilis, omitti potest, saltem cum dispensatione S. Pontificis. Nam. 1 alioquin sæpe vanum esset privilegium ab Apostolo concessum; pars enim infidelis posset illud inutile reddere, et sic alterum denuo ad infidelitatem pertrahere. 2. Reipsa dispensarunt plures SS. Pontifices, non quidem solvendo matrimonium, ait BENEDICTUS XIV., *de Synod*, l. xiii. c. xxi. n° 4, sed interpretando jus divinum, et declarando tunc locum habere privilegium Apostoli. Ita inter alios GREGORIUS XIII. *ibid.* et ipse BENEDICTUS XIV. *Bullar*, t. 1, *Const.* cxvii. Ea ratione declarunt etiam matrimonium initum subsistere, licet postea comperiretur partem infidelem fuisse legitime a respondendo impeditam, imo et sacris initiatam: quia semel applicatum privilegium postea cessare non debet.

Dixi *Saltem cum dispensatione S. Pontificis.* Multi putant eam non requiri; alii requirunt, quia S. Pontificis est declarare quandonam obligare desinat jus divinum: huic sententiæ adhæsit S. Congregatio, an. 1722. Vid. BENEDICT. XIV. *de Syn.* l. vi. c. iv. n° 3. Et ipse statuit postea ut interpellatio non omitteretur absque auctoritate S. Pontificis. *Bullar*, t. ii. *const.* xxxviii.

3° Si infidelis interpellatus moras nectat, aliquandiu exspectandum erit; sed elapso termino, conversus poterit ulterius progredi, quia non debet privilegio suo frustrari.

89. IV. *De variis ab infideli converso servandis, quando vult uti suo privilegio.* Quædam breviter observare satis erit.

1° Sententia judicis absolute necessaria non est, cum nec a S. Paulo, nec ab ullo jure, nec vulgo ab auctoribus exigatur. Attamen multo melius et tutius est ut nihil fiat inconsulto episcopo.

2° Si infidelis plures uxores habeat, cum prima solum, ex dictis, sit vera uxor, ei soli adhærendum, quando vult converti aut cohabitare pacifice: si vero nolit poterit retineri una ex aliis, sed iterandum erit matrimonium. Vid. BENEDICT. XIV., *de Syn.* l. xiii. c. xxi. n° 3 et seq.

3° Judæus conversus, ut varias ambages vitaret, non posset uxori dare libellum repudii, more Judaico: hunc detestabilem abusum, ut vocat BENEDICTUS XIV., *de Synod.* l. vi. c. iv. n° 6. ipse proscripsit, an. 1748, *Bullar*, t. ii. *constet.* xxxviii. Illud revera saperet Judaicam superstitionem.

§ 4. *An matrimonium dissolvi possit per professionem religiosam, seu per votum solemne castitatis.*

90. Ut ea quæstio accurate solvatur,

Not. 1° quæstionem non institui de matrimonio consummato Christianorum: agnoscunt omnes non dissolvi per professionem religiosam.

Not. 2° agi tantum de professione solemni, seu de voto solemni castitatis: agnoscunt omnes, et pluries declaratum est in jure canonico, non dissolvi matrimonium per professionem votorum simplicium.

Not. 3° duplicem hic adesse controversiam: an matrimonium vere solvatur; quo jure id fiat, Matrimonium dissolvi negant Protestantes, votis religionis infensi: iis se adjunxerunt ultimus temporibus non pauci Janseniani, qui contendunt Concilii Tridentini decretum adversari Scripturæ et traditioni. Quo jure dissolvatur, non concordant auctores: alii dissolutionem referunt ad jus naturale; alii ad jus divinum; alii ad jus ecclesiasticum. Cum autem posterior hæc controversiæ accurate investigari vix possit, nisi prius expositum fuerit in quo præcise consistat solemnitas voti, et quo jure dirimat matrimonium ineundum, ideo hujus solutionem differemus usque dum agamus de *Impedimento voti.*

His præmissis, sit.

PROPOSITIO.—*Matrimonii rati, non consummati, vinculum dissolvitur per solemnem religionis professionem alterius conjugum.*

Prob. 1° ex definitione Concilii Tridentini, quæ sane sufficiet ei qui auctoritatem Ecclesiæ, ut par est, reveretur; sess. xxiv. can. vi.: *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi anathema sit.*

2° Ex praxi Ecclesiæ. Certum est saltem a xii. sæculo talem esse Ecclesiæ praxim: id constat tum ex decisionibus SS. Pontificum ALEXANDRI III. an. 1180, INNOCENTII III. an. 1210, tum ex consensu adversariorum: porro ex illa praxi invicte adstruitur nostra propositio: hic enim applicari possunt duo illa S. Augustini axiomata, ab omnibus catholicis Doctoribus semper admissa: primum, *Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam Ecclesia nec facit, nec approbat, nec tacet. Ep.* lv. al. cxix. *ad Januar.* c. xix. n° 35; certe in sententia adversariorem, esset hæc praxis contra fidem et contra bonos mores. Secundum, *Quoad universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Ep.* liv. al. cxviii. *ad Jan.* n° 6. Nihil apertius desiderari potest.

91. Quomodo concilietur hæc propositio cum lege indissolubilitatis matrimonii supra stabilita, elucidari poterit ex iis quæ dicemus, quando expendemus quo jure locum habeat dissolutio in casu de quo nunc agimus (n° 152). In præsenti superest ut proponamus quasdam regulas ad praxim spectantes; quæ cæterum apud nos raro applicandæ erunt, tum quia in foro civili non admittitur vis illa professionis religiosæ, tum quia non dantur, aut saltem pauca dantur vota solemnia, ut videbimus ubi de *Impedimento voti* (n° 153).

I. *Quoto tempore dissolvi possit matrimonium.* 1° ALEXANDER III. cap. *Ex publico*, vii. *de convers. conjugatorum*, eam cautionem a muliere exigendam præscribit, *Ut vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat.* Quamvis illa dispositio pro casti tantum peculiari lata fuerit, attamen tanquam regula generalis admissa fuit, cum nil aliud in jure ea de re statutum fuerit, ut advertit GIBERT, t. iii. p. 245. Unde, juxta omnes auctores, per illos duos menses potest, qui de religione amplectenda meditatur, debitum negare.

2° Elapso bimestri, nec consummato matrimonio, poterit adhuc unus e conjugibus valide religionem ingredi, quia semper subsistit privilegium professioni religiosæ concessum. Imo probabilius videtur posse

licite: nam fieri potest ut non peccaverit non utendo matrimonio; et etiamsi peccavisset, non ideo jus suum amisit: ergo tenetur quidem non amplius differre, ne injuriam protrahat, sed potest statim monasterium ingredi.

92. II. *Quale matrimonium dissolvi possit per professionem religiosam.* De duobus casibus moveri potest difficultas.

1° *De matrimonio post fornicationem contracto.* Quidam affirmant habendum esse ut consummatum, quia conjuges effecti sunt una caro. Attamen communius negant, quia prius est existere matrimonium, quam consummari.

2° *De matrimonio ex vi vel metu consummato.* Hæc duo statui possunt. 1. Juxta communem et certam theologorum opinionem, matrimonium in tali casu non dissolvetur, quia est vere consummatum. Utrum vero licite possit pars oppressa religionem ingredi, renuente altera, videtur distinguendum. Vel vis illata fuit per spatium temporis concessi ad deliberandum, vel postea. Si 1ª, *ordinarie* ingredi poterit. Etenim certum est ipsi irrogatam fuisse gravem injuriam; porro oppressor injuriam reparare nequit, nisi hæc facultas alteri competat, nec debet vis illi patrocinari. Dixi *Ordinarie*, quia aliquando fieri potest ut alia de causa religionem ingredi prohibeatur, v. g. si nata sit proles quæ illius ope indigeat ad suam educationem. Si 2°, id est, si post bimestre, tunc non videtur posse ingredi, quia, elapso bimestri, non amplius jus habet negandi debitum; sicque conjux non facit ipsi injuriam, si vi copulam extorqueat: potest peccare in modo, sed non quoad substantiam.

§ 5.—*An matrimonium dissolvi possit per dispensationem S. Pontificis aut Ecclesiæ.*

93. Certum est dissolvi non posse matrimonium consummatum, saltem fidelium: est enim omnino indissolubile, nec quidquam afferri potest in gratiam talis facultatis. Dixi *Saltem fidelium*, quia disputant theologi, ut jam diximus (n° 78), an S. Pontifex possit dissolvere matrimonium consummatum infidelium. Quæstio est igitur de matrimonio rato.

Prima opinio, quam plures et præcipue antiqui Doctores amplexi sunt, et quam teneri communiter a theologis testatur SANCHEZ, denegat hanc potestatem S. Pontifici.

Prob. Cum matrimonii etiam rati indissolubilitas sit ex jure divino, imo aliquatenus et naturali, S. Pontifex in ea dispensare nequit, nisi constet hanc ei facultatem fuisse concessam: atqui hoc nullatenus potest probari. 1° Non ex Scriptura: nihil in ea reperitur. Si autem dicatur comprehendi sub iis verbis, *Quodcumque solveris*, etc., cur ergo non applicatur matrimonio consummato? 2° Non ex traditione. Nihil in

SS. Patribus aut Conciliis reperire est quod hanc facultatem innuat: afferri potest solum praxis plurium SS. Pontificum; atqui hæc nihil probat 1. Quia non incipit nisi a Martino V. initio sæculi xv. Porro quis credat nunquam se dedisse antea occasionem utendi hæc facultate, si fuisset concessa? Quomodo dicetur Ecclesiæ necessaria potestas, quam per quatuordecim sæcula non exercuit? 2. Quia etiam a tempore Martini V. multum abest quin SS. Pontifices fuerint ea de re unanimes; multi enim dispensare renuerunt existimantes hoc non esse in sua potestate. Citantur inter alios INNOCENTIUS VIII., ADRIANUS VI., etc. 3° Non ex ratione. Ratio enim silet circa ea quæ pendent a libera Dei voluntate. Aliunde nihil deduci potest ex eo quod esset valde utilis ea facultas; nam non minus utilis esset potestas dissolvendi matrimonium consummatum; et tamen eam non habet Ecclesia. Ergo, etc.

94. Secunda opinio hanc facultatem tribuit. Ita canonistæ fere omnes, et plurimi hodie theologi.

Prob. Illa sententia tenenda est, quæ nec Scripturæ, nec traditioni repugnans, certo deducitur ex praxi SS. Pontificum. Atqui hæc sententia 1° non adversatur Scripturæ: agitur ibi præcipue de matrimonio consummato: ergo non mirum quod ratum solvatur gravi de causa, præsertim cum tunc non potestate humana, sed divinitus concessa dissolvatur. 2° Non traditioni adversatur; non illius testimoniis, de quibus idem dici potest ac de Scriptura; non illius silentio: prioribus sæculis rarissimæ erant dispensationes circa matrimonium; ergo non mirum inauditam fuisse dispensationem longe majoris momenti, et quæ graviorem causam requirit. Insuper in rebus hujusmodi non omnia scriptis mandari solent quæ eveniunt. 3° Deducitur ex praxi SS. Pontificum. A Martino V. saltem usque ad nos, extat series multorum Pontificum, inter quos non pauci, tum doctrina, tum sanctitate insignes, qui has dispensationes concesserunt: id testatur BENEDICTUS XIV., q. 546, n° 36, qui asserit hodie haberi ut certum, neque de hoc ullam in praxi moveri disputationem; et postea ipse S. Pontifex creatus ordinavit formam procedendi quoad hujusmodi dispensationum petitiones, *quæ sæpe porrigi solent*. *Bullar*, t. I,

Const. xxxii. § 15. Tandem referunt nostris temporibus ea potestate pluries usum esse Pium VII. Atqui ex illa praxi, etc. Quis enim sibi persuadent tot et tantos Pontifices hanc sibi tribuisse facultatem, si non competeret, et sic adulteria permisisse ? Certe debuerunt mature expendere an ipsis competeret, antequam ea uterentur. Saltem in dubio stat præsumptio pro superiore, præsertim si agatur de SS. Pontificibus, quibus speciali modo assistit Spiritus Sanctus in Ecclesiæ regimine, et ad quos interpretari jus divinum pertinet. Ergo, etc. Cæterum cum dissolvant vinculum professionis religiosæ, mirum non est quod solvant vinculum matrimonii rati, quod est minus strictum.

Hæc sunt præcipua utriusque opinionis argumenta : nobis sufficiat annotare admittendam esse posteriorem opinionem ab iis omnibus qui dissolutionem matrimonii per professionem religiosam referunt ad jus ecclesiasticum ; de quo postea. Cæterum securus profecto erit in praxi qui, casu obveniente, existimaverit sibi fas esse uti S. Pontificis concessione.

Art. 2. *De dissolutione matrimonii quoad torum et habitationem.*

95. Necessarium esse regulariter conjugum cohabitationem agnoscunt omnes : illud indicat ipsa matrimonii institutio : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ ;* illud etiam exigit tum debitum conjugale mutuo reddendum, tum prolis educatio, ad quam uterque conjux concurrere debet. Idem sancit Codex civilis, art. 214 : " La femme est obligée d'habiter avec le mari, et de la suivre partout où il juge à propos de résider ; le mari est obligé de la recevoir."

Tota quæstio est, an et quatenus possit tolli, aut suspendi hæc cohabitationis obligatio. Quod ut evolvamus, 1° expendemus an aliquando liceat separatio ; 2° agemus de variis causis separationis ex jure canonico ; 3° de causis separationis ex jure civili.

§ 1. *An aliquando liceat separatio inter conjuges.*

96. Negaverunt plures Lutherani posse matrimo-

nium, durante vinculo, dissolvi quoad torum et habitationem: contendunt opus non esse separatione simplici, eo quod magis expediat integra dissolutio, quæ remedium efficacius præbet variis malis. Contra illos sit.

PROPOSITIO.—*Conjuges possunt, certis de causis, quoad torum et habitationem separari.*

Prob. 1° *ex Scriptura.* Jam attulimus textum S. Matthæi, ex quo vulgo deducitur licitam esse separationem, ex causa adulterii. Cur autem Christus hanc unicam causam assignans, non ideo excludat alias, jam diximus (n° 81).

Confirm. 1. Ex S. *Matth.*, xix. 29: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres...aut uxorem...propter nomen meum, centuplum accipiet.* Ergo aliquando licet, imo expedit separari ab uxore. 2. Quando Christus ait, *Matth.*, xviii. 9: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*, adnotarunt SS. Patres dimittendos esse etiam charissimos, ut parentes, filios, uxorem, quando ruinæ nobis occasio efficiuntur.

2° *Ex constanti et perpetua Ecclesiæ praxi*, quam sanxit Concilium Tridentinum, sess. xxiv. can. 8: "Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit."

§ 2. *De variis causis separationis ex jure canonico.*

97. Quatuor præcipue assignari possunt: 1° gravi detrimentum corporale; 2° aut spirituale; 3° adulterium; 4° professio religiosa vel susceptio ordinis sacri.

De duabus primis nulla est difficultas: earum fundamentum est quod conjuges non censeantur voluisse se obligare ad cohabitationem cum tanto incommodo.

Prior speciatim locum habet in casu immoderatæ sævitiæ, prout expresse admittit INNOCENTIUS III., cap. *Litteras*, xiii., *de Restitut. spoliator.*, in fine. Quidam contenderunt eam non posse allegari a marito, ut uxorem dimittat, quia ipsius est eam corrigere: verum jura sunt reciproca, et aliquando ex parte uxoris

maritus timendum habere potest. Quandonam satis autem gravis reputanda sit sævities, dijudicandum ex circumstantiis, habita ratione qualitatis personarum. Sed invigilare debent pastores et confessarii ne citius et facilius, ob leves et transitorias discordias, ad separationem deveniatur.

Posterior locum habet, quando unus e conjugibus deserit veram fidem et alterum conatur pertrahere ad infidelitatem, vel hæresim, vel si inducat ad peccatum quod vix cohabitando vitari possit, etc. Sed hic etiam maxima prudentia opus esse facile intelligitur.

Dicendum ergo superest de duabus postremis causis.

98. I. De Adulterio.—Hæc sufficiant. 1° Per fornicationem, de qua loquitur Christus, ex antiquis versionibus et ex Patrum communiori interpretatione, intelligi debet solum alterium : quo nomine tamen designatur quodcumque commercium carnale ; sed requiritur ut sit completum et consummatum.

2° Jus separationis ad utrumque conjugem pertinet. Agnoscunt omnes tanquam certissimum parem esse utriusque conjugis sub eo respectu conditionem : et revera S. Paulus, I. *Cor.*, vii. 3, 4, eodem prorsus modo loquitur de utriusque juribus et ita semper intellexit Ecclesia.

3° Jus separationis non datur per adulterium in quatuor casibus.

1. *Si adulterium fuerit tantum materiale*, et non formale : v. g. si quis credens conjugem mortuum, alii nupserit, etc.

2. *Si uterque sit adulter.* Ita supponit Alexander III. cap. *Significasti*, iv. et cap. *ex Litteris*, v. *de Divortiis.* Quamvis enim majus crimen sit adulterium uxoris, adest tamen injuria quoad substantiam, ac proinde fit compensatio.

3. *Si vir ipse uxorem prostituerit :* ut enim ait Innocentius III. cap. *Discretionem*, iv. *de Eo qui cognovit, Adulterium non potest ei objicere, qui eam adulterandam tradidit.* Requiritur tamen ut possit censeri vere causa adulterii, nec sufficit ut aliquam indirectam occasionem præbuerit.

4. *Si adulterium cognitum secuta fuerit reconciliatio.* Illud adeo verum est, ut si pars quæ condonavit postea

ipsa in adulterium laberetur, dimitti stricte posset, quia res per reconciliationem omnino restitutæ fuerunt in pristinum statum : attamen charitas postularet ut, alterius benignitatem experta, et ipsa benigne remitteret. Illa reconciliatio fieri potest vel *expresse*, per condonationem ; vel *tacite*, v. g. per usum matrimonii ; sed requiritur ut condonans notitiam habeat adulterii, et libere condonet.

4° An vir non solum possit, sed teneatur uxorem adulteram dimittere, non omnino constat. Admissum videtur ab omnibus aliquando teneri, aliquando non teneri. Obligatio, quando adest, provenit e ratione correctionis fraternæ, et scandali vitandi ; quæ duo attendenda sunt, ut judicium feratur in casibus peculiaribus : porro his attentis, satis raro eveniet, ut putamus, virum teneri ad uxorem adulteram dimittendam. Minus adhuc stricta est in uxore obligatio dimittendi maritum, quia non est marito superior, nec censetur approbare illius adulterium, quamvis non dimittat. Si tamen ex separatione correctionem viri speraret, deberet eam petere.

99. II. De Professione religiosa, vel Susceptione ordinis sacri—1° Non licet sine consensu compartis ingredi religionem nisi in duobus casibus : 1. ante matrimonium consummatum, quando agitur de religione in qua emittuntur vota solemnia, secundum ea quæ diximus supra (n° 90) : 2. etiam post matrimonium consummatum, quando altera pars adulterium commisit ; quia id est adulterio proprium ut sit casu separationis perpetua, nec teneatur pars innocens alteram partem licet resipiscentem, ad se revocare. Extra hos casus, non licet, et professio esset invalida, possetque pars religionem ingressa ab altera revocari.

2° Non liceret recipere ordines sacros sine consensu uxores, nisi in secundo casu mox allato : imo in eo ipso casu, magna opus esset prudentia, tum ob quamdam indecentiam, tum ob metum scandali et variorum incommodorum.

3° Ex mutuo consensu licet conjugi ingredi religionem, etiam post matrimonium consummatum. Sed tunc regulariter requiritur ut alter quoque conjux cœ-

nobium ingrediatur, et in eo regularem professionem emittat. Ita pluries præscribitur in jure canonico.

Dixi tamen *Regulariter*, quia 1, si conjux sit provectæ ætatis, et ab omni incontinentiæ suspicione immunis, ipsi permitti poterit ut inter sæculares versetur, modo castitatis voto simplici se adstringat. 2. Si conjux, in sæculo remanens, velit sacros ordines suscipere, illud sufficit, quando talis est conditionis ut ei votum simplex permitteretur : si autem sit adhuc juvenis, opportunum esset a Sede Apostolica dispensationem implorare. 3. Quando pars rea adulterii, criminis sui pœnitens, vult se in monasterium recipere, non cogitur altera pars, quamvis ætate florens, religionem ingredi, sed satis est ut simplex castitatis votum in sæculo emittat.

4° Potest vir, ex concensu uxoris, sacris ordinibus initiari ; sed tunc 1. absolute debet uxor in monasterio profiteri : ita statuitur in Jure ; unde ut possit, si sit provectæ ætatis, simplex votum emittere, requiritur dispensatio Sedis Apostolicæ : dubium tamen an id vigeat in Galliis. 2. Uxor, licet ipsa non emiserit votum solemne, viro e vivis erepto, ita alteri nubere prohibetur, ut matrimonium ejus irritum esset. Ita statuit lex ecclesiastica, ob reverentiam habendam erga votum solemne, licet ab altero conjuge emissum.

100. Tales causæ separationis in jure canonico admissæ : de quibus duo observanda supersunt.

1° Separationes illæ fieri non debent regulariter privata auctoritate. Ita prudenter statutum, tum ne detur locus multis abusibus, tum ratione scandali vitandi. Dicitur tamen *Regulariter*, quia aliquando fieri potest ut adsit periculum in mora, v. g. in casu sævitiæ ; vel ut causa manifestari nequeat sine gravi alterius partis damno, etc. : tunc vel scandalum vitari poterit, separationem obtegendo sub aliquo prætextu, vel aderit ratio sufficiens illud permittendi. A fortiori poterunt aliquando conjuges separari ex mutuo consensu, si adsit rationabilis causa, v. g. negotiorum gestio, iter aliquod suscipiendum, etc.

2° Dubium non est quin Ecclesia judicium ferre possit de his causis canonicis : constat tum ex can. viii. sess. xxiv. Conc. Trident. supra relato (n$_o$ 96), tum

ex can. xii. " Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit." Sed in præsenti rerum statu apud nos, illius judicia nullam vim haberent in foro civili. Attamen cum Ecclesia sua auctoritate spoliari nequeat, posset adhuc judicia ferre, et ea sancire pœnis spiritualibus, seu censuris. Sed de facto vix ullibi erecta sunt tribunalia ecclesiastica, ad quæ hujusmodi causæ referantur ; unde plerumque id tantum præstant judices ecclesiastici, quod pronuntient in foro conscientiæ quid liceat quid expediat.

§ 3. *De causis separationis ex jure civili.*

101. Ex lege 20 septembris 1792, quæ permittebat divortium, non admittebatur simplex separatio : sed Codex civilis aliter statuit, utrumque admittens, ut omnium conscientiæ prospiceretur, ut nempe ad separationem possent recurrere qui divortium judicant illicitum. Separatio autem illa de qua statuit, non est simplex separatio facti, quæ fieret ex mutuo consensu, sed separatio judiciaria, quæ dicitur *Separationem de corps*, et ex art. 311 semper inducit alteram separationem quæ dicitur *Separation de biens*.

1° Hujus separationis Codex civilis, art. 306, eas tantum *causas* admittit quæ sufficiebant ad divortium ex causa determinata, antequam facultas divortii abrogaretur per legem latam die 8 maii 1816 ; nempe juxta art. 229 et seq., 1. adulterium, cum hoc discrimine inter virum et mulierem : " Le mari pourra demander la separation pour cause d'adultere de sa femme. La femme pourra demander la *separation* pour cause d'adultere de son mari, lorsqu'il aura tenu sa concubine dans la maison commune :" 2. sævitiam : 3. condemnationem ad pœnam infamentem. Sed ex art. 307 non admittitur, sicuti admittebatur pro divortio, consensus mutuus : timuit lex ne illæ separationes frequentiores evaderent ; et cum inde sequatur separatio bonorum, sæpe eo medio mutarentur conventiones matrimoniales, contra dispositionem articuli 1395. Nullæ etiam aliæ causæ admittuntur, nisi reduci possint ad unum ex tribus allatis.

2° Ex ipsa separationis civilis notione facile intelligitur necessario recurrendum esse ad *sententiam* judicis civilis. Unde concludi potest, ut jam innuimus, quanta prudentia opus sit in applicandis sanctionibus canonicis circa separationem, quando defuit hæc sententia civilis: non solum enim sententia judicis ecclesiastici vim non haberet in foro civili, sed propter interventum magistratus aliquando oriri possent haud levia incommoda.

3° Quando pronuntiatur separatio, et adsunt filii ex matrimonio orti, eorum sorti providet lex civilis: ea nempe quæ statuit Codex civilis pro casu divortii, sunt applicanda etiam separationi, art. 302 et seq.

4° Etiam post latam sententiam, nil vetat quin conjuges possint, propria auctoritate, ad se invicem reverti: imo Ritualia monent parochos et confessarios, ut conjuges separatos ad mutuam reconciliationem cohortentur; idem vulgo suadent theologi, nec indicant ad id requiri sententiam judicis. Attamen advertendum est ut cesset separatio bonorum, quæ, ex dictis, separationem corporum consequitur, requiri actum coram notario: quo peracto, res reducuntur ad priorem statum, eodem modo ac si non adfuisset separatio, nec possunt priores conventiones mutari. Ita statuit Cod. civ. art. 1451.

102. Corollarium.—Ex his omnibus deduci potest quænam esse debeat agendi ratio pastoris aut confessarii qui de separatione facienda consulitur. Ante omnia, sedulo causas expendat. Si insufficientes videantur, omnimode a separatione avertat. Si sufficiant, nec tamen separationem necessariam reddant, conjuges ad reconciliationem vehementer hortetur. Si necessaria videatur separatio, et causa admitti possit in foro civili, suadeat ordinarie ut exspectetur sententia. Si admitti non possit, maxime cautus sit ad vitandum scandalum, et episcopum consulat.

PARS TERTIA.

DE CONDITIONIBUS MATRIMONII.

103. De conditionibus quæ directe et speciatim sacramentum respiciunt, jam data occasione diximus (nis 32, 33). Dicendum super est de illis quæ ad ipsum matrimonii contractum referuntur. Porro tres sunt quæ matrimonium præcedunt, nempe sponsalia, bannorum denuntiatio, et consensus parentum : quarta autem et præcipua est quasi negativa, ut nempe nullum adsit impedimentum, sive ex lege ecclesiastica, sive ex lege civili. Istam igitur partem quinque capitibus absolvemus : 1° de sponsalibus ; 2° de bannis ; 3° de consensu parentum ; 4° de impedimentis canonicis ; 5° de impedimentis civilibus.

CAPUT PRIMUM.

DE SPONSALIBUS.

104. Quæ de sponsalibus dicenda habemus, quatuor quæstionibus complectemur : 1° quid sint, et quotuplicis speciei ; 2° an necessaria ; 3° quinam illorum effectus ; 4° quænam dissolutionis causæ. Pauca sufficient, quia ibi applicantur principia generalia de contractibus.

I. *Quid et quotuplicis speciei sint sponsalia ?*

Sponsalia vulgo definiuntur : *Promissio mutua futuri matrimonii.* Requiritur ergo ut uterque alteri obligetur : unde quando unus promittit, stricte non sufficit ut alter promissionem acceptet, sed insuper requiritur ut

ex illius parte accedat repromissio. Hinc sponsalia ineunda sunt per verba *de futuro*.

Multiplex distingui potest species sponsalium. 1° Sunt absoluta vel conditionata, quemadmodum alii contractus: ex probabiliori sententia, sponsalibus conditionatis non applicantur decisiones speciales juris circa conditiones appositas matrimonio (n° 12), sed principia quæ respiciunt contractus generatim spectatos.

2° Dividuntur in ecclesiastica, seu solemnia, quæ in facie Ecclesiæ, coram testibus et parocho benedicente celebrantur; et civilia, quæ fiunt extra Ecclesiam et sine ministerio sacerdotis: ista autem sunt vel publica, vel occulta, prout contrahuntur coram vel sine testibus.

105. II. *An necessaria sint sponsalia?*

Quamvis ex rei natura iniri possit matrimonium quin præcesserint sponsalia, eorum tamen usus est antiquissimus, et valde laudabilibus motivis innixus, nempe ut nupturi ad matrimonium sese disponant, et naturius illud ineant, simulque ut interim facilius impedimenta detegantur. Hinc sponsalia, etiam solemnia, olim multis in locis erant in Ritualibus præscripta. Paulatim illorum usus in variis locis obsolevit: imo in quibusdam fuere expresse prohibita, eo quod sic desponsati non raro tanquam vere nuptos se haberent, et interim maritaliter viverent. Hodie vix ullibi non desiere, aut saltem immediate ante matrimonium celebrantur. Sed sicubi adhuc præscriberentur, non deberent omitti, et peccaret parochus qui, iis omissis, nuptiis benediceret.

106. III. *Quinam sint effectus sponsalium?*

Triplex distingui potest effectus.

I^us^ est obligatio unius ad contrahendum cum altero; unde, ut postea dicemus, ex sponsalibus oritur impedimentum prohibens nubendi cum qualibet alia persona.

Sed duo quæri possunt: 1° An et quatenus ille qui renuit sponsalia implere sit ad id compellendus; 2° quid, si adjecta sit clausula pœnalis? Quoad I^um^, si unus e sponsis renuat sponsalia adimplere, ALEXANDER III., an. 1180, cap. *Ex litteris*, x. *de Sponsalibus et Matrimonio*, decerint compellendum esse censurius ecclesiasticis; LUCIUS vero III., an 1181, cap. *Requisivit*, xvii. *ibid.* statuit monendem esse potius quam cogendum, eo quod coactiones soleant difficiles habere exitus. Varii auctores varias inierunt vias ut eas decisionis conciliarent: sed plerique extranei stant, saltem pro casibus ordinariis, dispositioni Alexandri III.; in Gallia poti-

us prævalebat decisio Lucii III. Olim in foro civili non compellebantur sponsi ad sponsalia adimplenda, sed tantum ad compensanda damna ex eorum dissolutione secutura. Hodie non concordant jurisperiti nostri. Sed quidquid sit pro foro civili, in foro conscientiæ hortari debent confessarii ad executionem promissionum, et si eam non obtineant, præcipere reparationem damni, aut liberam utriusque partis compositionem, quod plerumque satius est; sed non ultra progredi.

Quoad II^um^, communis est inter jurisperitos, canonistas et theologos opinio, sponsalibus clausulam pœnalem adjici non posse : unituntur quibusdam textibus juris Romani, et decisione juris canonici, cap. *Gemma*, xxix., *de Sponsal. et matrim.* Permittuntur quidem arrhæ in sponsalibus ; sed inter arrhas et clausulam pœnalem ea affertur ratio discriminis, quod homines soleant esse cautiores in dando quam in promittendo, ac proinde arrhæ sint ordinarie minoris momenti, minusque restringant matrimoniorum libertatem.

Multi tamen, inter recentiores, contrarium opinantur, et merito quidem, ut videtur. Nam 1° quæ afferentur ex jure Romano non tam respiciunt ipsum matrimonium, quam illius dissolutionem, ideoque nullam vim habere possunt : et insuper priora statuta statutis posterioribus emendata fuere. 2° Decisio juris canonici non respicit nisi casum peculiarem, de puella nondum septenni, quam mater illius alteri desponsaverat, et de pœna convenerat solvenda casu quo non iniretur matrimonium : et nulla ratione ostendi potest eam extendendam esse ad omnes casus. 3° Si clausula, ut supponitur, non respiciat nisi injuste resilientem, inducit tantum ad actum honestum, imo ex justitia debitum, ac proinde haberi nequit ut libertati nociva. Quid in foro civili hodie judicandum foret, non constat : ex utraque parte allegantur graves auctores, et varia tribunalium judicia.

II^us^ effectus est jus initiale unius ad corpus alterius : unde qui, initis sponsalibus, cum alio fornicatur, non modo contra castitatem peccat, sed et contra justitiam. Ita communius theologi et canonistæ, quia merito censetur et fidem datam frangere, et alteri sponso injuriam inferre. Est proinde hæc circumstantia, ut pote peccati speciem mutans, necessario in confessione declaranda.

III^us^ effectus est impedimentum dirimens honestatis publicæ ; de quo postea (n° 170).

107. Sed quæri potest, 1° an, ut locum habeant hi effectus, necessarium sit ut sponsalia inita fuerint coram ecclesia ; 2° an, sub eo respectu, sponsalibus æquivaleat postulatio bannorum ; 3° an saltem matrimonium civile ?

Quoad I^um^, hæc observari possunt. 1° *Ex jure communi*, nulla requiritur peculiaris solemnitas ; sufficiunt conditiones quæ ad contractus generatim requiruntur. 2° *Olim* ex jure *civili* Gallico sponsalia fieri debebant scripto : sed illud requirebatur tantum ad probationem,

non vero ad solemnitatem, seu ad ipsam promissionis substantiam, ut testatur POTHIER, *Contr. de mariage*, n° 30. Ex jure autem *ecclesiastico*, varia erat disciplina: in quibusdam diœcesibus ut irrita habeantur sponsalia non solemnia, et proinde nullum producebant effectum; in aliis, habebantur ut valida, sed non sufficiebant ad producendum impedimentum honestatis publicæ; in plerisque demum, habebantur ut prorsus valida. Porro, quando certa erat unius diœcesis disciplina, huic standum erat; in dubio, standum communi juri.

Hodie Codex civilis ne verbum quidem habet de sponsalibus: exinde concludunt jurisperiti ea apud nos vim habere posse, modo serventur omnes conditiones generatim pro contractibus præscriptæ, quia ex mente legislatoris vim habent omnes conventiones quæ non reprobantur a lege, nec adversantur bonis moribus. Ratione autem habita disciplinæ olim in variis diocesibus vigentis, interrogandus episcopus, ad quem pertinet interpretari et moderari consuetudines diœcesi peculiares.

Quoad II^{um}, semel admisso quod in sponsalibus nulla requiratur specialis solemnitas, satis verisimile videtur sponsalium instar haberi posse postulationem bannorum a nupturis porrectam sive parocho, sive officiario civili. Saltem, quando antea initæ sunt coram notario conventiones matrimoniales, ad sensum articuli 1394 Cod. civilis, a fortiori si detur a notario testimonium scriptum de promissione, quod simul cum bannis in ecclesia promulgetur, ut fit in pluribus diœcesibus, nullum videtur moveri posse dubium quin hujusmodi contractus vim habeat sponsalium.

Quoad III^{um}, quæstio respicere nequit nisi tertium effectum, id est, impedimentum honestatis publicæ. Porro, supponendo non requiri ad validitatem ullam solemnitatem ecclesiasticam, salvo meliori judicio, sic distinguendum videretur. Vel partes contrahentes intentionem habent recurrendi postea ad Ecclesiam, ita ut in eorum mente exterius manifestata, nunc matrimonium non perficiant, sed tantum legis civilis præscripto satisfaciant; vel non. In primo casu, non potest dici matrimonium clandestinum, cum partes non

vere attentaverint matrimonium illegitimum; est potius legitimi matrimonii inchoatio: porro exinde oriri videntur vera sponsalia; cum enim non possint ad aliud matrimonium convolare, cesentur sibi invicem promittere quod inchoatum perficient, ac proinde adest promissio saltem implicita matrimonii. In secundo casu, adest vere matrimonium clandestinum, seu aliter quam præsente parocho et testibus initum: porro matrimonium clandestinum non habet vim sponsalium: ita decidit S. Congregatio Concilii, et ita docent auctores; ergo dici nequeunt in eo casu adesse vera sponsalia. Utrum autem adsit impedimentum publicæ honestatis expendemus, ubi de illo impedimento (nº 171).

108. IV. *Quibusnam ex causis dissolvi possint sponsalia?*

Quatuor causæ præcipuæ assignari possunt. 1º Communis consensus, expressus vel tacitus, quia *Quæ consensu contrahuntur, contrario consensu dissolvuntur.* Adest autem ille consensus tacitus, si v. g. partes tempus præfixum elabi sinant, si concurrant ad ponendum matrimonio impedimentum, ut si sponsus viduæ filium ejus posthumum de sacro fonte, ea rogante, suscipiat. 2º Violatio fidei datæ, v. g. per fornicationem: quia ex regula juris *Frustra quis sibi fidem postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.* Quod si fornicatio ex utraque parte locum habuerit, quamvis satis communis videatur opinio quæ ait tunc posse sponsum resilire, non sponsam, quia longe gravius est crimen sponsæ; attamen satis probabile est jus utrique competere quia utrinque adest saltem motivum sufficiens dubitandi de fide in posterum servanda. Si autem non per fornicationem, sed per matrimonium cum alia persona initum fides frangatur, liber est profecto ille erga quem sic violata est fides: se qui fregit, ita adstrictus remanet, ut, soluto priori matrimonio, non possit ad aliud convolare; non enim debet ex malitia sua fructum consequi, et nulla est ratio asserendi exstinctam fuisse illius obligationem; fuit tantum suspensa. 3º Mutatio notalibus surperveniens in alterutrius sponsi persona, talis nimirum, ut, si illam prævidisset sponsus alter, nuptias spondere noluisset. Hæc autem mutatio alterius contingere potest, vel in ejus mente, si v. g. incidat in amentiam, in hæresim; vel in corpore, si in paralysim; vel in fama, si fiat infamis jure aut facto; vel in fortuna: item, si alter ordines suscipiat, vel religionem profiteatur. Non sufficiat tamen simplex castitatis votum, quia votum non potest derogare juri acquisito alteri. 4º Cognitio defectus aut vitii tempore sponsalium ignorati, et talis naturæ ut sponsalia fuissent exinde impedienda.

CAPUT II.

DE BANNIS.

109. *Bannum* vox est germanica, quæ idem est ac publica declaratio; hic sumitur pro denuntiatione fu-

turi inter tales personas matrimonii coram frequenti populo facienda.

Duplex hodie distinguitur. Cum scilicet lex civilis præcepta ecclesiastica non attendat, præscripsit ipsa quamdam denuntiationem, quæ bis fieri debet coram *domo*, ut dicitur, *communi* art. 63 et seq. Codicis civilis. Hæc omnino diversa est, ut patet, a denuntiatione ecclesiastica: de illa proinde directe agendum non habemus. Quædam tamen, data occasione, propter materiæ connexionem, dicemus.

Agemus 1° de necessitate bannorum; 2° de modo promulgandi; 3° de dispensatione a promulgatione bannorum; 4° et 5° de obligationibus quæ ex bannis nascuntur, sive pro fidelibus, sive pro pastoribus.

ART. 1.—*De necessitate bannorum.*

110. Banna, quoad substantiam, vel ipsis primævis Ecclesiæ sæculis fuerunt probabiliter in usu. Quo enim tempore statua fuere impedimenta, necesse fuit ut quædam de illis inquisitio ante matrimonium fieret, et ideo verisimile est, per analogiam ex antiqua Ecclesiæ disciplina desumptam, interrogatum esse populum. Aliunde multis in locis celebrabantur sponsalia coram plebe; quod æquivalebat bannis.

Quoad formam hodiernam, juxta BENEDICTUM XIV. ex statuto ODONIS DE SOLIACO, Parisiensis antistitis, qui vixit sub initium sæculi xiii. denuntiationum manavit exordium, quæ tum bannum nuncupatæ fuerunt. Eam denuntiationem pro tota Ecclesiæ præscripsit Concilium Lateranense quartum, an. 1216. Cumque hujus decretum non satis observaretur, illud renovavit Concilium Tridentinum, ad petitionem præsertim episcorum et theologorum Gallorum, his verbis, sess. xxiv. c. i. *de Reform. matrim.* "Sancta synodus sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærens, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum." Inserta est lex illa omnibus Ritualibus, et longo usu confirmata.

Hujus legis motiva sunt, 1° ut præcaveantur matrimonia clandestina ; 2° ut detegantur matrimonii, si qua sint, impedimenta ; 3° ut qui jam uni est deponsatus, alteri nubere non possit ; 4° ne filii familias, inconsultis parentibus, matrimonium contrahant : huic rationi multum olim insistebant edicta regia ; 5° ut fideles præmoniti Dei benedictionem in sponsos implorent.

Hinc intelligitur 1. legem illam sub gravi obligare ; disciplina enim generalis, gravibus motivis innixa, gravem utique parit obligationem ; 2. legem ad omnes spectare : ex usu tamen excipiuntur supremi principes, quia eorum genus satis notum est, et ordinarie satis publica connubia ; 3. non tamen requiri hanc promulgationem sub pœna nullitatis. Olim aderat difficultas, ex edictis regiis, pro quodam casu peculiari, de quo agit Pothier, n° 366, et quem expendemus ubi *de Clandestinitate*. Sed nulla potest hodie adesse difficultas : non enim subsistunt illa edicta regia. Codex civilis non agit nisi de proclamatione prorsus diversa, nec eam præcipit sub pœna nullitatis, saltem ordinarie, ut explicabimus ubi *de Impedimentis civilibus* (n° 323).

Art. 2. *De modo promulgationis bannorum.*

111. Hic expendemus 1° quo tempore ; 2° quo loco ; 3° a quo ; 4° quanam forma promulganda sint banna.

I. De tempore. Indicatur in supra allatis Concilii Tridentini verbis

1°. *Antequam matrimonium contrahatur*. Satis patet ex motivis bannorum, ea esse matrimonio præmittenda. Concilium tamen Tridentinum vult ut, si denuntiationes ex dispensatione omissæ fuerint, deinde ante consummationem matrimonii fiant, nisi aliter judicaverit episcopus : observant auctores hoc raro fieri in Galliis.

2° *Diebus festivis*. Per hæc verba designantur dies qui ex præcepto Ecclesiæ festivantur, saltem in loco ubi promulgantur banna : unde non possunt promulgari in festis meræ devotionis, v. g. infestis apud nos suppressis per indultum an. 1802, feria iv. Cinerum, diebus ultimis Majoris hebdomadæ. Alicubi prohibentur denuntiationes diebus solemnioribus, v. g. Paschatis, Pentecostes,

etc.: standum præscriptionibus in qualibet diœcesi receptis.

3° *Tribus continuis diebus.* Sensus non est faciendas esse denuntiationes tribus diebus festivis sese immediate subsequentibus, ut olim in Paschate, Pentecoste, etc.: sic non satis obtineretur finis legis, quia vix tempus suppeteret fidelibus, ad revelanda, si qua norint, impedimenta; unde in plerisque Ritualibus præscribitur aliquod inter varias denuntiationes intervallum: pariter præscribitur ut non statim post ultimam denuntiationem celebretur matrimonium, sed mora unius aut plurium dierum intercedat, ob eamdem rationem. Sensus itaque verborum Concilii est, non debere matrimonium longo a denuntiationibus intervallo, vel denuntiationes ab invicem distare, ne, per illam distantiam, aliquod suboriatur impedimentum quod Ecclesiæ non innotescat. Hinc, dilato matrimonio, opus est novis denuntiationibus, alicubi quidem post duos menses, alibi post tres aut quatuor, alibi post sex duntaxat, alibi post unum annum.

4° *Inter missarum solemnia.* His verbis significatur missa parochalis, et quidem sola. Hinc fieri non debent denuntiationes in missis privatis, vel in officio vespertino. Si plures adsint missæ parochiales, ut Parisiis frequens est, in unaquaque fieri possunt: vulgo eligitur tempus, ut dicitur, *Pronai.*

112. II. De Loco. Concilium Tridentinum decernit promulganda esse banna *in ecclesia*, scilicet *parochiali*, ut intelligitur ex dictis; non autem in capellis, sive privatis sive publicis, nisi tota parochia huc precessisset, et missa parochialis ibi celebraretur. Quoad ecclesias quæ dicuntur *Chapelles vicariales*, vel *Annexes*, variæ sunt in variis diœcesibus consuetudines, quibus standum: seclusa speciali lege aut consuetudine, dicendum videtur cum D. Bouvier, sufficere denuntiationem in annexa, quando habet territorium determinatum, quia sacerdotes qui talibus ecclesiis deserviunt, habent quasi ordinariam jurisdictionem, ex institutione episcoporum: secus vero, si non habent territorium determinatum; tunc enim proclamatio facienda est in ecclesia principalia.

Per ecclesiam autem parochialem, non est intelligen-

da parochia in qua quis natus est, seu parochia originis : agnoscunt enim omnes non necessarium esse ut in ea fiat proclamatio, quando alibi diu fuit commoratum. Intelligitur ergo parochia domicilii actualis.

Sed aliquando requiritur ut banna in pluribus ecclesiis promulgentur : nempe triplici in casu.

1° Si duo contrahentes sint *e duabas diversiis parochiis*,, in utraque proclamanda sunt banna : satis deducitur ex motivo legis et ex generali consuetudine. Ita etiam pro foro civili, art. 166.

2° Si unus aut uterque contrahens æquale circiter *in duobus locis domocilium* habeat, in utroque banna sunt promulganda. Ita communiter auctores nostri. Sed requiritur ut domicilium sit *circiter æquale*, quia si unum tantum sit proprie dictum, etiamsi per aliquod tempus quotannis alibi commoretur, v. g. ruri, rerum agendarum, aut cœli liberioris fruendi causa, non ideo exigenda duplex promulgatio.

3o Si contrahentes *a sufficienti tempore domicilium non habeant* in parochia sua actuali, banna promulgari debent etiam in parochia in qua antea habitaverunt. Olim ad acquirendum domicilium illud sufficiens de quo nunc loquimur, ex edicto anni 1697 requirebatur habitatio sex mensium, si contrahentes venirent ex altera parochia ejusdem diœcesi : et hæc regula in plerisque Ritualibus recepta fuerat. Hodie in quibusdam diœcesibus viget adhuc eadem regula ; in aliis, quandiu non adest habitatio saltem unius anni, banna promulgantur in loco præcedentis domicilii ; in aliis demum non exigitur in ullo casu nisi habitatio sex mensium. Servanda est lex vel consuetudo uniuscujusque diœcesis : sed merito observant auctores, opportunum aliquando esse, etiam quando non præscribitur duplex bannorum denuntiatio, ut parochus caute et prudenter inquirat de statu sponsorum.

113. Ex his determinari potest quid speciatim agendum sit, 1° quoad *minores*. Banna eorum promulganda sunt tum in domicilio facti, id est, in quo habitant, tum in domicilio juris, seu parentum aut eorum sub quorum potestate sunt in ordine ad matrimonium. Ita olim sancitum erat edictis regiis et Ritualibus ; idemque hodie observatur.

Aliquid simile statuit Cod. civ. art. 168; sed non eodem modo ac olim determinatur minoritas in ordine ad matrimonium. Olim minores erant qui non compleverant vigesimum quintum ætatis annum. Hodie, distinguendum: si habeant ascendentes, minores sunt viri usque ad an. 25 completum, feminæ usque ad an. 21; ita art. 148: si vero non habeant ascendentes, usque ad an. 21 pro utrisque; ita art. 160. Quæri potest ergo cuinam præcise determinationi standum sit, in foro ecclesiastico? Satius videretur sequi determinationem recentiorem; sed ante omnia standum consuetudini locorum, et determinationibus episcoporum, ad quos pertinet ea statuere quæ banna ecclesiastica respiciunt.

2° Quoad *famulos*, banna eorum promulganter in parochia heri apud quem ab uno saltem anno fabulantur: si vero vel tempore sufficienti commorati non fuerint, vel sint minores, iis applicanda sunt quæ antea diximus. Qui perpetuo laborant vel fabulantur in una parochia, et in altera fixam habent domum, vel cubiculum, in ista posteriori publicandi sunt, ait D. Bouvier. Observant auctores, sæpe opportunum esse, nisi aliunde noti sint, percunctari in loco originis, vel in quo antea commorati sunt, utrum sint ab omni vinculo vere liberi.

3° Quoad *milites*, promulganda sunt banna eorum in præsidiis seu locis ubi degunt, et insuper in domicilio parentum, si sint minores, et, si sint majores, in loco in quo residebant ante militiam. Ita statutum pro foro civili: omnio prudentiæ regulis consentaneum videtur, ut idem servetur in foro ecclesiastico. Observant insuper auctores non esse promulganda militum banna, nisi vel habeant licentiam a suis superioribus, si adhuc stipendia mereantur, vel confectis stipendiis, testimonium quo constet eos esse ad matrimonium liberos.

4° Quoad *vagos*, satis communiter dicunt auctores promulganda esse eorum banna tum in loco in quo actualiter degunt et matrimonium inire volunt, tum in loco originis, vel saltem in quo diutius commorati sunt. In quibusdam tamen diœcesibus, banna non promulgantur nisi in loco ubi nunc sunt. Quid-

quid sit, agnoscunt omnes maxima cautione opus esse, et recurrendum esse ad episcopum, ex præscripto Concilii Tridentini, *sess.* xxiv. c. vii., *de Reform. matrim.*

114. III. A QUO BANNA PROMULGANDA. *A proprio contrahentium parocho* promulganda banna decernit Concilium Tridentinum ; sub eo nomine comprehenduntur vicarii. Sed promulgari non debent a quocumque alio sacerdote aut clerico, nisi fuerit a parocho, vel ab episcopo delegatus ; a fortiori nec a quocumque laico, notario apparitore, etc.

Antequam ad promulgationem deveniat parochus, varias cautiones adhibere debet.

1° Diligenter inquirat an sponsi libere consentiant ; an consentiant etiam parentes, aut illi sub quorum potestate versantur ; an nullo cognationis, ut alio impedimento sint ligati. Si ipse aliquod impedimentum, alia quam confessionis via, noverit, etiam sponis ignotum, ipsos instruat, saltem regulariter loquendo, ut postea explicabitur (n° 288).

2° Banna non promulget, nisi postulantibus ipsismet nupturis : si vero id aliorum petitioni concedendum videatur, exigendum est ut petitionem chirographo muniant. Imo quidam consulunt ut petitio ipsorum sponsorum scripto sit consignata : ne extranei malevoli postulent promulgationem bannorum, ne una pars sola postulet ut alteram quasi ad matrimonium necessitet ; ne, si partes postea pœniteat, possint conqueri de parocho, etc.

3° Post promulgationem factam, si testimonium de ea tradendum sit, non debet tantum exprimi verbis generalibus, sed indicandum est tempus. Neque statim dari debet, sed post moram unius diei, nisi longiorem præscribat Rituale ; ut nempe tempus suppetat fidelibus impedimenta revelandi, si quædam norint.

115. IV. DE BANNORUM FORMA. Forma illa determinatur in Ritualibus. Hæc observari possunt. 1° In ea generatim exprimi debent nomen, patria, parochia, conditio seu professio contrahentium, et eorum ex quibus nati sunt : si pater aut mater vita functi sint, illud exprimitur ; si de vidua agatur, mentio fit prioris mariti.

2° Cavendum tamen ne infamia cuiquam inuratur.

Hinc 1. si mulier cujusdam viri vidua existimetur, licet non fuerit uxor ejus legitima, debet designari sub viduæ nomine quo solet appellari. Hinc 2. si unus e sponsis sit illegitimus, reticenda erit illa circumstantia, et illius honori providendum erit, meliori quo fieri poterit modo, pro variis circumstantiis: designandus erit nomine sub quo in parochia notior esset solet.

3° Dicendum est post singulas denuntiationes, hanc esse primam, vel secundam, vel tertiam ; et si unius, vel duplicis obtenta vel obtinenda sit dispensatio, illud pariter exprimendum, ut cito revelent qui aliquid revelandum habere possunt.

4° Alta, intelligibili voce facienda est promulgatio ; alioquin non obtinetur finis legis, ut patet.

ART. 3. *De dispensatione a promulgatione bannorum.*

116. I. *An et qua de causa concedi possit ?*

Certum est posse aliquando dispensationes concedi a lege bannorum: illud expresse permittit Concilium Tridentinum, et satis constat tum ex natura legis, quæ est mere positiva, tum ex praxi quotidiana.

Quoad dispensationis causas, mens Ecclesiæ est profecto ut adsit ratio gravis, et BENEDICTUS XIV. in Constit. 17 nov. 1741, monuit episcopos ut essent difficiliores ad remittendum publicationes. Præcipuæ ex rationibus quæ afferri possunt enumerantur apud auctores et plerumque in Ritualibus. Sed agnoscendum est nostris temporibus, ubi non raro timendum est ne, si dispensatio denegetur, partes nihil ominus matrimonium civile ineant, et forsan in eo se sistant, concedi solere dispensationem, saltem partialem, seu a duobus bannis, ob causam non ita in se gravem.

117. II. *Ad quem pertineat dispensationem a bannis concedere ?*

1° Ex Concilio Tridentino, illud ad ordinarium pertinet: per ordinarium intelligitur episcopus, ejusve vicarius generalis, necnon et capituli sede vacante : non vero parochus, ut constat tum usu communi, tum pluribus Galliæ Conciliis quæ illum formaliter excludunt. Aliquando tamen poterit parochus, non quidem dispensationem concedere, sed uti ut dicunt, *epikeia*, id est,

judicare legem non obligare in quodam casu necessitatis, v. g. si agatur de conjungendis in articulo mortis concubinariis civiliter tantum junctis, ad legitimandum prolem coram Ecclesia ; si autem non adsit proles, non videtur, ait D. Bouvier, cur tam præcipitanter daretur benedictio nuptialis, maxime si altera pars non esset recte disposita, et mors certa appareret ; tunc sincera promissio matrimonium catholice ineundi, si recuperetur sanitas, sufficeret, ut confessarius ultima ministaret sacramenta. Cæterum aliquando præscribitur in Ritualibus quid in hujusmodi casibus necessitatis agendum ; his absque dubio obtemperandum est.

Satis intelligitur, si agatur de dispensatione a proclamationibus civilibus, recurrendum esse ad auctoritatem civilem, ad normam articuli 169 *Cod. civ.* Cura illa commissa fuit Procuratori regio, qui non potest dispensare nisi a secunda proclamatione, et quidem gravibus de causis, quas notas facit ministro justitiæ.

2° Si duæ partes sint diversæ diœcesis, contendunt multi sufficere unius episcopi dispensationem. Verum communius aliter sentiunt auctores. Ait Alasia ita censuisse plura Concilia provincialia, et ita declarasse S. Congregationem 20 april. 1606. Huic sententiæ consentanea est praxis communis, a qua non recedendum: nam cum proclamationes fieri debeant in utraque diœcesi, nulla videtur inter eas connexio : possunt adesse rationes dispensandi pro una, quin adsint pro altera : impedimenta possunt detegi ex utraque parte : ergo hic non applicatur ratio dubitandi quæ militat quando agitur de impedimento, quod nempe impedimentum non possit tolli in una parte quin tollatur et in altera.

118. III. *Qua forma concedenda sit dispensatio ?*

Quamvis nullo jure statutum videamus, ad validitatem dispensationis bannorum, ut scripto concedebatur, attamen a longo tempore fert praxis in Galliis recepta, ut sicut bannorum proclamationes, ita et dispensationes sigillo episcopali munitæ, in tabulis a parocho referantur, ad quas, si opus sit, recurri possit. Illud est prudentiæ regulis omnino consentaneum, ut et parocho melius constet de dispensatione, et, casu exigente, ipse aliis eam probare possit.

ART. 4. *De obligatione quam fidelibus imponit bannorum promulgatio.*

119. Certum est fideles generatim teneri, sub peccato mortali, revelare impedimenta sive dirimentia, sive etiam prohibentia, quæ noverint: lex enim ecclesiastica, quæ illud præcipit, est in materia gravi, ut patet sive ex summa cura qui illius observationi invigilat Ecclesia; sive ex pœna sub qua fertur, nempe excommunicationis; sive demum ex consectariis, siquidem agitur de impediendis nubentium iniquitate et peccatis ex illicito matrimonio secuturis, sacramentorum profanatione, familiarum perturbatione, etc. Neque ab ea obligatione immunes sunt incolæ alterius parochiæ, aut etiam diœcesis; lex enim illa fertur nomine Ecclesiæ, cui omnes Christiani subjacent, et nititur præcepto charitatis quod ad omnes spectat.

Sed difficultas est de iis qui noverunt sub secreto, aut qui sine gravi damno revelare nequeunt.

120. I. *De iis qui impedimentum noverunt sub secreto.* Distinguendum est inter varias secreti species. Vel est secretum *promissum* tantum, vel est *commissum:* secretum dicitur simpliciter *promissum*, quando res jam aliunde cognita erat; *commissum* vero, quando res non est declarata nisi sub conditione secreti.

1° Qui novit impedimentum sub secreto *promisso*, debet revelare: quando enim rem cognovit modo legitimo, societas jus acquisivit illius revelationem exigendi propter bonum commune; nec illo jure privari potuit per promissionem subsequentem.

2° Si sub secreto *commisso*, rursus distinguendum est: vel est secretum confessionis, vel consilii, vel solummodo conversationis.

1. Qui novit sub secreto *confessionis*, revelare non tenetur, imo nec potest: hujusmodi sigillum nullo in casu violari potest.

2. Qui noverunt sub sigillo *consilii*, quia ratione suæ professionis ab iis petitum est consilium, quales sunt parochi, doctores, advocati, medici, obstetrices, etc. eximuntur etiam ab obligatione revelandi; ita expostulat bonum commune; quia si hi fidem fallant, jam

nemo erit qui in rebus difficilibus consuli possit, et omnis consiliis præcluditur aditus cum maximo totius societatis detrimento, ut facile intelligitur.

3. Qui novit impedimentum sub secreto *conversationis*, revelare debet: ita communiter Doctores post S. Thomam. Revelando enim providet bono publico, bono ipsorum contrahèntium: nec tanti interest ut locus semper adsit hujusmodi secretis.

121. II. *De iis qui impedimentum revelare non possunt absque gravi damno.* Principium generale est, neminem teneri revelare impedimentum, quando id non potest sine gravi detrimento: lex Ecclesiæ et charitas non obligant cum tanto incommodo.

Hinc 1° revelare non tenetur qui ex revelatione timendam habet mortem aut gravia mala, ut accidere potest famulis, etc. Item qui non nisi cum propria infamia.

Hinc 2° excusatur qui revelare nequit nisi cum gravi detrimento suorum, v. g. patris, matris, filiorum: censeretur damnum ipse subire.

Hinc 3° excusant non pauci eum qui revelare nequit nisi cum infamia tertiæ personæ; quia inter duo præcepta illud observandum est quod gravius urget: porro præceptum charitatis et justitiæ quod ad silentium obligat aliis omnibus præstat. Attamen hanc decisionem parum probant alii; ea enim admissa, maxima ex parte inutilis evadit lex Ecclesiæ. Aliunde valeret quidem ratio allata, si magnum timeretur scandalum, quia crimen tertiæ personæ publicum evadet, exindeque magnum illa patietur detrimentum; sed cum plerumque hæc timenda non sint, si revelatio fiat parocho aut episcopo prudenti, revelatio videtur exigi tum ex reverentia sacramenti, tum ex charitate erga ipsosmet sponsos, præsertim erga innocentem et crimen alterius ignorantem. Cum illud pendeat multum a circumstantiis, et tertiæ personæ honori et famæ plus minusve consulendum sit, satius erit ut, nemine designato, interrogetur vir prudens, quid agendum sit.

Sed 4° infamia sponsorum non est ratio sufficiens abstinendi a revelatione. Equidem primo sunt ipsi monendi, ut vel a matrimonio desistant, vel dispensationem obtineant. Si vero monito non obtemperent,

revelandum erit impedimentum : malum quod incurrunt sibi debent tribuere, et insuper eorum saluti consulitur, quæ est anteponenda eorum famæ. Ita communiter auctores.

ART. 5. *Quid agere debeant pastores quibus denuntiantur impedimenta.*

122. Parochus cui denuntiatur impedimentum, omnia debet quæ christiana prudentia suggesserit media adhibere, quibus denuntiati impedimenti perspectam habeat veritatem aut falsitatem. Itaque 1° omni qua poterit apud denuntiatorem aget solertia, ut ab illo scriptam denuntiationem obtineat, vel saltem, si possibile sit, coram duobus testibus emissam : ne scilicet forte postea denuntiatio denegetur, et ipse in calumniæ suspicionem veniat. 2° Diligenter conquiret qualem ille denuntiator apud vulgus habeat opinionem probitatis : et supponendo eum esse alias virum fide dignum, an forsan in hæc peculiari occasione non aliquo invidiæ aut vindictæ spiritu ducatur. 3° Mature perpendet quales prædicti impedimenti probationes, qualiave proferat indicia. Si illud revelet cum propria infamia, non ideo illius testimonium omnino recusabit, sed magna utetur cautione. 4° Tandem, juxta monitum S. Caroli, cum ipsis partibus, eorumve parentibus, seorsim colloquetur, graviterque eos monebit, ut libere dicant utrum hujus impedimenti sint, vel non sint conscii.

His autem absolutis, vel videt parochus futilem esse et probatione destitutam denuntiationem ; vel talem afferri probationem, ut statim posset, etiam coram judice, admitti ; vel demum adeo ambigua proferri impedimenti indicia, ut partes nunquam possent de illo coram judice convinci. Si 1°, potest, et, ubi partes exigunt, debet ad matrimonii celebrationem procedere. Si 2°, partibus absolute deneget benedictionem, donec certo existentis impedimenti dispensationem obtinuerint. De quo advertendum est, ad id sufficere aliquando posse unius testis denuntiationem : est opinio communissima, innixa pluribus juris canonici dispositionibus, præsertim cap. *Præterea*, xii. *de sponsalibus*, et variis decisionibus S. Congregationis Concilii.

Ratio est, quia hic non agitur de infligenda pœna, sed de peccato vitando, et de removendis multis incommodis. Si 3°, supersedeat, et rem ad episcopum deferat.

123. *Nota.* Olim non tantum via revelationis, sed etiam via *intercessionis*, seu ut dicitur, *par voie d'opposition*, poterat quis matrimonio obsistere apud parochum. Tunc a parocho servandæ erant formalitates variæ iis similes quas præscribit Codex civilis, art. 172, et seq. ab officiario civili adimplendas: quia nempe, cum personam gereret officiarii etiam a principe delegati ad assistendum matrimonio, ad eum recurrere debebant illi qui ex causa etiam civili matrimonio obsistere volebant. Hodie vero causæ omnes civiles ad judicem civilem deferendæ sunt; et si quis velit ex motivo canonico obsistere, id unum ei superest, ut recusante parocho, ad episcopum recurrat.

APPENDIX.

DE MATRIMONIIS OCCULTIS QUÆ CONSCIENTIÆ DICUNTUR.

124. Cum eo præcipue spectent banna, ut publica sint matrimonia, ideo opportune hic agendum occurrit de matrimoniis occultis quæ *Conscientiæ* vulgo nuncupantur.

Variis temporibus vario quoque sensu intellecta sunt hæc matrimonia conscientiæ, ut explicat Benedictus XIV., *de Synod.*, l. xiii. c. xxiii. n° 12. Hodie ea dicuntur matrimonia *Conscientiæ*, quibus vir et femina, coram parocho et duobus testibus familiaribus, sed omissis ex indulto denuntiationibus, connubio junguntur: omnis cura adhibetur ut hæc matrimonia occulta remaneant, ad evitanda hominum improbantium dicteria, aliasque molestias: unde silentium imponitur parocho et testibus. Ab his non multum differunt matrimonia quæ sæpe fiunt in Germania, et dicuntur ad *Morganticam*, gallice *Mariages de la main gauche*. Satis erit breviter exponere quid de hujusmodi matrimoniis censendum sit.

1. *Ex jure canonico.* 1° Illa matrimonia *sunt valida*. Si enim nullum aliunde obstet impedimentum, nihil est in eorum forma quod eorum validitatem infirmare possit.

2° *Sunt ordinarie illicita.* 1. Ex legibus Ecclesiæ, cujus hic est spiritus, ut publica inter fideles matrimonia celebrentur. Id inculcat Benedictus XIV. in constitutione *Satis vobis compertum*, 17 nov. 1741, quæ præsentem materiam respicit. 2. Ex ratione, nempe ex gravibus incommodis quæ ex his matrimoniis sequi possunt. Præcipua sunt: scandalum exinde ortum, quod conjugaliter vivere conspiciantur ii qui pro conjugatis non habentur; si autem, ut vitetur illud incommodum, conjuges separatim vivant, tollitur individuæ vitæ societas, quæ matrimonio competit: malum puerorum, qui sæpe exinde derelinquuntur, et qui pro spuriis haberi periclitantur: facilitas novi matrimonii contrahendi.

3° *Possunt tamen aliquando esse licita.* 1. Ex auctoritate. Ait Benedictus XIV., *de Synod.* n° 13, contrariam Sambovii opinionem esse

nimis a communi sensu remotam, cum non desint casu in quibus debet superior matrimonia conscientiæ permittere. 2. Ex ratione. Si quid obstaret quominus aliquando licita fierent hæc matrimonia, maxime scandalum : porro si justa causa adsit clam contrahendi, scandalum non erit datum, sed acceptum ; jam vero aliquando possunt adesse legitimæ causæ ita contrahendi.

4° *Licita non fiunt nisi servatis quibusdam conditionibus.* Has regulas prudentiæ commendat Benedictus XIV. in *præfata const.* 1. Monet ut illæ dispensationes non concedantur nisi ex gravi urgenti et urgentissima causa ; 2. ut fiat diligens personarum inquisitio, ita ut constet nihil eorum matrimonio obstare ; 3. ut ad assistendum matrimonio deputetur parochus vel sacerdos qui doctrina et prudentia commendetur ; 4. ut instrumentum celebrationis cum omnibus ad illud attinentibus servetur accurate in libro, vel folio obsignato ; 5. moneantur conjuges quod, si proles nata fuerit, non solum baptizetur, sed ea efficiantur quibus constet eam esse legitimam et baptizatam : quod si hæc negligant, matrimonium divulgabitur.

II. *Ex jure civili.* Olim illa matrimonia habebantur ut valida quoad vinculum, sed erant irrita quoad effectus civiles, adeo ut filii ex iis orti incapaces forent successionis. Hodie nihil peculiare statuitur : matrimonium ergo, modo serventur formæ per legem præscriptæ, etiamsi nihil negligatur ut occultum remaneat, valebit etiam quoad effectus civiles.

CAPUT III.

DE CONSENSU PARENTUM.

125. Hæc tria statuere sufficiat.—I. Peccant filii, saltem ordinarie, quando nubunt absque consensu parentum.

Prob. 1° ex Scriptura, in qua parentibus commissum videtur officium filiis suis conjuges dandi. *Exod.*, c. 34, v. 26 ; *Deuter.*, c. 7, v. 3 ; *Jerem.*, c. 29, v. 6. 2° Ex variis legislatorum dispositionibus, qui hujusmodi matrimonia sub gravissimis pœnis prohibuerunt. 3° Demum ex ipsa ratione : hoc erga parentes, in re tanti momenti, obsequium postulant reverentia eis debita, pax familiarum, optima societatum civilium constitutio, felix in præsenti et quoad alteram vitam conjugiorum exitus. Unde graviter reus est qui nubit omnino inconsultis parentibus : qui autem iis consultis non obedit, judicandus erit plus minusve peccare pro variis circumstantiis.

Hinc vim non habent sponsalia inita absque consensu parentum, seu parentibus rationabiliter invitis, etiamsi fuissent juramento confirmata. Cum enim ea promissio sit de re illicita, vim habere non potest ; neque juramentum est vinculum iniquitatis.

Non tamen filius per se tenetur, saltem sub gravi, obedire parentibus præcipientibus matrimonium, aut tale matrimonium : quia in matrimonio ineundo, filius debet esse liber ; et aliunde tanta ordinarie mala oriuntur ex matrimonio quod quis non sponte consentiens contraxit, ut irrationabiles sint parentes qui ea de re aliud quam concilia adhibent.

Dixi *Per se*, quia si illud matrimonium illud valde referat, ad sublevandam necessitatem parentum, vel ad dissidia tollenda, etc., filius debet, saltem ex pietate filiali, parentibus morem gerere, nisi gravis quædam causa obstet.

126. II. *Ex jure naturali et divino* valida sunt matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita.

Prob. Contra Lutherum, Calvinum et multos ex illorum asseclis, qui docuerunt ea irrita esse, aut saltem per auctoritatem parentum irritarum posse. 1° Ex ratione. In iis matrimoniis reperiuntur ea omnia quæ matrimonium efformant: in iis enim constituendis quæ sunt adeo personalia et ad statum totius vitæ pertinent, qualia sunt matrimonia, liberum unumquemque esse convenit. Reverentia quidem erga parentes quædam filiis imponit officia ; sed semper debetur ea reverentia, et tamen quis dicat filios, ad quamcumque ætatem pervenerint, indigere consensu parentum ad validum matrimonium ? Jus autem divinum nihil habet quo irrita declarentur matrimonia de quibus agimus. 2° Ex Concilio Tridentino, sess. xxiv. cap. 1, *de Reform. matrim.* : " Jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat...qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse."

127. III. Nil vetat dicere olim irrita fuisse *ex jure positivo* hæc matrimonia ; et nunc etiam irrita pariter fieri posse, si legitima potestas id decerna.

Prob. Prius constat ex Benedicto XIV. *de Synod.* l. ix. c. xi., ubi propugnat ita olim fuisse ex jure Romano, cujus dispositiones ratas habuerat Ecclesia saltem pluribus in locis. Posterius autem per se satis apertum videtur. Nec obstat decretum Concilii Tridentini mox allatum, quo per stringitur tantum error

Protestantium, nec ideo reprobatur lex qua auctoritas aliunde legitima ea irrita, sicut olim declararet.

Porro jurisperiti nostri olim docebant, innixi edictis regiis et jurisprudentia constanti recentioribus præsertim temporibus, irrita esse aqud nos matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita. Idem hodie docent nostri jurisperiti ex Codice civili : sed difficultas est, an princeps potuerit, an voluerit attingere ipsum vinculum matrimonii, de quo ubi *de Impedimentis civilibus*.

Cæterum cum apud multos auctores satis implicata sint ea quæ spectant ad illud decretum Concilii Tridentini, si quis ea fuse investigare velit, vid. P. M. n° 448 et seq., et auctores indicatos.

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII CANONICIS.

128. Agemus 1° de impedimentis in genere ; 2° de impedimentis in specie ; 3° de dispensatione ab impedimentis ; 4° de ratione agendi tenenda quando impedimentum canonicum non fuit per dispensationem sublatum.

ART. 1. *De impedimentis canonicis in genere.*

129. Per impedimentum matrimonii generatim intelligitur illud omne quod obstat ne matrimonium licite, aut etiam valide contrahatur : si obstet validitati, *dirimens*, si vero solum legitimati, *prohibens* seu *impediens* appellatur ; unum ex lege simpliciter prohibente, alterum ex lege irritante oritur.

Cum autem plura autem matrimonio spectari possint, ut in prima parte vidimus, nempe sacramentum, vinculum naturale seu conscientiam ligans, vinculum externum et legale, conventiones matrimoniales seu pecuniariæ, et varii alii effectus civiles, ut bene perspecta habeatur natura impedimenti dirimentis, sedulo attendendum est in quodnam præcise cadat nullitas per illud inductat. Porro satis patet illud solum proprie et

absolute sine restrictione dici posse impedimentum dirimens matrimonii, quod vinculum naturale matrimonii afficit in conscientia, seu quod ipsum contractum naturalem dirimit. Et revera, si appellemus non solum theologos, sed et eos omnes qui notionem aliquam distinctam habent circa impedimenta matrimonii, omnibus per suasum est eos qui cum impedimento dirimente contraxerunt, non posse uti matrimonio sine fornicatione, sed posse ab invicem separari et aliud matrimonium inire ; quod locum non haberet, si facta fuisset dominii in corpora translatio : porro, ut impediatur illa translatio, evidens est requiri ut irritetur contractus naturalis, cum ille nihil aliud sit quam contractus quo transferetur dominum in corpora ; ergo, etc. Hunc esse effectum impedimentorum quæ ex jure naturali aut divino oriuntur, nemo ambigit; sed quando agitur de impedimentis juris positivi, illud quidam negaverunt, aut non satis attenderunt, ut in decursa videbitur, ubi exponemus et quomodo ad id adducti sint, et quam graviter in eo erraverint.

His præmissis, tria hic expendemus : 1° an Ecclesia possit ferre impedimenta dirimentia ; 2° quibusnam in Ecclesia competat hæc postetas ; 3° quinam his impedimentorum legibus subjiciantur.

§ 1. *An Ecclesia ferre possit impedimenta matrimonium dirimentia.*

130. Quæstio non est, 1° an possit Ecclesia statuere impedimenta prohibentia ; id facile concedunt omnes. 2° Non quæritur etiam an possit impedimenta juris naturalis et divini declarare, et legibus suis sancire ; nemo de hoc dubitat. 3° Difficultas est igitur solummodo, an possit ferre nova impedimenta dirimentia, quæ vere contractum naturalem irritent sensu mox exposito. Porro 1° auctoritatem Ecclesiæ impugnaverunt Lutherus et Calvinus, qui docebant matrimonium non esse sacramentum, sed contractum mere civilem, ideoque subjici tantum auctoritati principum, et Ecclesiam nil aliud posse quam promulgare leges in Scriptura sacra contentas, a quibus proinde non potest dispensare. 2° Lutheri errorem renovavit, saltem magna ex parte,

M. Ant. de Dominis : item Launoius qui directe intendit asserere hanc potestatem competere principibus, sed simul eam Ecclesiæ eripere nititur ; Leridanus, Maultrot, Agier et multi alii Janseniani ; et demum nostris temporibus Tababaud. 3° Alii demum ore tenus admittens auctoritatem Ecclesiæ, eam nihilominus in rei veritate convellerunt, admittentes quidem Ecclesiam posse apponere impedimenta dirimentia sacramento, sed principi reservantes facultatem ea apponendi contractui, vel ita explicantes naturam impedimenti dirimentis, ut nomine retento, res ipsa de medio tolleretur. Ita quidam theologi, et præsertim jurisperiti.

Contra eos omnes sit.

PROPOSITIO.—*Ecclesia jure divino auctoritatem habet statuendi impedimenta matrimonii vere dirimentia;* id est, *ipsum contractum naturalem directe irritantia.*

Prob. 1ª *pars.* I. *Ex praxi Ecclesiæ.* Ecclesia a primævis sæculis potestatem exercuit apponendi matrimonio impedimenta dirimentia : atqui hæc praxis invicte probat hanc potestatem ipsi competere jure divino ; ergo revera, etc.

Prob. Maj. duplici quidem ratione.

1° *Ex historiæ monumentis.* Si percurrantur annales Ecclesiæ quolibet sæculo occurrent leges latæ ab Ecclesia circa matrimonium ; rarius quidem prioribus sæculis, sed quarto sæculo quædam memorantur tanquam a Patribus acceptæ et usu firmatæ, quæ proinde in tribus prioribus latæ fuerant : aliæ eodem quarto sæculo constitutæ referuntur, et multo plures posterioribus sæculis, ut videri potest apud GIBERT, *Histoire sur le sacrament de Mariage.* Porro plures ex illis legibus expresse satuunt impedimenta dirimentia, quidquid contradicant adversarii : in iis enim legitur *non adesse matrimonium*, *non esse uxorem eam* quæ ducta est, *non esse conjugii nomine deputandos*, *matrimonium esse solvendum*, *conjunctionis vincula dissolvenda*, *irritas esse nuptias*, *esse fornicationem* vel *adulterium*, et alia hujusmodi. Ergo, etc.

2° *Ex præscriptione.* Agnoscunt adversarii jam a multis sæculis Ecclesiam exercere auctoritatem appo-

nendi matrimonio impedimenta dirimentia. Porro exinde sequitur eam semper exercuisse. Nam vel res ita est, vel illius exercitii initum repetendum est a falsis Decretalibus, ut contendunt adversarii ; atqui posterius dici nequit : quod ostenditur 1. ex praxi ecclesiæ Græcæ, apud quam viget hujus auctoritatis praxis, quamvis falsas Decretales nunquam admiserit. 2° Ex ratione. Si novam omnino disciplinam induxissent illæ Decretales nunquam tantam auctoritatem obtinuissent : quis enim sibi persuadeat omnes ita potuisse decipi, ut tanquam jam a longo tempore receptum illud admitterent, de quo nunquam audierant ? Ideo igitur fuerunt admissæ, quia confirmabant magna ex parte disciplinam antea vigentem. Ergo, etc.

Prob. Min. Scilicet ex illa praxi deducendum hanc potestatem Ecclesiæ competere jure divino. Vel enim Ecclesia hanc habet ex jure divino, vel eam usurpavit, vel a principibus accepit, vel solummodo consequenter ad principium leges ipsa statuit : atqui tria posteriora dici nequeunt.

1° *Non eam usurpavit.* Ecclesia enim, cui perpetuo assistit Spiritus sanctus, non potest sibi tribuere potestatem quam non habet. Aliunde certo reclamassent principes, et conquesti fuissent ; quod tamen factum non legimus.

2° *Non eam potestatem a principibus accepit.* Hujus enim concessionis quædam exstarent vestigia ; atqui nulla tamen supersunt : imo videmus ipsos principes ad Ecclesiam recurrere, ut impedimentorum dispensationem obtineant ; et eos ad suum tribunal evocat Ecclesia, quando, spretis ipsius legibus, nubunt, et se submittunt principes. Et vero eam profecto non recepit sub principibus ethnicis, nec etiam nunc in terris principium infidelium : atqui tamen hanc exercuit sub ipsis principibus ethnicis ; et nunc in missionibus infidelium : neophyti subjiciuntur legibus Ecclesiæ. Ergo, etc.

3° *Dici nequit Ecclesiam non statuisse de matrimoniis nisi consequentur ad leges principium*, scilicet ad jus Romanum, quod per universum fere orbem vigebat. Obstant quin illud dici possit, 1. natura legum Ecclesiæ ; plura enim impedimenta, in jure canonico memorata, non admittebantur in jure Romano : 2. circum-

stantiæ temporum ; jus illud a sua auctoritate paulatim excidit, quando, a sexto ad nonum sæculum, Europam invaserunt gentes barbare ; et tunc nihilominus vigebant leges ecclesiasticæ : 3. circumstantiæ locorum; ubi fides alicubi prædicta est, SS. Pontifices populos, etiam juri Romano extraneos, impedimentis canonicis subjecerunt; sic S. Gregorius Magnus Anglos, Gregorius II. Germanos, Nicolaus I. Bulgaros ; sic hodie subjiciuntur populi recens conversi.

131. II. *Ex Concilio Tridentino.* In sess. xxiv. can. 4, sic legitur : " Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit." Videri possunt etiam canones 3, 9, 12. Ex quibus sic argumentamur. Illa potestas Ecclesiæ competit, quam sibi jure divino competere definivit ; evidenter id sequitur ex infallibilitate Ecclesiæ ; atqui Ecclesia definivit, in canonibus allatis, potestatem statuendi impedimenta dirimentia sibi competere jure divino. Etenim ex ipsis verbis patet Ecclesiam *sibi* ipsi vindicare hanc potestatem : nec ulla confutatione indiget quod contendit Launoius, Concilium nomine Ecclesiæ voluisse designare cœtum fidelium ; et maxime principes; illud enim adeo est absurdum, ut a nemine quem sciamus, post Launoium, admissum fuerit. Probandum ergo tantum superest hanc sibi vindicare tanquam sibi competentem *jure divino*, seu jure proprio, non vero tantum jure mutuato a principibus. Istud autem duplici momento adstrui potest.

1° *Ex sensu obvio verborum.* 1. Concilium loquitur pure et simpliciter de jure Ecclesiæ ; porro quando Ecclesia loquitur de jure suo, intelligendum est de jure proprio, nisi contrarium indicetur ; alioquin in errorem inducerentur fideles. 2. Error Lutheri in eo erat, quod negaret jus proprium Ecclesiæ ; ergo illud asserere debuit Concilium. Insuper, quisquis fuerit error Lutheri, non debuit Concilium, ut illum damnaret, in alium errorem incidere, sed debuisset tantum definire legibus positivis irritari posse matrimonium. 3. Concilium damnat eos qui contenderent Ecclesiam errasse in constituendis impedimentis : porro si non ageretur nisi de potestate quam haberet Ecclesia ex concessione

principium, jam in illius usu nullam haberet infallibilitatem; Christus enim assistentiam non promisit Ecclesiæ potestate extranea utenti. 4. Concilium infligit anathema contradictoribus; jam vero nemo non videt satis ridiculum fore Ecclesiam eo modo sibi vindicare potestatem quam quolibet instanti posset amittere, si nempe concessionem revocarent principes.

2° *Ex agendi ratione Concilii.* Quando actum est de matrimoniis clandestinis et filiorum familias, Concilium 1. declarat valida esse, quandiu ea Ecclesia irrita non fecit; 2. matrimonia clandestina irritat; 3. quamvis vehementissime expostularent oratores Galli, ut irritarentur matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita, renuit Concilium. Porro hæc omnia sane non indicant Concilium agere tantum voluisse et credidisse ex jure sibi a principibus concesso; ergo Concilium loquitur de jure Ecclesiæ proprio. Unde illius definitio non potest ad meram disciplinam revocari, sed est vere dogmatica.

Confirmatur illud argumentum, et tota simul propositio, ex Constitutione *Auctorem fidei*, quæ, ut constat apud catholicos, vim irrefragabilem habet in universa Ecclesia. In ea sic legitur, prop. 59: "Doctrina synodi (Pistoiensis) asserens, ad *suprèmam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullam reddunt, dicunturque dirimentia; ...* quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullam reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare, canonum 3, 4, 9, 12, *sess.* xxiv. Concil. Tridentini, eversiva, hæretica." Hac definitione nihil apertius desiderari potest.

132. III. *Ex ratione.* Ecclesia potest apponere matrimonio impedimenta dirimentia, si matrimonium, etiam spectatum sub ratione contractus, sit de illius foro: atqui revera matrimonium est de foro Ecclesiæ; ergo, etc.

Prob. Maj. Ecclesia, virtute clavium quas accepit a Christo, ea omnia statuere potest in rebus ad suum forum

spectantibus quæ necessaria vel utilia judicaverit: et generatim potestas suprema et independens in suo ordine quotiescumque versatur circa materiam sibi subjectam, non alios agnoscit limites nisi justitiæ et æquitatis, seu boni publici. Porro quando agitur de contractu, præsertim indissolubili, bonum publicum, nedum obstet, contra sæpe postulat ut irritus declaretur; quia, si prohibeatur tantum, qui legem infringere volent ulterius progredientur, ea spe inducti quod contractus semel initus dissolvi non poterit; ergo, si matrimonium sit de Ecclesiæ foro, poterit statuere impedimenta dirimentia.

Prob. Min. scilicet matrimonium esse revera de foro Ecclesiæ. Illud haberi debet tanquam objectum ecclesiasticum, quod, ex sua substantia et suo fine, relationem dicit ad ordinem spiritualem, seu quod directe tendit ad bonum spirituale Ecclesiæ; hæc est unica regula, qua discerni possint objecta ecclesiastica ab objectis mere civilibus. Porro tale est matrimonium; quidquid dicant adversarii, non minus spectat ad ordinem spiritualem quam ad temporalem: etenim sicut patriæ cives, milites, etc., procreat, ita et Ecclesiæ filios et ministros; matrimonia male composita multa inducunt incommoda nociva societati, sed non minus nociva religioni; ex matrimoniorum regulis pendet filiorum educatio, quæ non minoris refert ad bonum spirituale quam ad bonum temporale; uno verbo, nulla afferetur matrimonii relatio ad bonum temporale, quæ non simul respiciat bonum spirituale. Ergo, etc. Insuper si meminerimus matrimonium fuisse primitus a Deo institutum ut unionem Christi et Ecclesiæ præfiguraret, et postea a Christo accepisse vim conferendi gratiam conjugibus, quatenus est vel totum sacramentum vel saltem pars illius essentialis et intrinseca, facile agnoscemus vix alia reperiri objecta quæ tanti momenti sint, et tam directe referantur ad bonum spirituale. Hinc docent Pius VIII. et Gregorius XVI. in suis Encyclicis, 24 maii 1829 et 15 aug. 1832, matrimonium sacris rebus accensendum esse, ideoque Ecclesiæ omnino subjici.

133. *Prob* 2ª *pars*, scilicet Ecclesiam ferre posse impedimenta *ipsum contractum naturalem directe irri-*

tantia. Illud quidem jam ex allatis argumentis satis probatum censeri potest, cum omnia referantur ad impedimenta dirimentia sensu obvio et secundum notionem vulgarem supra datam intellecta ; specialibus tamen quibusdam momentis confirmare operæ pretium erit, tum ad confutandos tertiæ classis adversarios quos nacta est Ecclesiæ auctoritas, tum quia frequenter evenit ut non satis id attendant multi catholici. Probatur itaque.

1° *Ex Concilio Tridentino.* In Can. iii. aperte supponit impedimenta ab Ecclesia instituta ejusdem esse ordinis et roboris ac impedimenta consanguinitatis et affinitatis quæ in Levitico exprimuntur ; atqui hæc certe afficiebant ipsum contractum. Insuper melius cognosci nequit quid censuerit Concilium de natura impedimenti, quam illud expendendo quod statuit ; porro adeo sunt aperta illius verba, ut nulla explicatione indigeant : " Qui aliter quam præsente parocho ... et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus *ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*, et hujusmodi *contractus irritos et nullos* esse decernit." Ergo, etc.

2° *Ex definitionibus SS. Pontificum.* 1. Benedictus XIV. ut ipse refert *de Synod.* l. vi. c. vii. n° 5, respondit cuidam missionario Hollandiæ : " Ubicumque promulgatum sit et receptum Concilii Tridentini decretum, ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse conjugia aliter celebrata, quia Tridentina synodus, non sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronuntiat." 2. Pius VI. *loc. cit.* loquitur de impedimentis, quæ *matrimonium non solum impediant, sed et nullam reddant qnoad vinculum :* ergo impedimentum attingit contractum naturalem, ex quo oritur illud vinculum.

3° *Ex ratione.* Vel impedimentum directe attingit contractum naturalem, vel sacramentum ; nemo enim dixerit attingere contractum civilem quatenus distinguitur a contractu naturali : atqui non attingit directe sacramentum. Impedimentum enim dirimens, quod directe attingeret sacramentum, esset quædam incapacitas ad faciendum vel recipiendum sacramentum, vi cujus non conficeretur sacramentum, licet positis mate-

ria, forma, et intentione ministri per Christum determinatis : atqui talem incapacitatem nulla potestas humana directe inducere potest. Deus enim solus statuit omnes conditiones ad validitatem sacramenti requisitas, id est materiam, formam, et ministrum : quotiescumque adsunt, conficitur sacramentum ; potest Ecclesia prohibere receptionem aut confectionem sacramenti, directe vero irritare nequit, cum nihil possit in substantiam sacramentorum. Ergo, etc.

Dixi *Directe*, quia indirecte impedimentum attingit 1° sacramentum, quatenus, sublato contractu qui est materia aut saltem veluti basis sacramenti, sacramentum subsistere nequit, ut patet. 2° Attingit contractum civilem, quatenus destruit contractum naturalem, qui est basis et fundamentum contractus civilis : sed ne indirecte quidem attingit necessario existentiam legalem matrimonii ; lex enim civilis potest habere tanquam validum matrimonium quod in rei veritate non existit, et quod tunc dici debet matrimonium putativum, seu spècies externa tantum matrimonii : a fortiori non attingit necessario conventiones matrimoniales, quia lex tribuere potest effectus civiles etiam matrimonio irrito.

Hinc qui matrimonium contrahit cum impedimento canonico dirimenti, non solum non recipit sacramentum, sed nec facit contractum matrimonii, ideoque non potest uti matrimonio. Potest tamen habere jus ad effectus civiles, quando agitur de impedimento quod non agnoscit auctoritas civilis.

Solvuntur objectiones.

134. *Obj.* 1° Ecclesia non potest mutare substantiam sacramentorum, ut Constat ex Concilio Tridentino, *sess.* 21, cap. 2, ubi declarant Ecclesiam posse statuere de sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia:* atqui tamen, statuendo impedimenta dirimentia, mutaret substantiam sacramenti matrimonii ; siquidem efficeret ut consensus, qui antea validus erat, invalidus fieret ad matrimonium efformandum. Ergo, etc.

R. 1° Illa difficultas impetit, saltem a pari, potesta-

tem principium ; ergo proponi non nequit ab iis quos imponandos hic habemus.

R. 2° *Neg. Min.* Mutare materiam sacramenti esset efficere ut quod antea sufficiebat ad sacramentum, adhuc retinens suum *esse* jam non sufficeret, vel ut aliquid diversum ab eo quod requirebatur jam sufficeret; sed si illud quod sufficiebat amittat suum *esse*, non ideo mutatur materia sacramenti. Sic v. g. qui ex aqua faceret cerevisiam, ex vino acetum, aut ex pane cineros, non sane diceretur mutare materiam Baptismi aut Eucharistiæ : quid ita ? quia aqua, vinum et panis remanent semper materia Baptismi et Eucharistiæ; solummodo, quod erat, jam non est aqua, etc. Porro idem locum habet in matrimonio : materia sacramenti est contractus validus, seu translativus dominii in corpora ; illudque verum remanet post legem Ecclesiæ, sicut antea ; Ecclesia impedit tantum ne talis contractus sit validus, ac proinde ne existat materia; ergo nullatenus mutat materiam sacramenti. Ita difficultatem illam in Concilio Tridentino solvit Camillus Campegius, Dominicanus, cui annuisse feruntur plerique Patres. Afferri posset etiam comparatio ex sacramento Pœnitentiæ, cujus substantiam non mutat episcopus qui per subtractionem aut jurisdictionis impedit ne confessarius absolvat valide.

135. *Obj.* 2° Matrimonium est contractus civilis ; atqui Ecclesia nihil potest in contractus civiles; etenim si aliquid posset directe, jam ipsi competeret potestas directa in res temporales, quam nemo agnoscit; si vero dicatur non attingere contractum civilem, nisi propter alium ejusdem respectum, semper verum remanebit ipsi competere potestatem indirectam in temporalia ; quæ tamen admitti non potest. Ita Tababaud.

R. Dist. Maj. Est contractus civilis simul et religiosus seu ecclesiasticus, *C.;* mere civilis *N.* Constat ex dictis matrimonium non posse haberi ut contractum mere civilem, sed alios habere respectus, quorum ratione subjicitur auctoritate Ecclesiæ. Nec ideo tribuenda est Ecclesiæ potestas, etiam indirecta, in res temporales. Nam potestas indirecta ea esset quæ tribueretur in res mere civiles, ob relationem indirectam ad spirituales: porro hic non ita est. Sed quando objec-

tum est mixtum, etiamsi utraque potestas illud attingat, non inde concluditur unam indirecte attingere quæ sunt alterius: si vero illud vocetur potestas indirecta, potest profecto admitti absque ullo incommodo, quia non contendendum de verbis.

136. *Obj.* 3° Christus nihil detraxit auctoritati principum: atqui tamen detraxisset, si, etc. Nam ante Evangelii promulgationem, ipsis solis subjiciebatur matrimonium: vel ergo dicetur potestatem ab ipsis transiisse ad Ecclesiam, vel dicetur Ecclesiam participem tantum effectum tantum fuisse ejusdem potestatis; porro in utroque casu aliquid amiserunt principes; in in priori, patet; in posteriori etiam, quia potestas divisa eo ipso minor est. Ita TABABAUD, passim.

R. N. Min. Ante Christum, poterant principes ea tantum statuere quæ ipsis videbantur necessaria aut utilia ad bonum temporale; sub eo respectu, potestas eorum est suprema imo et exclusiva: porro nihil in nostra propositione indicat aliud dicendum esse post Christum, quia Ecclesia non attingit matrimonium nisi quoad bonum spirituale. Ergo, etc.

§ 2. *Quibusnam in Ecclesia competat jus ferendi impedimenta dirimentia.*

137. 1° Certum est hanc potestatem inesse Concilio generali, quod Ecclesiam repræsentat.

2° Certum est etiam eam potestatem competere S. Pontifici: in ipso enim residet plenitudo auctoritatis ecclesiasticæ, vi cujus potest leges condere et decreta quæ pertinent ad omnes ecclesias.

3° Certum adhuc videtur potuisse olim Concilia particularia constituere impedimenta dirimentia. Revera pleraque ex iis quæ viguerunt in primis sæculis, originem ducunt a Conciliis provincialibus. Sed controvertitur an episcopi idem possint jure ordinario pro suis diœcesibus. Quamvis id videatur naturaliter sequi ex potestate legislativa quam habent, nunquam tamen vidimus impedimentum dirimens a privato episcopo inductum; quod satis mirum est, si hæc potestas eis competat.

Quidquid sit, commissime tradunt theologi, hodie ad

solum Concilium generale, vel ad S. Pontificem pertinere impedimenta dirimentia statuere. Cum enim episcopi et Concilia particularia subjiciantur Ecclesiæ et S. Pontifici, eorum jurisdictio, consentientibus omnibus Catholicis, ait BENEDICTUS XIV., *de Synod.*, l. vii. c. viii. nº 7, ejusdem S. Pontificis auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri potest. Porro facta fuit hæc limitatio seu reservatio, nempe ex consuetudine quam testantur fere omnes auctores.

138. 4° Cæterum necesse non est ut semper expressa lege feratur impedimentum : sufficere potest consuetudo ; de quæ hæc statui possunt, fusius evolvenda in Tr. *de Legibus.*

I. *Consuetudo inducere potest impedimentum dirimens.*

Prob. 1° Ex decisione ALEXANDRI III., cap. *Super eo*, 3, *de Cognat. spirituali ;* 2° ex eo quod reipsa quædam impedimenta induxerit consuetudo. Id agnoscunt plerique canonistæ : id expresse de impedimento disparitatis cultas asserit BENEDICTUS XIV., *Bullar*, t. iii. *Const.* ii. § 10. 3° Ex ratione : quia cum jura generatim tribuant consuetudini vim inducendi leges, nulla est ratio sufficiens excipiendi impedimenta matrimonii.

II. *Potest etiam consuetudo impedimentum abrogare.*

Prob. assertio, jam communissima. Cum generatim possit consuetudo derogare legi, non adest ratio sufficiens cur non possit isti derogare : tam potest esse rationabilis et honesta, ubi agitur de impedimentis, quam ubi de alia materia. Sicuti nova lex contra antiquam potest esse rationabilis, ita et consuetudo : initio peccatur, vel invalide agitur ; sed quod primum erat illicitum vel invalidum, fit postea legitimum.

III. Quamvis, ex præsenti Ecclesiæ disciplina, nec episcopus, nec ecclesia particularis possit statuere impedimenta dirimentia, *sufficere tamen videtur consuetudo unius ecclesiæ vel provinciæ, ad inducendum vel abrogandum impedimentum.* De tali consuetudine præcise loquitur ALEXANDER III., in textu allato : unde concludit *Collator Andegavensis*, quem sequitur COLLET, sufficere posse consuetudinem unius provin-

ciæ, imo et unius diœcesis. Et ratio est, quia tunc impedimentum vim suam habet, non ab hujus provinciæ aut diœcesis membris, sed ab Ecclesia seu a S. Pontifice, qui tali consuetudini consentit: unde docent theologi in Tr. *de Legibus*, ut vim habeat consuetudo, requiri quidem ut sit communitatis, sed sufficere communitatis, sed sufficere communitatem capacem recipiendæ legis, seu pro qua lex ferri possit.

§ 3. *Quinam subjiciantur impedimentis canonicis.*

139. Difficultas moveri potest de hæreticis et de infidelibus.

I. *De hæreticis.* Ut quæstio accurate solvatur, quædam notanda sunt.

1° Inter ea impedimenta unum est, nempe impedimentum clandestinitatis, de quo hic non agimus, quia sunt circa illud peculiares rationes dubitandi, quas in articulo sequenti seorsim expendemus.

2° Quæstio movetur de iis tantum hæreticis qui degunt in societate ab Ecclesia prorsus separata.

3° Quæstio sic posita a duobus pendet: 1. a jure Ecclesiæ; 2. ab illius voluntate. Circa primum, vix ulla est controversia; ostenditur enim in Tr. *de Legibus*, hæreticos non eximi ab auctoritate Ecclesiæ. Circa secundum ergo versatur tota difficultas, id est, circa voluntatem Ecclesiæ.

Porro docent non pauci, præsertim inter Germanos, valere matrimonia hæreticorum, non obstantibus impedimentis canonicis; id deducunt sive ex consuetudine, sive ex benignitate et sapientia Ecclesiæ. Alii contra tenent irrita esse hujusmodi matrimonia: tum quia vim habere nequit consuetudo quæ oritur ex pertinaci errore contra fidem catholicam, et directe tendit in contemptum veræ ecclesiæ; nec ecclesia debet legi suæ derogare propter hæreticorum rebellionem, quæ eo facilior reddetur, quo magis relaxabitur legum illius vigor; tum præsertim ex praxi ecclesiæ Romanæ, illiusque sensu, qui nobis innotescit, sive ex indulto quo a SS. Pontificibus conceditur episcopis facultas *dispensandi in contractis, cum hæreticis conversis, etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum*, unde

deducitur hæreticos indigere dispensatione ; sive ex auctoritate Benedicti XIV. qui illud declarat aut supponit, tum in Constitutione *Ad tuas manus*, directa ad episcopos Poloniæ, die 7 augusti 1748, *Bullar*, t. ii. n° lix. tum in declaratione data an. 1741 circa matrimonia Hollandiæ, tum demum in Epistola ad card. Eboracensem die 9 februar. 1749. *Bullar*, t. iii. *Const.* ii. in qua, pro casu quodam peculiari, ita diserte pronuntiat.

Inter illas opiniones, sic distinguendum esse putamus. Vel agitur de impedimentis non nisi post peractam hæreticorum separationem statutis, vel de statutis antea. Quoad priora, videtur satis communiter receptum eos hujusmodi legibus non teneri : illudque libenter admitteremus. Quoad posteriora, adhærendum putamas secundæ opinioni, præsertim ob praxim ecclesiæ Romanæ, et Benedicti XIV. auctoritatem.

Ex his concludere possumus valde probabile esse irrita esse matrimonia inita, apud nos, a Protestantibus, cum impedimento canonico. Multi quidem auctores agnoscunt ea valida fuisse ante revocationem edicti Nannetensis, ex tacita dispensatione Ecclesiæ, innixa quarto ex articulis secretis illius edicti ; quem tamen alii putant non valuisse nisi quoad effectus civiles : sed quidquid olim fuerit, articulus ille vim nullam habere potest post ejusdem edicti revocationem. Unde sequitur matrimonia eorum qui convertuntur iteranda esse. Attamen si timendum esset ne consensum renovare nollent, caute agendum esset, et consulendi superiores, præsertim cum res non sit omnino certa : sæpe enim magis expediret vel relinquere in bona fide, vel recurrere ad dispensationem *in radice.*

140. II. De infidelibus. 1° Constat eos subjici impedimentis non solum quæ ex jure naturali, sed etiam quæ ex jure divino derivantur.

2° Non minus constat eos directe non attingi per impedimenta quæ non nisi ex auctoritate Ecclesiæ fuerunt constituta : Ecclesia enim auctoritatem non habet in eos qui non fuerunt baptizati, secundum hæc verba Apostoli, I. Corinth., v. 12 : *Quid mihi de iis qui foris, sunt judicare?*

3° Potest tamen infidelis indirecte attingi per impedimentum ecclesiasticum, si nempe nubat cum fideli, qui ipse legi ecclesiasticæ subjicitur. Satis patet ex impedimento disparis cultus : et locum habere posset in aliis quibusdam impedimentis, v. g. si fidelis nuberet cum infideli con-

sanguinitate, quæ supponitur in gradu qui constituat impedimentum canonicum.

4o Concipitur alter modus quo infideles indirecte attingantur per impedimenta ecclesiastica, si nempe matrimonio post conversionem ineundo obstet impedimentum cujus fundamentum, si ita loqui fas est, positum aut admissum fuerit in infidelitate ; v. g. si ante conversionem orta fuerit affinitas, aut honestas publica, vel si commissum fuerit crimen. Porro ut tunc locum habeati mpedimentum, requiritur et sufficit ut illud quod vocamus impedimenti, fundamentum, oriatur ex ipsa rerum natura, et non ex sola lege Ecclesiæ : tunc enim idem erit de eo ac de consanguinitate. Res elucidabitur exemplis. 1. Quoad *cognationem spiritualem*, communius docent auctores infidelem qui baptizaret infantem, non incurrere impedimentum in eo etiam sensu quod, post baptismum, dispensatione indigeat : quia nempe sentiunt cognationem hanc non induci nisi ex vi legis ecclesiasticæ. 2. Quoad *affinitatem*, eam habendam esse ut vinculum naturale, quod etiam ab infidelibus contrahitur, et inducit impedimentum post conversionem obligaturum, satis certum reputatur incasu commercii conjugalis, ex cap. fin. *de Divortiis ;* et videtur etiam probabilius in casu commercii illicti. 3. Quod *honestatem publicam*, vulgo dicunt theologi non oriri vinculum naturale, si agatur de sponsalibus, aut de matrimonio invalido ; si vero de matrimonio valido, dicunt etiam non pauci, non oriri naturaliter satis strictam propinquitatem ut locum habeat impedimentum. 4. Quoad *crimen*, si uterque sit infidelis quando crimina committuntur, non ligantur impedimento etiam post conversionem, quia Ecclesia non potest illos punire propter crimina ante baptismum commissa, quæ non sunt de illius foro. Si autem unus sit fidelis et alter infidelis, requiritur et sufficit ut fidelis ea omnia facerit quæ inducunt impedimentum.

Art. 2. *De impedimentis canonicis in specie.*

141. Numerantur decem et novem, si dirimentia cum prohibentibus adjunxeris, et ea quæ sunt juris naturalis et divini cum iis quæ sunt tantum juris ecclesiastici.

Dirimentia sunt quindecim, his versiculis exprimi solita :

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
> Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
> Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto :
> Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Sed ut magis ordinem logicum attendamus, nec recedamus nimium a methodo adhiberi solita quando exponuntur conditiones ad contractus generatim spectatos requisitæ, opportunum videtur ut agamus 1° de impedimentis quæ CONCENSUM ipsum afficiunt ; tria numerantur, *amentia*, *error*, *vis* seu *metus* : 2° de iis quæ PERSONAS ipsas respiciunt ; sive sint absoluta, id est,

reddant aliquem inhabilem ad contrahendum cum qualibet persona, qualia sunt ex jure naturali *impotentia* et *ligamen*, ex jure autem positivo *votum* et *ordo ;* sive sint tantum relativa, id est, reddant inhabilem tantummodo cum quibusdam personis, qualia sunt *cognatio*, *affinitas* et *honestas*, quæ fundantur in quadam propinquitate personarum ; item *cultus disparitas* et *conditio ;* tandemque *raptus* et *crimen*, per modum pœnæ instituta : 3° demum de impedimento quod respicit FORMAM CONTRACTUS, seu de *clandestinitate*.

Cum autem nobis præsto sit ea impedimentorum dispositio versibus pariter expressa, juvandæ memoriæ causa, libenter hos versus admittimus :

Amens atque *errans*, cui *vis* infertur *iniqua ;*
Impos perpetuo, primoque *ligamine* vinctus ;
Quem *solemne* tenet *votum*, vel consecrat *ordo ;*
Cognati, *affines*, quos *publica* jungit *honestas ;*
Si cultu dispar, conjux *si serviat* unus ;
Qui *raptor* sponsæ, infandi qui *criminis* auctor ;
Conjugii fœdus qui *clandestinus* iniret :
Norint quidquid agant isti nil robur habere.

Impedimenta prohibentia quatuor his duobus versibus vulgo exprimuntur :

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Totidem paragraphis agemus de quindecim impedimentis dirimentibus : decimum sextum addemus pro prohibentibus.

§ 1. *De impedimento* AMENTIÆ.

142. Amentium nomine ii omnes intelliguntur qui liberum rationis usum non habent, ut furiosi, imbeciles, etc. De iis hæc breviter statui possunt.

1° Certum est perpetua et absoluta amentia laborantes, esse jure naturali inhabiles ad matrimonium, quia non sunt capaces consensus deliberati, qualem requirit matrimonium.

2° Illi quorum amentia non est absoluta, sed qui sat rationis habent ad peccandum lethaliter, a fortiori qui

circa unum tantum punctum sunt amentes, possunt valide contrahere; item illi quorum amentia non est perpetua, sed qui lucida habent intervalla, possunt iis in intervallis contrahere. Sed, generatim saltem loquendo, ii sunt a matrimonio advertendi, ob mala quæ ex talibus matrimoniis sequi solent, et speciatim ob difficultatem rite educandæ prolis.

Idem fere dicendum de surdis et mutis. Interrogatus ea de re INNOCENTIUS III. sic respondit, cap. *Cum apud sedem*, XXIII. *de Sponsalib. et Matrim.* "Videtur quod si talis (surd us et mutus) velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari, cum quod verbis non potest, signis valeat declarare." Nulla potest esse difficultas quoad illos qui in scholis ad hunc finem institutis sunt edocti: quoad alios vero, non ita constat quatenus possint verum consensum dare, et magna opus est prudentia.

§ 2. *De impedimento* ERRORIS.

143. Error versari potest vel circa *personam*, vel circa *qualitatis*, inter quas numeratur *fortuna*.

1° *Error circa personam, quicumque sit jure naturali irritat matrimonium.* Nam matrimonium non potest esse sine consensu (n° 7): atqui error personæ tollit consensum; fertur enim tunc, non in personam præsentem, sed in aliam quæ putatur adesse.

Dicitur error *Quicumque sit*, quia sive sit vincibilis, sive invincibilis, perinde est quoad effectum præsentem. Idem locum haberet, juxta omnes, etiamsi error esset, ut aiunt, concomitans, id est, licet contrahens esset ita dispositus ut, detecto errore, nihilominus contraheret: quia aliud est dicere quod consensisset, si..., aliud quod revera consenserit.

2° *Error circa qualitates aut fortunam regulariter non irritat matrimonium.* Nam 1. plerumque daretur via dissolvendi matrimonium, si sufficeret ejusmodi error. 2. Quis nubere vellet, quinam etiam parentes liberos nuptui traderent, si sub eo prætextu possent dimitti? 3. Ita judicant omnia tribunalia, sive ecclesiastica, sive civilia. Et ratio ulterior est, quia semper remanet persona apta matrimonio, ac proinde mo-

tivum sufficiens contrahendi, nempe ut acquiratur jus ad actum conjugalem.

Dixi *Regulariter*, quia tres casus sunt excipiendi. Si error versetur *circa conditionem servilem*, de quo ubi de duodecimo impedimento. 2. Si errans contrahat *cum expressa conditione* qualitatis aut fortunæ ; quia tunc, deficiente conditione, deficit consensus, ac proinde matrimonium. 3. Si *error redundet in personam.* Id omnes admittunt, et per se patet. Sed ad determinandum quandonam error redundet in personam, quæstio est gravis momenti, simul et difficillima ; hæc statuti possi videntur. Ut error circa qualitatem redundet in personam, duo requiruntur : ut illa sit qualitas individua, qua persona distinguatur a qualibet alia ; ut persona non cognoscatur nisi sub ea qualitate aut saltem hæc sit præcipua notitia ; si enim persona, antea bene cognita, sibi affingat qualitatem etiam individuam, non ideo aderit error personæ, quia consensus directe fertur in talem personam, et non nisi indirecte in qualitatem. Id elucidant quidam auctores, dicentes distingui et expendi debere sensum duarum propositionum sequentium. Una est : *Petrus vult contrahere cum hac femina præsente, quam putat esse primogenitam Pauli.* Altera : *Petrus vult contrahere cum primogenita Pauli, quam putat esse feminam præsentem.*

§ 3. *De impedimento* VIS *seu* METUS.

144. Vis et metus hic indistincte adhibentur, ut pote duo correlata ; vis enim consideratur in inferente metum, metus vero in patiente vim. Duo autem hic quæruntur : 1° an et qualis metus dirimat matrimonium ; 2° quo jure.

1. *An et qualis metus irritet matrimonium ?*

Metus irritat matrimonium, 1° quando ita perturbat usum rationis, ut tollet advertentiam et libertatem; per se patet : 2° quando, licet non tollat libertatem, est tamen gravis, injustus, et in ordine matrimonium; constat ex multis dispositionibus juris, et ex omnium consensu. Tota difficultas est in expositione trium harum conditionum.

1° Requiritur ut metus sit *gravis*, absolute vel saltem

relative. Ita communiter auctores, sicque sæpius decernitur aut saltem supponitur in Jure, quia *Vani timoris justa excusatio non est*, nec præsumitur ex metu levi iniri contractum tanti momenti.

Ea occasione expendunt, an metus reverentialis irritet matrimonium. Dicendum putamus non esse impedimentum, nisi adjunctum habeat timorem mali injusti, in sensu quo in præsenti exponimus, prout fusius explicatur in Tr. *de Contractibus*.

2° Requiritur ut metus sit *injustus*: si enim metus juste incutiatur, contrahens de nullo conqueri potest, fruiturque omni libertate ad quam jus habet hic et nunc. Et revera olim qui puellam seduxerat, a judice cogebatur eam ducere; et profecto talis contractus habebatur ut validus.

Hinc a fortiori, si metus oriatur a causa necessaria, sive intrinseca, sive extrinseca, non irritat matrimonium, quia hominis libertas non est independens a causis necessariis.

Sed parvi referre videtur an metus inferatur ab altera contrahente, an a tertia persona. Nam 1° si contrahens metum cognoscat, censeretur illi cooperari, et certe ex injustitia fructum perciperet. 2° Licet ignoret, semper deest consensus liber, quem jura exigunt non tam in odium inferentium metum, quam in favorem libertatis matrimonii.

3° Requiritur ut metus inferatur *in ordine ad matrimonium*, saltem æquivalenter: alioquin matrimonium non censebitur effectus metus, nec proinde applicabitur ratio impedimenti. Sic v. g. si vim patiens ab aliqua promittat alteri matrimonium ad auxilium obtinendum, matrimonium erit validum, nisi ille jam ex justitia obligatus foret ad auxilium præstandum: tum quia non adest injustitia, cum ille percipiat tantum veluti stipendium sui auxilii; tum quia bonum commune expostulat validos esse tales contractus, ut homines incitentur ad succurrendum positis in tali necessitate. Sed dicimus *Saltem æquivalenter*, quia licet metum inferens non expresse intendat matrimonium, si tamen a metu non desistat nisi quia ei proponitur matrimonium cum ipso, vel etiam cum altera persona ineundum, quia nempe tale matrimonium est ipsi quoquo modo utile,

dicendum videtur adesse impedimentum: tum quia non desistens a malo inferendo nisi propter matrimonium censetur dicere: *Aut matrimonium ini, aut tale malum experieris*; tum quia tale matrimonium esset vere fructus injustitiæ, sicque applicatur motivum legis impedimentum statuentis.

145. Hinc 1° matrimonium ex metu initum nequit ullo modo per juramentum firmari. Non quidem validum effici potest, cum per juramentum non tollatur impedimentum, nec sic elludi possit lex irritans: hinc ita declaratur in Jure, cap. *Significavit*, ii., *de Eo qui duxit*. Sed nec exsurgit obligatio matrimonii rati habendi: non ex justitia, cum juramentum nullum jus conferat ei qui per metum extorsit; non ex virtute religionis, quia ex communi theologorum doctrina, quando contractus irritatur ex motivo boni publici, juramentum huic adjectum nullam vim habet. De hoc fusius in Tr. *de Contractibus*.

Hinc 2° qui metum intulit, si possit damnum alio modo reparare, non videtur teneri, saltem rigorose loquendo, stare contractui, etiamsi id postulet metum passus. Contractus enim fuit irritus, et cum claudicare nequeat, nullam producit obligationem; in quo differt a cæteris contractibus, qui sunt rescindibiles ad nutum illius qui metum passus est.

Dixi 1° *Si possit damnum*....quia si aliter non possit, debet stare contractui, cum teneatur injuriam reparare. Dixi 2° *Saltem rigorose loquendo*, qui multi existimant consentaneum esse, sive æquitati, sive variis decisionibus juris, ut non liceat resilire. Sed etiam eo admisso, non nimis urgenda foret obligatio, propter incommoda quæ exinde facile sequerentur.

146. II. *Quo jure metus irritet matrimonium?*

Si metus tollat usum libertatis, nullum dubium quin irritet ex jure naturali. Sed si non tollat, tunc duplex adest opinio.

Prima tenet irritare ex jure naturali. Nititur 1° jure canonico. ALEXANDER III., de eo impedimento loquens, non videtur jus positivum statuere, sed naturale declarare, et rationem affert quod desit consensus, cap. *Cum locum*, xiv. *de Sponsal. et Matrim.* 2° Ex natura matrimonii, quod est contractus mutui amoris, et indissolubilis, ac proinde oriri debet ex plena spontaneitate; alioquin innumera mala sequentur. 3° Ex principiis justitiæ. Justitia exigit ut detur aliquod medium reparandi tantam injuriam, præsertim si aliunde timenda non sint gravia incommoda: porro illud medium aliud esse non potest quam nullitas matrimonii, cum semel validum sit indissolubile; nec aliunde timenda sunt incommoda, ut constat ex ipsomet facto juris positivi.

Secunda opinio docet matrimonium irritum esse ex jure ecclesiastico. Attento enim jure naturali, tale matrimonium non est irritum 1° ex defectu consensus. Remanet libertas sufficiens ad peccatum mortale : porro licet valde congruum sit adesse majorem libertatem, difficile probaretur esse absolute necessarium. Et revera metus necessarius aut justus pariter minuunt voluntarium, et tamen non irritant. 2° Non ob injuriam illatam. Occurrunt enim casus in quibus matrimonium validum est, licet includat injuriam irreparabilem, v. g. ubi initur ex dolo accidentali dante causam contractui, vel post sponsalia cum altera, etc. 3° Denique nullitas absoluta gravia aliquando habere posset incommoda, nempe reponendo aliquem in necessitate absoluta vel mortem aut gravia mala subeundi, vel fornicandi.

Quamvis satis dubia videatur quæstio, paululum inclinaremus in secundam opinionem. Cæterum quoad praxim haud multi interest. Nam 1. si *infideles* tale matrimonium inierent, plerumque irritum erit, sin ex jure gentium, saltem ex jure civili, vel contra confirmatum per conjugum perseverantiam post cessationem metus. 2° Quoad *dispensationem* autem, agnoscunt omnes Ecclesiam vix posse eam concedere, non quidem ex defectu potestas in secunda opinione, sed quia non expediret bono publico. Merito tamen notat COMPANS posse occurrere casus, rarissimos quidem, in quibus expediret concedi dispensationem ; quando nempe aliter vitari non possent mala gravissima, quæ compensent mala oritura ex matrimonio non spontaneo.

§ 4. *De impedimento* IMPOTENTIÆ *et* ÆTATIS.

147. De impotentia proprie dicta alibi agitur, ubi nempe *de Sexto præcepto:* hic agimus tantum de impedimento ætatis, quod sub aliquo respectu huic est affine.

1° Ætas tenerior, id est, quæ vel prævenit usum rationis, vel etiam quæ imparem efficit ad cognoscendum statum conjugalem, matrimonium irritum reddit jure naturali : deest tunc consensus et libertas sufficiens.

2° Ætas vero, quæ reddit tantum incapacem con-

summandi matrimonium, non irritat jure naturali; quia, hoc solo jure attento, nil metat quominus transferatur jus in corpora, licet non statim exercendum; sed irritat ex jure ecclesiastico, ut apud omnes constat.

Porro lex ecclesiastica reputat incapaces matrimonii consummandi, seu *impuberes*, virum usque ad xiv. annum completum, puellam vero usque ad xii. Sed est mera præsumptio quæ cedit probationi contrariæ, v. g. si puella ante xii. annum prægnans inveniatur: tunc, ut dicitur in jure, *Malitia supplet ætatem.*

Hinc potest dispensatio concedi ab eo impedimento; testantur tamen auctores satis raro concedi. Dicunt multi, allegantes declarationem GREGORII XIII. posse episcopum dispensare. Verum ex BENEDICTO XIV., in Epistola ad episcopos Poloniæ, *Bullar*, t. ii., *Const.* li., possunt quidem episcopi declarare an malitia suppleat ætatem, et proinde an sit locus dandæ licentiæ matrimonii ante legitimam ætatem: sed ad solum Pontificem pertinet licentiam concedere impuberi, qui conjugali commercio nondum naturus est.

§ 5. *De impedimento* LIGAMINIS.

148. Per ligamen intelligitur vinculum prioris matrimonii non dissoluti. Esse autem impedimentum, saltem ex jure divino, sin ex jure naturali, satis constat ex dictis ubi *de Unitate* et *Indissolubilitate* matrimonii.

In praxi igitur non potest unus conjux novum inire matrimonium, nisi ei moraliter constet de morte alterius: (non loquimur de casu professionis religiosæ, vel de casu qui dicitur *Apostoli*, de quibus supra n^is^ 83, 90). Ita LUCIUS III., cap. *Dominus*, ii., *de Secund. Nuptiis;* et CLEMENS III., cap. *In præsentia*, xix., *de Sponsal. et Matrimon.* Ratio decisionis est aperta, quia nempe alioquin se exponeret periculo ineundi matrimonium invalidum et omnibus malis inde nasci solitis.

Dicitur *Nisi moraliter constet:* unde non sufficit alterius conjugis captivitas, aut discessus in regiones longinquas, aut longa absentia, etc.; hæc enim omnia certam non efficiunt illius mortem. Sed casu occurrente, accurate ponderandæ sunt omnes circumstantiæ,

et videndum an iis attentis, tale habeatur testimonium quod plenam fidem faciat. In Galliis, ex antiqua praxi et jurisprudentia, regulariter requiruntur probationes munitæ instrumento authentico e sepulturarum registris extracto, et debite recognito, *legalise*, ab auctoritate vel civili vel ecclesiastica loci illius ubi facta est sepultura. Cæterum in casibus extraordinariis, et quotiescumque aliqua superest difficultas, nil agendum est inconsulto episcopo.

Si tamen de facto conjux iterum nupserit antequam illi constaret de morte alterius, et postea certo comperiat jam tunc alterum fuisse mortuum, agnoscunt plerique theologi valere tale matrimonium, quia nihil indicat voluisse præfatos Pontifices hic peculiare impedimentum inducere, et optime possunt eorum textus intelligi de mera prohibitione. Contra, quamvis non nisi adhibita sufficienti diligentia conjux secundum matrimonium inierit, si postea comperiat priorem conjugem adhuc in vivis superesse, tenetur a posteriori recedere et ad priorem, si fieri possit, reverti. Ita fert cap. cit. *Dominus*. Advertendum tamen 1. filios ex secundo matrimonio susceptos pro legitimis habendos fore, modo illud initum fuerit bona fide, saltem alterutrius partis, et perseveraverit illa bona fides usque ad tempus quo concepti sunt filii. Ita in favorem prolis statuit INNOCENTIUS III. cap. *Ex tenore*, xiv. *Qui filii sint legitimi*. 2. Conjugem in prædicto casu, si prioris conjugis vitam non didicerit nisi a testibus ignotæ fidei, vel a rumore publico, qui falsa ut vera sæpius spargit, non teneri a posteriori recedere ; cum hæc ne verum quidem dubium pariant. Si autem, omnibus mature pensatis, verum habeatur dubium, tunc haud levis exoritur difficultas, de qua postea dicemus (nº 271 et seq.)

§ 6. *De impedimento* VOTI.

149. Votum castitatis, de quo hic agitur, duplex distinguitur, solemne et simplex. Quamvis unum inter impedimenta dirimentia, alterum inter prohibentia vulgo computetur, de utroque in præsenti agemus propter materiæ connexionem.

PUNCT. 1. *De voto solemni castitatis.*

150. Qnatuor hic investigabimus: 1° in quo consistat solemnitas voti, seu unde repetendum sit discrimen inter votum solemne et votum simplex; 2° an et quo jure dirimat matrimonium ineundum; 3° quo jure dissolvat matrimonium ratum jam initum (monuimus enim n° 90 hic expendendam fore eam quæstionem); 4° an nunc in Gallia emittantur vota solemnia.

I. *In quo sita sit voti solemnitas, seu unde repetendum sit discrimen inter votum solemne et votum simplex?*

Agnoscunt omnes illud votum esse solemne quod Ecclesia ut tale habet; Ecclesiam non habere ut tale nisi votum emissum in certis quibusdam ordinibus religiosis; solemnitatem demum illam non esse meram denominationem honorificam, sed voto solemni exclusive competere quosdam effectus, nempe quod dirimat futurum matrimonium, et dissolvat prius contractum. Sed disputant utrum in ipsa votorum natura aliquid reperiatur quod sit fundamentum hujus tanti discriminis inter vota talis et talis ordinis, et causa horum effectuum quibusdam votis annexorum, non aliis. Variæ quæ ea de re circumferuntur opiniones ad duas præcipuas reduci possunt.

Prima opinio, quam tenent Thomistæ, docet votum solemne essentialiter differre a voto simplici, quemadmodum donatio differt a simplici promissione: scilicet in voto simplici esse nudam promissionem qua quis se obligat ad continentiam, seu ad non utendum suo corpore per actus continentiæ oppositos; in solemni autem esse abdicationem juris in corpus, seu facultatis matrimonium ineundi vel veram donationem et traditionem corporis Deo per superiores debite acceptatam. Unde, inquiunt, pendet ab Ecclesia apponere certas conditiones, sine quibus nec valida, nec legitima foret traditio et acceptatio; sed posita legitima traditione et acceptatione, sequitur ex natura rei quod sit votum solemne.

Secunda opinio, inter theologos communior, tenet ex natura sua votum solemne non differre a simplici, seu, aliis verbis, independenter a lege Ecclesiæ nullum esse

votum solemne; ideoque solemnitatem reponit in voluntate sola et determinationem Ecclesiæ, quæ solemnia vocat vota emissa in certis ordinibus, alia autem vocat simplicia, agnoscitque in prioribus vim irritandi et dissolvendi matrimonium, non in posterioribus. Hæc opinio probabilior videtur.

Prob. 1° Ex declaratione Bonifacii VIII., cap. unic. *Quod votum, de Voto*, in 6°, ubi ait: *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* Idem declaravit Gregorius XIII. in Const. *Ascendente Domino*, an. 1584. 2° Ex ratione. Votum castitatis, etiam perpetuum et absolutum, potest esse simplex: atqui ex parte voventis nihil est discriminis inter hujusmodi votum et votum solemne; utrobique promissio qua fidem nostram Deo damus de servanda continentia, et nihil aliud; neque enim potest homo abdicare jus matrimonii ineundi, quod est magis jus publicum naturæ, quam individui; neque Deo conferre dominium proprie dictum in corpus, cum sit supremus omnium dominus, nec quisquam dixerit votum inducere obligationem justitiæ propriæ dictæ. Superest ergo ut discrimen inter utrumque votum, seu solemnitas repetenda sit ex sola voluntate seu determinatione Ecclesiæ.

151. II. *An et quo jure votum solemne dirimat matrimonium ineundum?*

1° Votum solemne castitatis certe irritat matrimonium. Ita contra hæreticos definivit Ecclesia, præsertim in Concilio Tridentino, *sess.* xxiv. can. 9: "Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto...anathema sit."

2° Irritat tantum ex jure ecclesiastico, non ex jure naturali, ut placet Thomistis. *Prob.* Si ex jure naturali dirimeret, vel quatenus est votum, vel quatenus est solemne: atqui non quatenus votum, ut patet exemplo voti simplicis; non quatenus solemne, cum solemnitas stet in voluntate et determinatione Ecclesiæ. Et vero vis voti solemnis ad irritandum matrimonium oriretur juxta Thomistas, ex abdicatione et traditione juris, sensu exposito: atqui ex dictis abdicatio aut traditio nulla, aut certe non major quam in voto sim-

plici ; ergo non ex rei natura oritur impedimentum voti solemnis, sed tantum ex lege seu disciplina Ecclesiæ.

Hanc autem disciplinam, saltem a sæculo xii. vigere constat ex Conciliis Lateranensibus i. et ii., ann. 1123 et 1139 : an vero antea, et præsertim quandonam incuperit, disputant auctores (Vid. P. M. nº 653).

Hinc deduci potest, contra Thomistas, in eo impedimento Ecclesiam dispensare posse : 1. ex jam dictis ; quidquid enim est juris mere ecclesiastici, capax est dispensationis, ut omnes agnoscunt : 2. ex exemplis dispensationum quas de facto concesserunt SS. Pontifices, etiam ultimis hisce temporibus, post perturbationem Gallicam.

152. III. *Quo jure votem solemne castitatis dissolvat matrimonium ratum ?*

Reipsa dissolvi ostensum est supra (nº 90) : circa questionem autem præsentem, tres circumferuntur opiniones.

1ª opinio, quæ matrimonii dissolutionem deducit *ex jure naturali*, propugnatur a pluribus theologis tum antiquis, tum recentioribus. Duplici autem modo explicatur. 1º Alii dicunt matrimonii rati vinculum, quod non est nisi spirituale, solvi posse morte civili quæ incurritur in statu religioso. 2º Juxta alios, matrimonium non contrahitur, nisi ea conditione ut alteri sponso, ante consummationem religionem ingredi liceat

Primæ illius opinionis commodum est, quod in ea necessaria non sint Scripturæ aut traditionis testimonia ad vindicandum Concilii Tridentini decretum : sed plura obstant quin admittatur. 1º Si votum, ex dictis, non habeat ex sua natura vim irritandi matrimonium futurum, non concipitur quod habeat vim dissolvendi jam contractum. 2º Gratis omnino supponitur apposita conditio. Insuper si apponi dicatur ab Ecclesia, jam recidimus in tertiam opinionem : si ab ipso contrahente quid eveniet, si eam expresse excludat ? Tandem si dicatur conditio resolutoria, est contra substantiam matrimonii : si suspensiva, jam non dissolvitur, sed impeditur matrimonium ; et præterea poterunt ergo interim conjuges valide novum inire matrimonium.

IIª opinio, quæ matrimonii dsssolutionem deducit *ex jure divino*, a multis tenetur, imo et communior dicitur ; huic adhæret Benedictus XIV., q. 546, nº 35. Dicunt illi auctores legi indissolubilitatis appositam fuisse a Christo exceptionem in gratiam professionis religiosæ, quæmadmodum vidimus appositam fuisse matrimonio infidelium ; et sic adstruunt suam opinionem. Ipsi Christo tribuenda est concessio privilegii, quod nullibi legitur ab Ecclesia concessum, et tamen ostenditur fuisse semper in Ecclesia admissum ; tunc enim applicari potest illud effatum S. Augustini, l. iv., *de Baptismo contra Donatistas*, c. xxiv., nº 31 : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis statutum, sed semper retentum est non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Atqui 1º nullibi legitur concessio talis privilegii : nam inter Pontifices qui de eo loquuntur nullus est qui dicat se ita statuere vi suæ auctoritatis in dissolvendis matrimoniis. 2º Praxis Ecclesiæ ostendit privilegium illud fuisse semper admissum. Nemo enim negat admissum fuisse a xii. sæculo. Atqui exinde concludi potest fuisse admissum præcedentibus sæculis. Nam pontifices qui primi de eo locuti sunt modo plane inconcusso, praxim jam plane stabilitam supponunt, et dicunt se prædecesso-

rum vestigiis inhærere; ita INNOCENTIUS III., cap. *ex parte:* et aliunde si certam Ecclesiæ traditionem secuti non essent, reclamationes ortæ fuissent. Ergo concludi potest traditione saltem orali servatam fuisse memoriam privilegii a Christo concessi: et ideo hujus certa et frequentia exempla et monumenta non occurrere prioribus sæculis, quia horum temporum scriptores vel ea exempla ignorarunt, vel tanquam ad scopum suum non pertinentia omisserunt, aut quia hæc exempla rarissima esse debuerunt quando rarior erat professio religiosa.

Huic opinioni haud levis difficultas opponitur, ex iis quæ modo diximus, ex eo nempe quod solemnitas voti oriatur ex institutione Ecclesiæ, et non dirimat jure divino matrimonium futurum. Eadem enim argumenta ostendere videntur non dissolvere jure divino matrimonium initum: et contra quæ hic afferuntur ad probandum juri divino tribuendam esse dissolutionem matrimonii, ostenderent eidem juri tribuendum esse impedimentum dirimens. Verum reponunt illius opinionis assertores, 1° in annalibus Ecclesiæ occurrere institutionem impedimenti, non vero concessionem privilegii. 2° Christum non statuisse impedimentum dirimens, quia ad id sufficiebat auctoritas Ecclesiæ; statuisse autem privilegium de quo nunc agimus, quia nemo ausus esset illud statuere: cæterum ita illud statuisse, ut tamen professio religiosa non dissolvat matrimonium, nisi vestita conditionibus ab Ecclesia requisitis; cum enim ipsius auctoritati; subjiciantur matrimonium et professio religiosa, potuit determinare quasdam solemnitates, quibus tantum positis, dissolutio locum habeat; alioquin locus dari posset multis abusibus, si sufficeret quodlibet votum, etiam his solemnitatibus destitutum. In ea igitur opinione, pertinet quidem ad Ecclesiam determinare solemnitates; sed his positis, ex ipsa Christi institutione dissolvetur matrimonium.

III[a] opinio, quæ matrimonii dissolutionem deducit *ex jure ecclesiastico*, propugnatur etiam a gravissimis theologis, qui sic eam evolvunt. Ecclesia potest dissolvere matrimonium ratum, vi auctoritatis quam ei competere ostendit continuata plurium sæculorum praxis Sedis Apostolicæ. Ea potestate usa est quoad professionem religiosam; et quidem tam gravibus causis mota est, ut, licet absolute mutare posset hanc disciplinam, certum sit nunquam mutandam esse, saltem universaliter. Cum autem illa disciplina gravi fundamento nitatur, et jam a longo tempore vigeret, Concilium Tridentinum eam sancivit inflicto anathemate: quod mirum videri non debet; sunt enim canones disciplinæ qui anathema includunt: tales sunt, aut saltem dici possunt, *sess.* xxii., can. 2, *de Minoribus ordinibus*, et can. 8, *de Institutione Episcoporum;* sess. 13, can. 9, *de Communione paschali*, et forsan quidam alii Ratio ulterior est, quod in omni canone ad disciplinam pertinente aliquid dogmatici involvitur, nempe legem non esse juri divino contrariam, vel a potestate usurpata. Imo, posita notione solemnitatis quam attulimus, anathema cadit in eum qui diceret votum quo voluerit Ecclesia dissolvi matrimonium non illud dissolvere; est ergo sensus *compositus*, quemadmodum ubi de impedimento dirimenti: ergo canon est vere dogmaticus, et definit veritatem immutabilem.

Si cui non arriserit secunda opinio, nil obstat quin isti tertiæ adhæreat.

153. IV. *An hodie in Gallia emittantur, an emitti possint voto solemnia castitatis?*

Si quæstio expenderetur solum quoad votum castitatis, non adesset magna difficultas; nihil enim ex ea parte obstaret, quin adhuc diceretur solemne: sed cum

ratione habita legum civilium, qui emittunt votum paupertatis nihilominus retineant dominium suorum bonorum, quod attenta præsenti Ecclesiæ disciplina, cum voto solemni paupertatis stare non potest, hinc grave exoritur dubium ; secundum enim eamdem Ecclesiæ disciplinam, unum votum non potest esse solemne sine altero. Cum ergo præcipuum difficultatis punctum videatur reduci ad votum paupertatis, fusiorem quæstionis discussionem remittimus ad Tr. *de Justitia*, ubi de ea eagimus (*Compend.* nº 69). Hic memorare sufficiat: 1º pluries respondisse S. Pœnitentiariam, vota, qualia hodie apud nos a monialibus emittuntur, pro solemnibus haberi non debere ; simul tamen declarasse sua responsa spectare solummodo ad moniales ; 2º ex epistola Abbatis Solismensis vota a Benedictinis illius abbatiæ emissa, a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, et ab ipso S. Pontifice, agnosci ut solemnia ; 3º quoad Trappenses, hæc occurrere in Epistola cardinalis Pacca ad quemdam episcopum, 12 kal. april. 1837: "Sanctitas sua die prima hujus mensis (martii) ex consilio Congregationis ejusdem (S. Officii) decrevit: Vota Trappensium, quæ ab eo die in posterum intra fines Galliarum regni emitterentur, tanquam simplicia habenda idque donec aliter a sancta Sede Apostolica statuatur. Ad vota vero antea emissa quod attinet idem S. Pontifex, gravissimis ductus rationibus, abstinendum censuit a quocumque judicio circa eadem proferendo. Attamen ad peculiares respiciens quorumdam circumstantias, qui...votorum suorum relaxationem postulaverant, ipsorum precibus, congrua scilicet causarum gravitate commendatis, exorari se passus est."

Punct. 2. *De voto simplici castitatis.*

154. Huic voto adjungenda sunt quædam vota affinia, nempe non nubendi, ingrediendi religionem, et suscipiendi ordines.

Hæc vota, quantumvis absolute et in perpetuum fiant, non sunt impedimentum dirimens, sed tantum prohibens: exceptis tamen votis Scholasticorum apud Jesuitas, quæ eos inhabiles reddunt ad matrimonium quandiu remanent in Societate, et tamen dicuntur simplicia, quia sunt ad nutum Societatis dissolubilia ; excep-

to etiam voto emisso ab uxore cujus maritus sacros ordines suscepit, ut supra diximus (n° 99).

Nunc paucis exponendum est, qualis sit eorum votorum obligatio.

I. Satis constat eum qui quoddam ex iis votis emisit peccare, saltem ordinarie, matrimonium ineundo. Vel enim directe agit contra suum votum, vel saltem se exponit gravi periculo illud violandi : plerumque insuper alterum conjugem decipit.

Dixi *Saltem ordinarie*, quia si non obstaret lex positiva, nec adesset periculum usus matrimonii, absolute fieri posse ut non esset peccatum ostendit exemplum Beatæ Virginis.

II. Qui, non obstante voto, matrimonium iniit, tenetur adhuc votum servare quantum moraliter potest ; non enim per suum peccatum sustulit obligationem.

Hinc 1° qui *castitatem vovit*, expresse vel implicite, 1. duplex peccatum admittet, si contra castitatem delinquat, scilicet extra usum matrimonii ; 2. quamvis possit reddere debitum, quia alteri vere transtulit jus illud exigendi, non potest petere ; 3. debet prorsus abstinere, si alter consentiat, vel jus petendi amiserit. Idem dicendum de eo qui non nisi post matrimonium initum tale votum emisisset.

Dixi *Expresse vel implicite*, quia si ille qui votum emisit non nubendi, vel ingrediendi religionem, vel suscipiendi ordines, censeatur vovisse castitatem, ei applicanda erunt quæ modo diximus. Sed difficultas est, an et quandonam censeatur ita vovisse ? Plurimi dicunt censeri quotiescumque votum emisit ex effectu ad castitatem. Verum hanc regulam non admittit Suarez, quia ex eo quod votum emissum fuerit ex effectu ad castitatem, sequitur tantum castitatem fuisse motivum et finem voti, non vero illius objectum : porro sicut finis legis non cadit sub lege, ita nec finis voti : aliud est quod quis velit non nubere vel ingredi religionem, aut suscipere ordines ad servandam castitatem, aliud quod velit servare castitatem in matrimonio ; hoc enim posterius certe difficilius est. Igitur, juxta Suarez, non erit obligatus ad continentiam nisi formaliter et expresse intenderit se obligare.

Hinc 2° qui vovit tantum non nubere, potest statim

et reddere, et etiam petere debitum, quia jam illi impossibilis facta est observatio voti, et actus conjugalis petitio non est contra illius votum, cum non voverit castitatem.

Hinc 3° qui *votum* emisit *ingrediendi religionem*, 1. tenetur, per se loquendo, reipsa ingredi, tum ante matrimonii consummationem, tum etiam postea, quando id potest illæso conjugis jure, si nempe alter conjux consentiat et velit observare conditiones a sacris canonibus præscriptas, vel si amittat in perpetuum jus petendi debitum, vel demum si moriatur: satis patet ex eo quod debeat votum suum implere quantum ipsi possibile est. Dixi tamen *Per se loquendo*, quia ne religionem ingrediatur obstare potest charitas erga conjugem, vel erga filios: si adsint; obstare potest prudentia; obstabit hodie præsertim lex civilis, ut facile intelligitur. 2. Quando nequit religionem ingredi, potest petere et reddere debitum, quia illi quoque impossibilis facta est observatio voti, et supponitur ne implicite quidem vovisse castitatem.

Hinc 4° qui *votum* emisit *suscipiendi ordines*, tenetur eos suscipere, quotiescumque id potest. Si vero suscipere nequeat, potest etiam petere et reddere debitum, ob rationem modo allatam.

Sed difficultas est, an ille qui non emisit nisi votum castitatis, vel suscipiendi ordines, teneatur post matrimonium initum religionem ingredi, quando aliter votum suum servare nequit?

Prima opinio, quam testatur Suarez fuisse suo tempore communem, affirmat illum teneri: quia ille qui votum emisit, tenetur assumere medium, quod ipsi superest unicum, illius adimplendi, præsertim si per suam culpam alia media sibi subtraxerit.

Secunda opinio inter recentiores magis communis, negat eum teneri: quia votum non obligat ultra intentionem voventis: porro ille de quo agitur non vovit religionem. Ergo non tenetur directe vi voti. Neque tenetur indirecte: quia non tenetur recurrere ad medium difficilimum, imo moraliter impossibile, qualis est religio pro homine cujus valde incerta vocatio.

Hanc secundam opinionem æquitati consonam, et valde probabilem judicat Collet, videturque reipsa

probabilior, et sola hodie regulariter in praxi tenenda, attenta lege civili.

§ 7. *De impedimento* ORDINIS.

155. Ordinem sacrum esse impedimentum dirimens satis constat ex Concilii Tridentini definitione, *sess.* XXIV. can. IX.: *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit.* Hic non agitur de vindicanda saluberrima illa Ecclesiæ disciplina: explicandum habemus solummodo undenam oriatur impedimentum, et quatenus in eo dispensari possit.

I. *Undenam oriatur impedimentum ordinis?*

Duo includit illa quæstio: 1° an ex jure ecclesiastico tantum, an ex jure divino; 2° posito quod oriatur tantum ex jure ecclesiastico, an immediate ex lege Ecclesiastica, an et quatenus mediante voto.

Quoad I^um^, agnoscunt fere omnes auctores oriri tantum a jure ecclesiastico, nec posse referri ad jus divinum. Etenim longe communius docent theologi continentiam non esse annexam ordini nisi jure ecclesiastico; et etiamsi diceretur annexa jure divino, non ideo sequeretur præcipi sub pœna nullitatis matrimonii. Illudque verum est, etiamsi admitteretur impedimentum oriri ex voto, votum illud esse solemne, imo et votum solemne esse impedimentum juris divini: nam semper verum remanet non jure divino præscribi ut votum illud ab ordinandis emittatur.

Quandonam autem incœperit ordo esse impedimentum dirimens, non constat: agnoscunt omnes adfuisse impedimentum dirimens a tempore Conciliorum Lateranensis I., an. 1123, et Lateranensis II., an. 1139; agnoscunt pariter jamdiu antea, et ab ipsis primis Ecclesiæ sæculis, prohibitum fuisse matrimonium his qui sacros ordines susceperant; sed an esset etiam invalidum, inter illos valde controvertitur (p. m., n° 789). Existimamus cum. *Collat. Andegavensi*, satius esse nihil modo absoluto pronuntiare de quæstione cujus solutio momentis inconcussis astrui nequit, et aliunde

minime necessaria est ad fulciendam Ecclesiæ disciplinam.

156. Quoad II^um^, advertendum, est in omni sententia, ordinatum qui a contiuentiæ regulis deviat, peccare non solum contra castitatem, sed etiam contra religionem, eo quod lex Ecclesiæ lata fuerit ex motive religionis. Attamen, quoad praxim, adest aliquod discrimen, licet non magni momenti, inter utramque sententiam : si impedimentum oriatur ex lege Ecclesiæ tantum, valida erit dispensatio concessa ab Ecclesia, etiam sine causa, et sic dispensatus poterit, inito matrimonio, petere debitum : si vero oriatur ex voto, invalida erit dispensatio sine causa, quia dispensatio a voto habetur ut data in lege superioris ; unde tunc validum quidem erit matrimonium, cum ex dictis nullitas non oriatur nisi ex jure ecclesiastico, sed obligabit votum inquantum patitur stas matrimonii, scilicet ad non petendum debitum.

His præmissis, duplex esse opinio. Prima docet impedimentum oriri tantum ex lege Ecclesiæ. Secunda docet illud oriri ex voto, saltem regulariter.

Nobis videtur dici posse ad mentem S. Thomæ, *Impedimentum ordinis oriri simul ex voto, et ex lege Ecclesiæ*. Scilicet Ecclesia vult primario inhabilitare ad matrimonium, et apud Latinos saltem, vult secundario ut illud fiat mediante voto. Unde in ea sententia, 1. qui reciperet ordines, cum expressa intentione non vovendi castitatem, graviter peccaret, quia ageret contra mentem et legem Ecclesiæ in materia gravi : deinde teneretur votum emittere, quia obligatio ab Ecclesia imposita illum magis ac magis urget ; et etiam ante votum, esset inhabilis ad matrimonium, quia non vult Ecclesia ut sic ordinatus commodum ex sua iniquitate reportet. 2. Si quis fuisset ordinatus in infantia, vel ante pubertatem, vel ignorans ordini annexam esse continentiam, aut etiam ex gravi metu, valida quidem esset ordinatio, sed non subjiceretur sic promotus obligationi servandæ castitatis, nec aliis oneribus : unde ipsi optio danda esset, an velit in suscepto ordine permanere, et tunc voto castitatis ad stringeretur ; an nolit, et tunc posset ad sæcularia vota transire, sed suspensus esset ab ordine. Vid. Benedict XIV., Const. *Eo quamvis*, *Bullar*, t. I., n° cxxix. et *de Synod.* l. xii., c iv. 3. Si cujus ordinatio sit invalida ex defectu occulto, non erit inhabilis ad matrimonium ; inhabilitas enim non oritur nisi ex voto ; votum autem non existit, nisi posito ordine : ordinatus non emittit per se et principaliter votum et castitatis, sed accessorie et in consequentiam status, ob Ecclesiæ constitutionem ; quando igitur principale non valuit, id quod in consequentiam venit nullum effectum producere potest.

Cæterum pro variis casibus, in quibus valet ordinatio, nec tamen adest obligatio castitatis, duo sunt advertenda. 1. Si sic ordinatus omnino voluntarie utatur ordine suscepto, tenebitur ad castitatem : quia eo ipso ratam habet ordinationem, et ingerit se ministerio, quod juxta Ecclesiæ disciplinam, non nisi a continentibus exerceri potest.

2. Cum ordinatio sit res publica, tum ad vitandum scandalum, tum ne quis sit judex in propria causa, obtinenda est dispensatio, seu potius, ut dicitur, *Rescriptum justitiæ*, quo sic ordinatus declaretur immunis ab obligatione continentiæ.

157. II. *An et quatenus concedi possit dispensatio ab impedimento ordinis ?*

1° Satis constat Ecclesiam dispensare posse in impedimento ordinis; etiam illi qui contendunt non posse dispensari a voto solemni religionis, communiter admittunt dispensari posse in voto ordinis. Et revera pluries dispensasse SS. Pontifices omnibus notum est.

2° Duplici præsertim modo concipi potest concedi illa dispensatio: 1. ut quis ordinibus initietur cum facultate matrimonium postea nihilominus ineundi, vel perseverandi in matrimonio jam antea inito; 2. ut sacris ordinibus initiatus matrimonium nondum attentatum ineat, aut jam attentatum convalidet: et quidem vel relicta, vel sublata facultate exercendi sacrorum ordinum functiones. In his omnibus nihil est quod excedat Ecclesiæ potestatem: sed ex defectu causæ, et propter vigorem disciplinæ adeo commendabilis, non solet Ecclesia concedere dispensationem nisi ad convalidandum matrimonium jam ab ordinato attentatum, et sublata facultate ordinis exercendi; et etiam nonnisi rarissime talem dispensationem concedit.

§ 8. *De impedimento* COGNATIONIS.

158. Cognati dicuntur quasi *connati:* triplex autem vulgo distinguitur cognatio; naturalis, spiritualis, et legalis.

1° DE COGNATIONE NATURALI SEU CONSANGUINITATE.

159. Cognatio naturalis seu carnalis, quæ dicitur etiam consanguinitas, quasi vinculum ex ejusdem sanguinis communione proveniens, definiri potest: relatio inter duas personas quarum una genuit alteram, vel quæ ambæ ab eadem persona genitæ sunt.

Tria in consanguinitate sunt distinguenda: stipes, *la souche;* gradus, *le degre;* linea, *la ligne. Stipes* est persona ex qua aliæ ducunt originem. *Gradus* est distantia quæ est inter consanguineos et communem stipitem a quo ducunt originem: inde gradus numerantur ratione distantiæ. *Linea* est series personarum ab eodem stipite per diversos gradus descendentium. Linea duplex, recta et collateralis. Linea *recta* complectitur personas quarum una progenita est ab altera, ut avus, pater, filius, nepos. Dicitur *ascendentium*, si a posteris

incipiendo perveniamus ad stipitem ; *descendentium*, si a stipite a progrediamur ad posteros. Linea *collateralis* est series personarum, quarum una non descendit ab alia, sed quæ solum descendunt ab eodem stipite, ut frater et soror, consobrini, etc. Hæc autem vel est *æqualis*, cum sanguinei a communi stipite æqualiter distant, ut frater et soror ; vel *inæqualis*, cum alter magis, alter minus a communi stipite distat, ut frater et fratris filius.

160.—I. *Quomodo computentur gradus consanguinitatis.*

Tres dantur regulæ, ex jure canonico.

Regula prima quoad lineam rectam. In linea recta ascendentium et descendentium, tot sunt gradus quot sunt generationes, vel, aliis verbis, quot sunt personæ, dempto stipite. Pater, filius, nepos, pronepos quatuor sunt personæ, et tres tantum gradus, quia tres sunt tantum sunt generationes.

Regula secunda quoad lineam collateralem æqualem. In linea collaterali æquali, personæ eodem gradu a se invicem distant, quo a communi stipite : v. g. duo fratres sunt in primo gradu, quia ambo æqualiter et uno tantum gradu distant a communi stipite, scilicet a patre in quo conjunguntur. Propter eamdem rationem duo consobrini sunt cognati in secundo gradu.

Regula tertia quoad lineam collateralem inæqualem. Consanguinei in hac linea eodem gradu a se invicem distant quo illorum remotior distat a communi stipite, juxta hanc regulam juris : *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Sic frater v. g. est in secundo gradu cum fratris filia, quia licet ille uno tantum gradu distet a communi stipite, scilicet patre, ista tamen duobus gradibus distat.

Dixi *Ex jure canonico*, quia ex jure civili diversa est ratio computandi pro linea collaterali : gradus computantur ascendendo ab uno consanguineo ad stipitem, et deinde a stipite ad alterum consanguineum descendendo : unde duo fratres sunt in secundo gradu, frater et fratris filius in tertio, consobrini in quarto.

Nota. Aliquando adest consanguinitas ex duplici capite : quod accidit vel ex diverso stipite, ut si duo fratres uxores ducant duas consobrinas ; vel ex eodem

stipite, si vir ducat uxorem sibi consanguineam : tunc eorum filii ex duplici capite cognati erunt. In eo casu, adest quasi duplex impedimentum, et necesse est utrumque exprimere, quando postulatur dispensatio, ut infra dicemus (n° 237).

Cæterum monent auctores, quando agitur de computandis gradibus consanguinitatis, v. g. ad postulandam dispensationem, opportunum esse ut efformetur arbor, ut aiunt, consanguinitatis ; alioquin facile obrepit error. Hujus arboris forma ordinarie in Rituali exhibetur.

161. II. *Utrum et quatenus consanguinitas irritet matrimonium, scilicet quo in gradu et quo jure ?*

1° *In linea recta.* Ex jure positivo, matrimonium prohibetur in quocumque gradu, *Usque ad infinitum*, ait Nicolaus I. *Resp. ad Consult. Bulgarorum*, c. xxxix. Ex jure autem naturali, opinio communior tenet, post certos gradus, amitti cognationem ; cum enim hæc a communione sanguinis oriatur, quo remotior fit, eo debilior, ac tandem omnino desinit.

2° *In linea collaterali.* Ex jure canonico, varia fuit olim. Ecclesiæ disciplina ; extenditur hodie ad quartum gradum inclusive, et non ultra, ex Concilio Lateranensi IV. anno 1215, sub Innocentio III. Si quæstio instituatur ex jure naturali, fatentur omnes ultra primum gradum non esse irritum matrimonium, et satis constat ex dispensationibus quæ frequenter conceduntur. Sed quoad primum gradum, non concordant : quidquid sit, concessæ dispensationis in illo gradu nullum exstat exemplum. Illud testatur Benedictus XIV. Const. *Ætas anni*, *Bullar*, t. iv. *Append. altera*, n° 1, § 13.

Observandum superest, 1° quæcumque diximus applicanda esse consanguinitati provenienti ex conjunctione illicita ; ex ea pariter exsurgere impedimentum expresse supponit Innocentius III. cap. *Per tuas*, x. *de Probationibus*. 2° Nihil referre ad impedimentum, utrum stipes communis sit vir, aut mulier, aut uterque : fratres enim *uterini* (ex eadem matre tantum), et *consanguinei* (ex eodem patre tantum) ejusdem conditionis habentur ac fratres *germani* (ex iisdem patre et ma-

tre) : eadem quoque conditio eorum qui ab istis generantur.

162. II° De cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis, quam multi referunt potius ad affinitatem, est quædam conjunctio orta ex Baptismo et Confirmatione. Scilicet cum in Baptismo spiritualiter nascamur, et hæc nativitas in Confirmatione perficiatur, qui ad illa sacramenta concurrunt, ut minister et susceptores, habentur quasi patres spirituales ; unde susceptores dicuntur Patrinus et Matrina. Ideoque visum est decere, ut ex illa conjunctione, sicut ex conjunctione naturali, induceretur matrimonii impedimentum. De sola cognatione quæ ex baptismo oritur sumus hic locuturi, cum jam obsoleverit usus adhibendi patrinos in Confirmatione.

I. *Quas inter personas cognatio spiritualis matrimonium impediat ?*

Ex jure ecclesiastico recentiori, matrimonium impeditur, 1° inter baptizantem susceptoresque ex una parte, et baptizatum ex altera ; adest in eo casu *paternitas ;* 2° inter baptizantem susceptoresque ex una parte, et parentes baptizati ex altera, et est *compaternitas.* Ita statuit Concilium Tridentinum, sess. xxiv. cap. ii. *de Reform. matr.*

163. II. *Quænam conditiones requirantur, ut contrahatur impedimentum?*

1° Duæ conditiones respiciunt sive ipsum baptizantem, sive susceptores.

Prima, *ut sint baptizati :* quia non baptizatus non subjicitur legibus Ecclesiæ.

Secunda, *ut vere conferatur baptismus :* cognatio enim fundatur in generatione spirituali. Hinc 1. si suppleantur tantum cæremoniæ, impedimentum non incurritur : ita expresse declaravit S. Congregatio Concilii. Hinc 2. si baptismus conferatur sub conditione, divisi sunt theologi et canonistæ ; existimamus rem habendam esse ut dubiam, et tanquam in casu dubii esse agendum.

1° Tres aliæ conditiones respiciunt susceptores tantum.

Prima, *ut baptizmus solemniter conferatur.* 1. In baptismo privata, ex Ecclesiæ disciplina satis generali,

non debent adesse patrini. 2. Tunc patrinus non vere *suscipit de fonte*, nec proinde applicatur decretum Concilii Tridentini. 3. Ita decidit S. Congregatio Concilii.

Secunda, *ut habeatur intentio*, non quidem contrahendi impedimentum, quod a privatorum voluntate non pendet, sed *obeundi munus patrini*, quia illud munus ab invitis vel insciis non suscipitur. Ex quo colligitur, non contrahi cognitionem ab eo qui infantem non susciperet nisi materialiter, v. g. ad majorem commoditatem; nec ab illo qui rationis usum non haberet.

Sed difficultas est, an requiratur ut suscipiens baptizatum physice tangat?—Id exigint multi, imo forsan plerique, quia canones utuntur his verbis, *suscipit*, *accipit*, *tenet*, *levat*, *tangit*, etc. Attamen nobis satis dubium videtur an hæc adeo stricte sumenda sint: sufficere videtur ut ea impleantur quæ ex usu impleri debent, ut vere obeatur munus patrini; hæc autem varia sunt pro variis locis: illudque confirmari posset ex iis quæ mox dicemus circa casum procuratoris.

Tertia conditio juxta multos est, *ut fuerint designati susceptores*. Sed illud duplici sensu intelligi potest: 1. si nulli sint designati, et quidam tangant, cum intentione agendi munus patrini, contrahunt impedimentum ex declaratione S. Congregationis Concilii. 2. Si quidam sint designati, et *alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahent*, ex dispositione Concilii Tridentini, *loc. cit.*

Hinc si, ut aliquando fit, civitas aliqua vel communitas munus patrini gerat, potest satis probabiliter dici impedimentum contrahi ab iis solis qui civitatem repræsentant, quales sunt præpositi municipales: vel debere unum ex illa communitate patrini munus actu exercere suo nomine et jussa communitatis, non tamen ut procuratorem; et tunc illum solum contrahere cognationem.

Hinc pariter quando aliquis patrini munus non exercet per seipsum, sed per procuratorem, multoties S. Congregatio declaravit impedimentum contrahi a solo mandante, ut testatur BENEDICTUS XIV. q. 227.

164. III. *Quisnam sit effectus cognationis spiritualis, si matrimonio jam contracto superveniat.*

Agitur de casu quo pater aut mater propriam, vel alter alterius prolem, baptizent aut suscipiant: porro exoriri tunc impedimentum, quo regulariter prohibetur usus matrimonii, docent, post S. Thomam, plerique theologi: et quamvis non pauci, præsertim inter recentiores, contradicant, in praxi prævaluit hæc opinio: et probatur tum ex hac ipsa auctoritate Doctorum, tum ex Rituali Romano, quod eam sententiam supponit, quam etiam diserte exprimunt pleraque Ritualia.

Sed excipiuntur tres casus. 1o *Casus necessitatis.* Statuitur in Jure et agnoscunt omnes, patrem qui prolem legitimam baptizat in casu nessitatis, non contrahere impedimentum; quia quando agitur de matrimonio jam inito, impedimentum imponitur per modum pœna. 2° *Casus ignorantiæ.* Illa exceptio clare deducitur ex jure canonico, et eadem est ratio ac in casu præcedenti. Si sit ignorantia facti, tunc, si unquam excusat ab impedimento: si sit ignorantia juris, si nempe ignoretur prohibitio Ecclesiæ, videtur excusare ab impedimento, cum excuset a culpa; secus vero, si ignoretur tantum annexum impedimentum. 3° *Casus fraudis*, id est, casus quo eo animo confertur Baptismus, ut impediatur usus conjugii: qui ita egit debet reddere, sed non potest petere; quia est in casu impedimenti, et tamen fraus illius non debet nocere alteri.

165. III°. De cognatione legali.

Cognatio legalis ea est quæ oritur ex adoptione.

1° Adoptio, qualis vigebat apud Romanos, communiter definitur: *Assumptio personæ extraneæ in filium vel nepotem.* Hæc autem duplex distinguebatur: altera perfecta, quæ dicebatur *adrogatio*, et per quam adrogatus transibat in potestatem et familiam adoptanis, fiebatque ejus hæres necessarius, tam ex testamento quam ab intestato; altera imperfecta, qua adoptatus non transibat in familiam et potestatem adoptantis, nec fiebat hæres necessarius ex testamento, sed solum ab intestato.

2o Leges Romanæ irritas declaraverant nuptias, 1. inter adoptantem et adoptatum, atque ab isto descendentes; 2. inter adoptatum et filios naturales adoptantis; 3. inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum et uoxrem adoptantis. Sed

magna adest controversia,an impedimentum oriretur etiam ex adoptione imperfecta, an ex sola adrogatione. Auctores in utramque partem allegat BENEDICTUS XIV.: juxta quosdam recentiores, hodie apud plures receptior videtur sententia quæ tenet impedimentum oriri etiam ex adoptione imperfecta.

Hæc legum civilium statuta in universum recepit NICOLAUS I. et approbavit Ecclesia: unde, ait BENEDICTUS XIV. *de Synod.*, l. ix. c. x. n° 5, si quæstio exoriatur an in hoc vel illo casu adsit impedimentum, ad legum civilium (juris scilicet Romani) normam controversia erit decidenda.

3° Cum ex legibus nostris hodie vigeat adoptio, existimamus eam vim habere impedimenti canonici. Etenim impedimentum canonicum adoptionis nulla lege, aut consuetudine apud nos abrogatum erat; solummodo olim lex non applicabatur ex defectu materiæ, seu quia casus non occurrebat: hodie casus occurrit; ergo vim suam exercere debet impedimentum. In eo sensu respondit S. Pœnitentiaria, 17 maii 1826.

Difficultas inde quidem moveri posset, quod adoptio nostra ab adrogatione essentialiter differat, cum adoptatus nec subtrahatur a propria familia, nec transeat in familiam adoptantis, ut observant jurisperiti, et patet ex legis discussionibus. Verum esto quod discrepet quoad successionem et jura familiarum, non differt tamen in eo quod spectat ad quæstionem præsentem; nam impedimenti motivum, nempe periculum fornicationis inter commorantes in eadem domo, perseverat in nostra adoptione, et illud ipsum est quod legislatorem impulit ut matrimonium prohiberat, ut videri potest in discussione. Insuper ex dictis non constat ex sola adrogatione ortum fuisse impedimentum.

Cæterum observari potest satis raro occurrere hujusmodi casus: tum quia satis rara est adoptio moribus nostris parum consentanea; tum quia plerumque non adoptantur nisi filii illegitimi, quamvis non constet an illud fieri possit etiam ex ipsa lege.

§ 9. *De impedimento* AFFINITATIS.

166. Affinitas est propinquitas inter aliquam personam et consanguineos illius quacum commercium carnale habuit, sive licitum, sive illicitum; unde, ut alii dicunt, est cognatio quædam communicata.

Ex illa notione sequitur 1° (quod sedulo advertendum), non adesse affinitatem inter quas personas, nisi una commercium habuerit cum consanguineo alterius: unde si commercium habuit tantum cum illius affinibus,

non adest affinitas, quia ex regula hodie recepta: *Affinitas non parit affinitatem.*

Sequitur 2° duas personas quæ carnaliter conjunguntur non esse proprie inter se affines, sed esse principium affinitatis, et quasi stipitis locum tenere.

Sequitur 3° in affinitate distinguendos esse gradus, sicut in consanguinitate. Duplex etiam distinguenda est linea, directa et collateralis. Hæc autem est regula apud omnes recepta, ad computandos in qualibet linea affinitatis gradus: *Qui personam aliquam carnaliter cognovit, affinis est illius consanguineis, eodem gradu quo persona cognita est illis cousanguinea:* et ratio est aperta ex dictis; cum affinitas sit quænam cognatio communicata, communicatur in gradu in quo est.

Sequitur 4° posse simul concurrere plura affinitatis vincula, v. g. si commercium habitum fuerit cum pluribus ejusdem personæ consanguineis, vel si utrinque fuerit commercium cum consanguineis compartis.

167. I. *An et quousque affinitas sit impedimentum dirimens?*

Apud omnes constat ex affinitate oriri impedimentum dirimens: et quidem 1° in *linea recta*, matrimonium irritatur in quocumque affinitatis, non secus ac consanguinitatis gradu. 2° In *linea collaterali*, affinitas *ex commercio licito* matrimonium irritat usque ad quartum gradum inclusive. Olim latius extendebatur illud impedimentum; sed intra illos limites coarctatum est a Concilio Lateranensi IV. Quoad affinitatem *ex commercio illicito*, statuit Concilium Tridentinum, *sess.* xxiv. cap. iv. ut non extenderetur ultra secundum gradum: unde in tertio et quarto gradu matrimonium non solum non est irritum, sed nec prohibitum, ut expresse declaravit S. Pius V.

Si agatur de matrimonio consummato, sed invalide, sive mala, sive bona etiam fide inito, videtur assimilandum commercio illicito. Sed tunc insuper ratio habenda erit honestatis publicæ quæ extenditur usque ad iv. gradum; quamvis enim contradicat Benedictus XIV. *de Synod.*, l. ix., c. xiii., n° 4, valde probabile est impedimentum honestatis publicæ concurre cum impedi-

mento affinitatis ; et favet declaratio S. Congregationis, quam citat ipse Benedictus XIV., quæst. 291.

168. II. *Quo jure inductum sit impedimentum affinitatis ?*

1° *In linea collaterali*, impedimentum non est ex jure naturali : constat apud omnes, tum exemplo Jacob, tum ex lege quæ præcipiebat ut frater duceret uxorem fratris sui defuncti absque liberis, *Deuteron.*, xxv., 5. Nec etiam ex jure divino. Multum olim ea de re disceptatum fuit, occasione dispensationis Henrico VIII. a Julio II. concessæ. Quæstio tandem fuit solemniter decisa : unde causa finita esse debet.

2° *In linea recta*, major adest difficultas. Triplex adest opinio. Alii impedimentum referunt ad jus naturale : sed communius restringunt ad primum gradum. Alii non referunt impedimentum nisi ad jus ecclesiasticum. Alii demum referentes ad jus naturale impedimentum ex commercio matrimoniali, aliter sentiunt de commercio fornicario.

Quidquid sit, Sedes Apostolica, quando agitur de affinitate ex commercio fornicario, non raro dispensat, saltem ut vir ducat illam cujus matrem cognovit : si vero agatur de affinitate ex commercio conjugali, licet pluries rogata, nunquam dispensavit, teste Benedicto XIV., *de Synod.*, l. ix., c. xiii., n° 4 ; idem asserit in Const. *Ætas anni*, § 14, licet ibi diserte pronuntiet impedimentum non esse nisi de jure humano.

169. III. *Quisnam si effectus affinitatis matrimonio inito supervenientis ?*

Certe non dissolvit matrimonium : sed si sit in primo aut secundo gradu, privat jure petendi debitum ; ita jus antiquum, cui non derogavit in hoc puncto Concilium Tridentinum. Lex illa, quæ obligat sub gravi, lata est per modum pœnæ : unde violentia et ignorantia, quæ excusant delinquentem a peccato incestus, excusant quoque ab hac pœna ; dubium est solummodo pro casu quo delinquens ignorat tantum commercium cum consanguineis sui conjugis esse specialiter prohibitum per legem ecclesiasticam ratione affinitatis.

§ 10. *De impedimento* HONESTATIS PUBLICÆ.

170. Quando quis sponsalia vel matrimonium init cum aliqua persona, propinquitatem quamdam contrahit cum ipsius consanguineis: ratione habita illius propinquitatis, indecorum judicavit Ecclesia ut matrimonio jungi posset cum illis consanguineis. Hinc ortum est impedimentum *honestatis publicæ*, quo attingi consanguineos, etiam illegitimos, est certissimum ait SANCHEZ.

Ex his intelligitur impedimentum *honestatis publicæ* provenire posse vel a sponsalibus, vel a matrimonio: qua voce communiter intelligitur matrimonium *ratum:* si enim sit consummatum, exinde oritur impedimentum *affinitatis*, de quo modo.

1. *De impedimento honestatis publicæ ex sponsalibus.* Ex jure veteri impedimentum usque ad quartum gradum oriebatur ex sponsalibus, sive validis, sive invalidis. Exciebantur duo tantum casus, ex decisione BONIFACII VII. cap. unic. *De Sponsal. et Matrim.* 1° Quando nullitas oriebatur ex defectu consensus, non aderat impedimentum, quia tunc omnino deficit substantia contractus. 2° Cum sponsalia posteriora non possint derogare prioribus, quando quis post sponsalia inita cum aliqua persona, nova inibat cum uno ex istius consanguineis, non obstabat publica honestas quin remaneret obligatus ad contrahendum cum prima.

Sed ex Concilio Tridentino, sess. xxiv. *De Reform. Matrim.* cap. iii., impedimentum non excedit primum gradum, nec oritur ex sponsalibus quacumque ratione invalidis.

Hinc 1° quamvis sponsalia apparenter sint valida, et eorum nullitas sit occulta, non ideo producitur impedimentum: quia verba Concilii Tridentini sunt omnino generalia. Insuper impedimentum fundatur in propinquitate quæ oritur ex sponsalibus: non sufficit ut homines eam exortam credant, sed requiritur ut revera orta sit. Cavendum tamen a scandalo, et providendum securitati matrimonii, quod aliquando irritari posset a judice, qui, non attendens nisi ad apparentiam exter-

nam, existimaret valida fuisse sponsalia, ac proinde exortum esse impedimentum.

Hinc 2° si sponsalia sint occulta, quamvis jam non videatur matrimonium lædere honestatem publicam, attamen, teste BENEDICTO XIV. *Inst.* lxxxvii. n° 7, auctores fere unanimes sentiunt adesse impedimentum ex jure communi : solummodo habetur ut occultum, ideoque non spectat ad Datariam, ut testatur idem auctor. Dicitur *Ex jure communi*, quia alicubi invalida sunt sponsalia occulta, ut diximus (n° 107), nec proinde producunt impedimentum.

Hinc 3° licet sponsalia fuerint dissoluta, etiam ex mutuo consensu, non ideo cessat impedimentum, semel contractum : ita pro certo hodie tenent auctores ex declaratione ALEXANDRI VII.

171. II. *De impedimento honestatis publicæ ex matrimonio rato.*

Quamvis nullus forte juris textus expresse loquatur de honestate publica quæ oritur ex matrimonio, agnoscunt omnes ad matrimonium extendi ea quæ leguntur in jure de impedimento orto ex sponsalibus. Concilium autem. Tridentinum, statuendo de sponsalibus, nihil statuit circa matrimonium ratum : unde circa illud res sunt in eodem statu ac erant ante Concilium.

Igitur ex quocumque matrimonio, sive valido, sive invalido, oritur impedimentum usque ad iv. gradum. Excipiuntur tantum duo casus modo memorati ubi de sponsalibus. 1° Si matrimonium irritum sit ex defectu consensus : v. g. ex errore, vel metu, vel cum consensu ficto ; item si matrimonium ineatur ab impubere, quia tale matrimonium irritatur ex præsumpto defectu consensus sufficientis ; si tamen cum multis agnoscatur tale matrimonium habere vim sponsalium, aderit impedimentum usque ad primum gradum. Sed non putandum exceptionem applicandam esse matrimonio clandestino ; non enim magis tunc nullitas refundenda est in defectum consensus, quam ubi ex aliis impedimentis oritur. 2° Quando nullitas oritur ex sponsalibus præcedentibus, quia nempe Petrus, v. g. post sponsalio inita cum Bertha, matrimonium init cum ejus sorore, non exsurgit, ex communi sententia, impedimentum respectu Berthæ, nec dirimuntur sponsalia.

Hinc concludi potest quatenus impedimentum honestatis publicæ oriatur *ex matrimonio mere civili?* — Solutio hujus quæstionis, quæ non respicit nisi loca ubi valida esse possunt sponsalia mere civilia, pendet ab alia, quomodo nempe habendum sit tale matrimonium, an ut matrimonium clandestinum, an ut sponsalia ; in primo casu, producet impedimentum usque ad quartum gradum ; in secundo autem, non nisi usque ad primum. Porro quid ea de re sentiamus jam exposuimus ubi *de Sponsalibus* (n° 107).

172. III. *Quo jure inductum sit illud impedimentum.*

Agnoscunt omnes referendum non esse nisi ad jus ecclesiasticum, nec ex jure naturali aut divino deduci posse.

Hinc Ecclesia in eo dispensare potest : vix aliud est impedimentum in quo facilius dispenset Sedes Apostolica, præsertim si oriatur tantum ex sponsalibus.

§ 11. *De impedimento* DISPARITATIS CULTUS.

173. Adesse potest cultus disparitas, vel inter fidelem et infidelem, vel inter catholicum et hæreticum : in priori casu, est impedimentum dirimens, in posteriori prohibens tantum ; de utroque hic dicemus ob materiæ connexionem.

PUNCT. I. *De matrimoniis fidelium cum infidelibus.*

Hæc breviter statui possunt.—I. *Matrimonia fidelium cum infidelibus, quamvis multis incommodis obnoxia, non sunt tamen jure divino aut naturali absolute prohibita.*

Prob. 1ª *pars*, scilicet esse *multis incommodis obnoxia.* Præcipua ex his incommodis sunt, 1° perversionis periculum in fide, vel in exteriori cultu ; 2° summa prolis christiane instituendæ difficultas ; 3° discordiæ in religionis negotio, aut illius occasione exorituræ ; 4° obices qui necessario parti fideli occurrere debent in piis exercitiis persolvendis.

Prob. 2ª *pars*, sive ex eo quod nullum proferri possit validum hujus absolutæ prohibitionis argumentum,

cum incommoda memorata possint in quibusdam casibus peculiaribus vel præcaveri, vel per maxima commoda compensari; sive ex iis quæ mox dicturi sumus.

II. *Hæc matrimonia, quamvis Ecclesiæ minus probata, non erant tamen olim jure ecclesiastico irrita, imo nec absolute prohibita.*

Prob. 1ª *pars*, ex testimoniis plurium Patrum et Conciliorum, a quibus satis graviter reprehenduntur hæc matrimonia, imo et variis pœnis subjiciuntur. Validissimis autem rationibus movetur Ecclesia ad ita sentiendum, ut patet ex modo dictis.

Prob. 2ª *pars*, tum *negative*, quia nulla lex generalis et absoluta proferri potest: tum *positive*, exemplo piarum mulierum, quæ profecto abstinuissent ab hujusmodi matrimoniis, si fuissent omnino prohibita. Citare sufficiat Eunicen Timothei matrem, S. Cæciliam, S. Monicam Augustini matrem, S. Clotildem. Et revera primis illis temporibus valde durum fuisset, si Christiani non nisi cum Christianis nubere potuissent.

III. *Jam a longo tempore hæc matrimonia absolute reprobantur, et irrita declarantur ab Ecclesia.*

Prob. "Omnes sentiunt, inquit BENEDICTUS XIV. *Epistol. ad cardinal. Eboracensem*, § 19, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum canonum, sed generali Ecclesiæ more, qui pluribus abhinc sæculis viget, ac vim legis obtinet."

Ita autem intelligitur illud impedimentum, ut irritum sit matrimonium eo ipso quo initur inter baptizatum et non baptizatum, adeo ut non valeat matrimonium baptizati cum catechumena, licet jam fidem teneat, imo et in statu gratiæ esse possit: illud compertum esse expresse asserit BENEDICTUS XIV. *ibid.* Non valet etiam matrimonium initum cum ficte baptizato, id est, cum eo cujus baptismus fuit invalidus. Sed contra valeret matrimonium, licet unus e conjugibus esset apostata.

PUNCT. 2. *De matrimoniis catholicorum cum hæreticis.*

174. Hæc vocantur apud auctores ecclesiasticos *matrimonia mixta:* de quibus hæc statui possunt.

I. *Matrimonia mixta, licet generatim improbata,*

non sunt tamen de se absolute prohibita jure naturali aut divino. Est contra quosdam theologos.

Prob. 1ª *pars.* quia in eis eadem imo et sæpe majora reperiuntur pericula et incommoda, quam in matrimoniis cum infidelibus.

Prob. 2ª *pars.* 1º *Auctoritate*, et quidem multiplici: 1. plurium Sanctorum, quos legimus matrimonia contraxisse cum hæreticis; 2. Conciliorum, quorum plura permittunt hujusmodi matrimonia ob peculiares rerum circumstantias, et modo pars hæritica conversionem promittat: porro promisso illa tollit quidem varia pericula, sed non tollit profanationem sacramenti, qua præcipuæ innituntur adversarii; 3. SS. Pontificum, qui hujusmodi dispensationes pluries concesserunt; 4. theologorum, qui sunt fere unanimes pro nostra sententia.

2º *Ex ratione.* Si matrimonia hujusmodi essent absolute illicita, vel propter communicationem in divinis cum hæretico, vel propter sacramenti profanationem: atqui neutrum ex his duobus sufficit. 1. Non propter communicationem in divinis: quia hæc communicatio, seclusis periculo et scandalo quæ removeri possunt, prohibita non est nisi jure ecclesiastico, juxta probabilem multorum opinionem de qua alibi, ac proinde Ecclesia gravi de causa eam permittere potest. 2. Non ob profanationem sacramenti. Quod duplici argumento ostendi potest. 1º Ut ratiocinatur card. DE LUGO. non minus ad est profanatio, quando sacramentum recipitur a peccatore, quam ubi ab hæretico; atqui tamen nemo contendet conjugem bene dispositam non posse absolute nubere cum eo quem scit in statu peccati. 2º Vel admittitur sacerdotem esse ministrum, vel contrahentes. Si primo, cum non adsit benedictio, non adest sacramentum; ergo neque profanatio. Si secundo, non ideo necessario peccat fidelis, quia ex principiis quæ statuuntur ubi *de Cooperatione*, licet ab alio petere et cum ipso ponere actum in se bonum seu indifferentem, in quo alter non peccabit nisi ex propria malitia, quando adest gravis ratio illum ponendi; tunc enim pravus effectus sequitur tantum per accidens et contra intentionem agentis. Ita quoad substantiam BENEDICTUS XIV., *de Synod.*, l. ix. c. iii. nº 5.

175. II. *Matrimonia mixta sunt ex jure ecclesiastico prohibita, sed non invalida.*

Prob. 1ª *pars*, scilicet *esse prohibita.* Ecclesia semper deterruit fideles ab hujusmodi sacrilegis nuptiis ineundis : multos canones citat BENEDICTUS XIV., *de Synod.*, l. vi. c. v. nº 3 : et in Constit. *Magnæ nobis*, directa ad episcopos Poloniæ, *Bullar*, t. ii. n. 1, ostendit eamdem disciplinam ac regulam ad nostra usque tempora constanter servatam, allegans testimonia Urbani VIII., Clementis XI., et propriam suam constitutionem de matrimoniis Hollandiæ. Eamdem disciplinam memorant et confirmant Pius VI., Pius VII., Pius VIII., et Gregorius XVI. (vid. P. M. nº 764). Ex quibus deducitur hæc matrimonia esse prohibita lege generali Ecclesiæ, ideoque non licere, quamvis, in casu quodam peculiari, removerentur pericula, sicque non amplius essent prohibita jure naturale et divino.

Hinc illæ nuptiæ, *cohonestari nequeunt*, ait BENEDICTUS XIV., *de Synod. ibid.*, *obtenta solius consuetudinis (verius corruptelam dicerent), nisi amoveantur pericula ; quod tamen vix evenire posse notant* auctores.

Prob. 2ª *pars*, scilicet *non esse invalida.* Id agnoscunt omnes, quia nulla lege aut consuetudine irrita declarantur. Olim in Galliis aliter statuendum quibusdam videbatur, ex Edicto Ludovici XIV., an. 1680 : verum multi, etiam apud nos, non illud intelligebant nisi de effectibus civilibus. Quidquid sit, hodie, abrogato hoc edicto, nulla potest esse difficultas.

176. Ex his intelligitur hæc matrimonia licita fieri posse ex dispensatione. Sec hæc, cum attingat legem generalem Ecclesiæ, a solo S. Pontifice concedi potest, nisi dispensandi facultas tribuatur episcopis per consuetudinem debitis vestitam conditionibus, qualis non existit apud nos. Quando autem conceditur, has cautiones adhibet Sedes Apostolica, teste BENEDICTO XIV., in *Epistola ad Episcopos Poloniæ jam citata*, et *de Synodo*, l. ix. c. iii. nº 5.

Prima est, *ut absit periculum seductionis pro parte catholica ;* imo hæc admoneatur quanta ipsi incumbat obligatio nihil negligendi ad alterum a sua hæresi retrahendum.

Secunda, *ut infantes utriusque sexus in religione ca-*

tholica educari possint. Unde pro irrito habetur pactum, ut quidam ex liberis in hæresi, quidam in fide catholica educentur, quia parentes tenentur filios in vera fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo queunt.

Tertia, *ut adsit gravis aliqua causa*, quæ ut plurimum debet esse causa publica; alioquin non solent concedi hujusmodi dispensationes: unde pleræque spectant ad matrimonia inter supremos principes contrahenda.

Quarta, *ut hujusmodi matrimoniis benedictio nuptialis non impendatur.* Eam esse omittendam expresse docet BENEDICTUS XIV., *de Synod.*, l. vi. c. v. n° 5. Et afferre possumus in confirmationem 1° ea quæ peractæ sunt in matrimonio, tum Henrici IV. cum Margareta Valesia, tum Henrichetæ, sororis Ludovici XIII. cum Carolo I. Anglorum rege; 2° prohibitionem Clemetis VIII., quam citat idem Benedictus XIV.; 3° verba ipsa dispensationum quales a S. Sede conceduntur. Verum non prohibetur parochus catholicus assistere talibus matrimoniis, imo id aliquando necessarium esse potest ut valide ineuntur, ut colligi poterit ex iis quæ dicemus ubi *de Clandestinitate.* Unde variæ S. Congregationis decisiones, quas afferunt plures auctores, ex quibus non licet paroche assistere matrimonio catholici cum hæretica, non respiciunt nisi casum ubi initur absque legitima dispensatione.

177. Si deficiant variæ illæ cautiones, a fortiori si desit debita dispensatio, illicita sunt hujusmodi matrimonia. Itaque tunc parochus non potest regulariter ad ea concurrere, vel iis assistere: tum quia, utpote testis et judex contractus matrimonialis, vigilare tenetur ne cum aliquo impedimento fiat; hæresis autem unius est impedimentum prohibens; unde differt casus iste ab illo in quo unus e contrahentibus est tantum in statu peccati: tum quia alioquin brevi in catholico populo extenuaretur memoria canonum matrimonia ista detestantium, et constantissimi studii quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere satagit ab iis in suarum animarum jacturam contrahendis; quod sedulo cavendum inculcare non destiterunt SS. Pontifices, recentioribus præsertim hisce temporibus.

Dixi tamen *Regulariter*, quia pro variis temporum

et locorum adjunctis quandoque permiserunt SS. Pontifices ut parochi talibus matrimoniis assisterent ; cum quibusdam tamen restrictionibus, quarum præcipua est ut ea præsentia sit tantum materialis, nec pro hujusmodi matrimoniorum approbatione ullatenus haberi possit. Ita quidem egerunt SS. Pontifices, tum ad consulendum matrimoniorum validitati, et ne partes ad ministrum hæreticum confugiant, tum ad præcavenda graviora incommoda Ecclesiæ catholicæ imminentia. (*Vid.* P. M., nº 764.)

Si vero quæratur an, post initum illicite tale matrimonium, contrahens catholicus possit ad sacramenta admitti, huic quæstioni sic respondebat PIUS VI. : " Dum idem ille demonstrabit, pœnitere se peccaminosæ suæ conjunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret procuraturum se conversionem conjugis hæreticæ, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus nos quominus pars catholica sacramentorum fiat particeps."

§ 12. *De impedimento* CONDITIONIS SERVILIS.

178. Sub ratione conditionis servilis non designantur famuli, quales apud nos ; sed tantum ii qui ita sunt sub potestate domini, ut possit illos locare, vendere, sicut olim usitatem erat apud Romanos, et hodie etiam apud quosdam populos : quos scilicet dicimus *esclaves*. Porro ex jure Romano, irritum erat, saltem juxta multos, matrimonium a servo initum sine consensu domini itemque servi cum libera. Sed ex jure canonico, valet matrimonium, nisi persona subjecta servituti ab altera existimata fuerit libera : unde impedmentum oritur ex errore circa conditionem, non ex ipsa conditione.

Agnoscunt fere omnes, non juri naturali, sed positivo tantum tribui debere hoc impedimentum : non est enim error substatialis, qui consensum sufficientem tollat cum conditio non obstet fini essentiali matrimoii.

Cum apud nos non vigeat servitus (nisi in coloniis), locus non est hujus impedimenti applicationi. Sed ea occasione, plures theologi agunt de matrimonio *mor-*

tuorum civiliter : de quibus nos dicemus ubi *de Impedimentis civilibus* (n° 319).

§ 13. *De impedimento* RAPTUS.

179. Duplex distinguitur raptus : *violentiæ*, et raptus *seductionis.*

I. *De raptu violentiæ.* In quo consistat crimen et impedimentum aperiet definitio : quænam autem requirantur conditiones intelligetur ex singulorum definitionis verborum explicatione. Itaque definitur : *Abductio violenta personæ in locum ubi sit sub potestate raptoris, matrimonii tueundi, vel libidinis explendæ causa.*

Dicitur 1° *Abductio ;* sed sufficit virtualis seu implicita, nempe detentio, quemadmodum ubi agitur de furto.

Dicitur 2° *Violenta*, quia si vis personæ non inferatur, erit fuga, non raptus.

Dicitur 3° *Personæ*, sive sit honesta, sive jam corrupta, aut meretrix, sive etiam sponsa ; quia nec ipse sponsus jus habet eo modo cogendi propriam sponsam.

Si vero mulier rapiat virum, existimant multi non adesse impedimentum : quia jus semper loquitur de raptoribus, nunquam vero de feminis raptricibus. Et revera leges non solent statuere de casibus insolitis : aliunde vir per se satis tutus est, et minus damnum patitur ; ergo concipitur cur jura non æqualem pœnam pro utroque casu imponant.

Non desunt tamen qui contrarium sentiant. Quia in Jure, ubi agitur de correlativis, ut sunt vir et mulier, par ratio utriusque habetur : et motivum legis præcipuum, nempe consulere libertati matrimonii et raptum punire, in utroque casu concurrit. Idque confirmant auctores nostri ex edictis regiis, et praxi Ecclesiæ Gallicanæ, quam dicunt ita interpretatam esse decretum Concilii Tridentini.

Quamvis prior opinio sit satis probabilis, posterior videtur apud nos tenenda ex ultima ratione, cum Ecclesiæ consuetudo potuerit illud impedimentum extendere.

Dicitur 4° *In locum ubi sit sub potestate raptoris :* ita expresse exigit Concilium Tridentinum, in decreto

quo illud impedimentum tulit, *sess.* xxiv. cap. vi., *de Reform. matrim.*

Dicitur 5° *Matrimonii ineundi, vel libidinis explendæ causa.* Alterutrum saltem ex his duobus requiritur: unde si abduceretur vel in servitutem, vel ut bonis spoliaretur, etc., admittunt omnes non adfuturum impedimentum; quia agitur tantum hic de raptu, prout est species luxuriæ.

Sed quæstio est an sufficiat intentio libidinis, an vero requiratur ut raptus fiat intuitu matrimonii?— Duæ adsunt opiniones; inter quas, in praxi distinguendum videtur cum COMPANS. Vel rapta libidinis intuitu matrimonium eligit tanquam minus malum, ut se liberet a majori; vel omnino libenter, quia sibi est favorabile. In 1° casu, matrimonium est irritum, sive ex metu, sive etiam ex raptu, quia tunc raptor censetur detinere intuitu matrimonii. In 2° casu, valet matrimonium: sic satis providetur libertati raptæ; cui aliunde minor injuria infertur, quando rapitur causa libidinis, quam ubi intuitu matrimonii, quod vel irritum erit, vel eam in perpetuum ligabit.

180. II. *De raptu seductionis.* Ille intelligitur quo puella adducitur, non invita, sed blanditiis, vel aliis mediis seducta, et invitis illius parentibus: hæc enim duo intime connectuntur, præsertim in Galliis, ut ex mox dicendis facile intelligetur.

Porro præcipua quæstio est, *an ille raptus sit impedimentum dirimens?*—1° *Ex jure communi*, seu *attendo tantum decreto Concilii Tridentini*, videtur probabilior opinio negans. Etenim decretum illud est præter jus commune, cum constet, saltem tempore Concilii, raptum non fuisse impedimentum dirimens; est insuper decretum irritans, et pœnas gravissimas infligens: ergo non debet extendi ultra sensum rigorosum verborum. Porro, si attente inspiciatur decretum, nihil indicat eo comprehendi raptum seductionis. 1. Nomen ipsum *raptus* indicat aliquam violentiam: hic autem nulla adest in puellam, ut supponitur; ea autem quæ infertur parentibus non potest sufficere in mente Concilii Tridentini. 2. Concilium exigit ut rapta sit sub potestate raptoris: porro ita non est in raptu seductionis. 3. Raptus de quo loquitur Concilium, cessat statim ac

puella reponitur in loco tuto et libero : atqui non ita statuisset, si voluisset comprehendere raptum seductionis, quia loci mutatio non tollit vim seductionis.

2° *Ex jure consuetudinario* apud nos ; nempe ex jurisprudentia et ex consuetudine Galliæ introductum fuisse impedimentum, etiam ultra decretum Concilii, docent auctores Galli satis communiter. Sed varias requirunt conditiones, quarum nonnullas tantum adstruere possunt ex eo decreto : unde intelligitur eos non tam innixos esse Concilio Tridentino, quam edictis regiis aut jurisprudentiæ circa consensum parentum. Hodie igitur standum iis quæ dicemus ubi *de Impedimentis civilibus*.

§ 14. *De impedimento* CRIMINIS.

181. Eo nomine designatur impedimentum quod oritur sive ex adulterio, sive ex conjucidio. Ideo fuit institutum, ne conjuges, spe matrimonii cum complicibus ineundi ad ea crimina, præsertim ad conjucidium, allicerentur. Sufficit alterutrum ex his duobus, quando adsunt quædam circumstantiæ aggravantes : requiritur utrumque conjunctum, quando desunt illæ circumstantiæ.

I° DE ADULTERIO.

Adulterium non inducit impedimentum, nisi simul adsit promissio matrimonii, vel illius attentatio : igitur exponendæ sunt conditiones quæ requiruntur, tum ex parte adulterii, tum ex parte promissionis, tum quoad utriusque conjunctionem.

I. *Ex parte adulterii*, tres requiruntur conditiones.

Prima, ut sit *verum :* non sufficeret existimatum, v. g., si vivus adhuc crederetur alter conjux, qui jam obiisset.

Secunda, ut adulterium sit *formale ex utraque parte :* unde si quis commercium habeat cum eo qui ignorat ipsum esse conjugatum, non aderit impedimentum. Ita communiter auctores, qui id deducunt ex decisionibus Alexandri III., cap. *Propositum*, 1. *de Eo qui duxit in matrimon.*, et Innocentii III., cap. *Veniens*, vii. *ibid.*

Imo si uterque sit conjugatus, et neuter conjugium alterius cognoscat, non aderit impedimentum; ita communiter tum jurisperiti, tum theologi.

Tertia conditio est, ut adulterium sit *consummatum*. Quando enim jura pœnam infligunt crimini, requiritur ut sit consummatum, nec sufficit attentatum.

182. II. *Ex parte promissionis*, variæ quæ requiri possunt conditiones, ad quatuor revocantur.

Prima est, ut sit *vera promissio;* non sufficit simplex desiderium, vel mera indicatio propositi.

Si vero promissio sit ficta, id est, facta absque animo sese obligandi, cum pluribus existimamus difficile excusari posse ab impedimento: quia alter eam sinceram credens, nihilominus incitabitur ad desiderandam et procurandam conjugis mortem, ac proinde subsistit motivum legis.

Secunda conditio, quam multi requirunt, est ut *promissio sit absoluta*, aut absolutæ æquivalens: id est, si promissio facta fuerit modo conditionato, requiritur ut per conditionis adimpletionem ante mortem conjugis absoluta evaserit. Ratio hujus assertionis, quam non pauci rejiciunt, est quia lex pœnalis, qualis est ea de qua agimus, potius restringenda est quam extendenda, nec proinde applicari debet promissioni quæ non est ex omni parte perfecta.

Tertia conditio est, ut promissio sit *acceptata* ab altero, alioquin est merum propositum, nec vere ligat: in hoc videntur omnes consentire.

Quarta conditio, quam requirunt quidam, est ut *promissio sit mutua*, qualis vulgo esse solet. Verum hanc conditionem requiri negat sententia communior, tum quia canones nihil aliud exigunt quam veram promissionem; tum quia promissarius ex spe matrimonii semper ad crimen incitabitur.

183. III. *Quoad conjunctionem adulterii cum promissione*, necesse est ut vere dici possit simul exstitisse adulterium et promissionem, durante matrimonio.

Hinc 1° si quis, vivente conjuge, commercium habeat cum aliqua persona, et deinde non nisi post mortem conjugis eidem matrimonium promittat, non aderit impedimentum.

Hinc 2° si promissio, semel facta, fuerit revocata

ante adulterium, non adest impedimentum, quia promissio revocata jam non est promissio. Sed si revocetur tantum post adulterium, etiamsi ante mortem conjugis, adest impedimentum : adulterio enim et promissione semel positis, adfuit impedimentum, a quo non potuerunt partes postea propria auctoritate se eximere.

Hinc 3° solvi possunt sequentes casus. 1. Petrus, vivente uxore promittit Berthæ matrimonium : uxore mortua, ducit Catharinam, et postea adulterium committit cum Bertha.—Non adest impedimentum, quia promissio facta Berthæ satis revocata est per matrimonium cum Catharina, nec proinde concurrit cum adulterio. 2. Petrus, vivente uxore, committit adulterium cum Bertha ; uxore defuncta, ducit Catharinam, et postea promittit Berthæ matrimonium.—Ad istum casum plerique auctores non attenderunt : docet tamen COMPANS adesse impedimentum, quia reperiuntur ea quæ lex voluit punire : nec enim adulterium semel patratum revocari potest, ac proinde concurrit cum promissione, sicque ex hic duobus dabitur occasio machinandi mortem. 3. Petrus matrimonium promittit Berthæ quæ ignorat eum esse conjugatum : postea agnoscit Bertha conjugatum esse Petrum, et tunc committunt adulterium.—Adest impedimentum, quia subsistit promissio, et concurrit cum vero et formali adulterio.

Hactenus, exponendo varias conditiones, locuti sumus tantum de casu quo adest mera promissio matrimonii. Si, loco promissionis, adsit attentatio matrimonii, vix ulla occurrit peculiaris difficultas : sufficit ut vere attententur, id est, ut complices matrimonium ineant quantum in se est. Illudque verum est, etiamsi ineant clandestine, quia hic non attenditur præcise ad valorem matrimonii.

II° DE CONJUCIDIO.

184. Nomine conjucidii, quod vulgo in canonibus *Machinatio* dicitur, intelligendum est non tantum uxoricidium, sed etiam viricidium, quia canones de utroque loquuntur. Ut sit impedimentum variæ requiruntur conditiones, quæ ad tres reduci possunt.

Prima est, ut conjucidium fuerit *reipsa peractum*, seu *consummatum*. Unde non sufficit ut sit attentatum, si mors secuta non fuerit, vel non nisi ex imperitia, negligentia, aut culpa medici, vel ipsius interfecti. Item non sufficit ut occidatur non conjux, sed alia persona, quæ matrimonio obstabat.

Secunda conditio est, ut *uterque in mortem conspira-*

verit, et efficaciter influxerit, vel physice, vel moraliter: non sufficit unius machinatio, nisi quando simul concurrit adulterium ; nec sufficit ut approbetur mors jam illata.

Tertia conditio est, ut machinatio fiat *ex intentione matrimonium ineundi:* licet jura ea expresse non requirant, videntur eam supponere, et satis colligitur ex fine legis, quæ voluit impedire ne spes matrimonii ad conjucidium induceret.

Sed in illa intentio requiratur ex utraque parte, apud auctores non constat. Satis probabile est requiri, quia finis Ecclesiæ debet verificari in utroque machinante. Attamen cum sufficiat intentio ex una parte, ut vere dici possit intentionem matrimonii induxisse ad conjucidium, petenda videtur dispensatio saltem ad cautelam. Cæterum, in foro externo semper præsumitur sufficiens intentio, quando fit conspiratio et postea matrimonium initur ; et ita etiam pro foro interno in praxi præsumendum est.

III° DE CONJUCIDIO CUM ADULTERIO.

185. Sufficit ut adsint adulterium et conjucidium, qualia determinavimus in duabus questionibus præcedentibus.

Nec requiritur promissio, aut attentatio matrimonii : neque machinatio utriusque seu conspiratio ; sed unius tantum, sive sit conjux occisi, sive illius complex in adulterio, cum intentione tamen contrahendi matrimonium ; quamvis enim jus expresse hanc intentionem non requirat, ejus necessitatem deducunt auctores ex motivo legis.

186. Certum est illud impedimentum nec jure naturali, nec divino inductum esse, sed tantum jure ecclesiastico : id agnoscunt omnes, et deduci potest ex matrimonio David cum Bethsabee. Unde nullum dubium est quin ab Ecclesia concedi possit dispensatio. Attamen ex BENEDICTO XIV., Const. *Ætas anni*, § 15, *Bullar.* t. iv., *Append. altera*, n° 1, si conjucidium sit publicum, nullo exemplo constat S. Pontificem in hujusmodi dispensasse : si agatur de conjucidio occulto, habet quidem major Pœnitentiarius dispensandi facul-

tatem, raro tamen et semper pro foro tantum interno : si tandem de ulterio solo, facilius conceditur dispensatio.

§ 15. *De impedimento* CLANDESTINITATIS.

187. Vocis illius varia fuit variis temporibus acceptio : sed a tempore Concilii Tridentini, quando stricte sumitur, designat defectum præsentiæ parochi et testium, quam illud Concilium sub pœna nullitatis præscripsit, *sess.* XXIV., *cap.* I., *de Reform. matrim.* Ut accurate exponamus quod ad hoc impedimentum spectat, expendendum est 1° an semper irrita sint matrimonia clandestina ; 2° quid requiratur ut matrimonium non sit clandestinum.

PUNCT. I. *An semper irrita sint matrimonia clandestina.*

188. Certum est 1° hæc matrimonia irrita non esse jure naturali aut divino : Concilium enim Tridentinum declarat ea esse *vera et rata*, quandiu ea Ecclesia irrita non fecit.

Certum est 2° ea fuisse semper legibus Ecclesiæ prohibita ; constat ex eodem Concilio. Sed cum in dubium venisset an unquam fuissent etiam irrita, noluit Concilium hanc controversiam dirimere.

Certum est 3° Concilium ea declarasse in posterum irrita. Unde exponendum est quousque extendatur illius decretum, et videndum 1° an et quatenus matrimonia clandestina irrita sint ex jure communi ; 2° an irrita sint nunc in Galliis ; 3° an irrita sint apud hæreticos.

QUÆST. 1. *An et quatenus matrimonia clandestina irrita sint ex jure communi.*

189. Hinc statuendum nobis est principium generale, vi cujus solvi possint variæ difficultates speciales quæ occurrere possunt. Sit itaque.

PROPOSITIO.—*Quando decretum Concilii Tridentini fuit in aliqua parochia promulgatum vel tanquam decretum Concilii observatum, matrimonia clandestine*

inita ab iis qui pertinent ad hanc parochiam sunt prorsus irrita, nisi excuset moralis impossibilitas.

Prob. Ex ipso tenore decreti: "Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnio inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat."

Præcipuum hujus decreti motivum, ex ipso Concilio, fuit præcavere ne illi qui jam matrimonium inerunt, possint impune ad aliud convolare; quod sæpe olim accidebat, quin Ecclesia, quæ de occultis non judicat, huic malo occurrere posset.

Dicitur 1° *Quando decretum fuit in aliqua parochia promulgatum:* postquam enim statuit Concilium ut omnes ordinarii "curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœcesium parochialibus ecclesiis..., decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos." Unde hanc promulgationem in singulis parochiis absolute requiri ex sententia S. Congregationis, nec sufficere promulgationem factam in Synodo provinciali aut diœcesana, testis est FAGNANUS. Ratio autem ita statuendi fuit, juxta PALLAVICINUM, quod ita evitabitur id quod multi objecerant, nimirum inter hæreticos, qui huic decreto non parerent, nullum matrimonium in posterum verum fore, nullamque prolem legitimam; cum enim illam decretum non essent promulgaturi in suis regionibus, jam eo non erant attingendi.

Dicitur 2° *Vel aliquo tempore observatum;* licet enim non exstet peculiare monumentum promulgationis, hæc satis præsumitur, quando usu receptum est ut matrimonia ineantur coram parocho et testibus, tanquam in exsecutionem decreti Tridentini; hæc enim observatio habetur ut virtualis promulgatio, ut reipsa nulla datur efficacior Ita pluries declaratum fuit a S. Congregatione Concilii.

Dicitur 3° *Tantum decretum Concilii*, quia si irrita declarata fuissent matrimonia clandestina, sed non vi

Concilii Tridentini, jam illius decretum non posset censeri promulgatum. Ita colligitur ex iis quæ refert Benedictus XIV., *de Synod.* l. xii., c. v., nis 7, 11. Cum in Synodo Kioviensi, et in concilio provinciali Ruthenorum *(en Russie)* irrita declarata fuissent matrimonia clandestina, eodem plane modo quo a Concilio Tridentino fuerat statutum, sed nulla facta hujus decreti mentione, judicatum est nihilominus valida esse præfata matrimonia.

Dicitur 4° Matrimonia sunt *Prorsus irrita ;* quod ita intelligendum, ut ne vis quidem sponsalium iis tribui possit. Illud certissimum est, juxta Benedictum XIV. *Inst.* xlvi. n° 23. A fortiori non valent quoad contractum, ut patet ex iis quæ antea diximus (n° 133).

Dicitur 5° *Nisi excuset moralis impossibilitas*, quia si adiri non possit parochus, aut nonnisi *difficillime seu peri, culosissime*, legem in eo casu obligare noluit Ecclesia ; quod omnino æquitati consentaneum est, ne fideles a matrimonio abstinere cogantur : magnum enim adest discrimen inter clandestinitatem et alia impedimenta : alia non obstant cuilibet matrimonio, cum quis nubere possit quin ducat consanguineam aut affinem ; istud autem omne prorsus matrimonium impediret : debuit ergo Ecclesia illud eo modo restringere. Hinc ita pluries declaravit S. Congregatio apud Benedictum XIV. *de Synod.* l. xii. c. v. no 5 : ita etiam Pius VI. et card. Caprara.

Sed ut bene intelligatur ea restrictio, plura sunt advertenda. 1. Quando adiri non potest parochus, semper contrahendum est coram duobus testibus ; alioquin irritum esset matrimonium. Ita expresse declarat Pius VI. Lex impleri debet in ea parte qua potest. 2. Si recurri non possit ad parochum, vel ad sacerdotem a parocho vel ab ordinario delegatum, sed præsto adsit sacerdos alius catholicus, expedit ut ab eo benedictio recipiatur. Ita Pius VI. Ratio est quia illa benedictio est præcepta, potestque in eo casu eam quilibet sacerdos. Utrum vero illius præsentia requiratur sub pœna nullitatis, est satis ambiguum : clare non loquuntur auctores qui præsentem casum expendunt. 3. Si recursus ad proprium parochum sit impossibilis communitati, et tamen possibilis cuidam pri-

vato ob peculiares in quibus versatur circumstantias, non valeret illius matrimonium celebratum absque parocho. Nam exceptio habenda est tanquam individualis, ac proinde expendendæ sunt peculiares circumstantiæ in quibus unusquisque versatur. Attamen quando recursus impossibilis est communitati, præsumitur impossibilis privatis, nisi habeantur indicia contraria.

Dicitur 6° matrimonia clandestine inita *Ab iis qui pertinent ad hanc parochiam*, non vero *Inita in parochia*, quia existimamus in præsenti materia parochiam non spectandum esse materialiter et quoad territorium, sed spiritualiter, si ita loqui fas est, et quatenus efformatur ex congregatione hominum qui vivunt sub auctoritate rectoris. Scilicet quando decretum Concilii promulgatur in quadam Ecclesia parochiali, non putamus per illud attingi præcise territorium, adeo ut, eo mediante, decreto subjiciantur ii omnes et soli qui, in eo territorio quomodocumque versantes, volunt matrimonium ibi inire ; non attinguntur etiam præcise *cives* in urbe, oppido, aut vico commorantes ; ex iis enim non coalescit parochia : sed attinguntur *fideles* qui vivunt sub parochi regimine, sicque ad parochiam proprie pertinent. Id deducimus ex ipsa decreti natura seu objecto. Etenim præscribitur presentia proprii parochi : porro parochus non est proprius nisi quoad eos qui vere pertinent ad parochiam, eo sensu qui fusius exponetur in puncto sequenti.

190. Cæterum ut principium quod hic asserimus melius intelligatur, et solidius adhuc adstruatur, indicare juvat præcipuas illius applicationes, seu varias decisiones quæ ex eo principio sunt educendæ, aut quæ aliunde satis probatæ ipsum principium corroborant quatenus huic innixæ videntur.

Hinc 1° promulgatio decreti facta in parochia catholicorum non attingit *hæreticos* jam sub regimine pastoris sui in cœtum et societatem distinctam coadunatos, licet dispersi sint cum catholicis in eodem territorio. Hoc aperte sequi videtur ex intentione Concilii Tridentini. Ea fuit ex dictis, ut per necessitatem illius promulgationis intacta remanerent hæreticorum conjugia : atqui, nisi admittatur nostra assertio, scopum illum non

attigisset, cum in plerisque locis catholici permixti viverent cum hæreticis. Idem deduci potest ex decisione BENEDICTI XIV. *de Matrimoniis Hollandiæ*. Declarat enim, ut infra videbimus (n° 194), ibi valere matrimonia inter hæreticos inita, non valere autem inter catholicos. Porro ea declaratio innixa videtur principio allato: nam secunda pars decisionis evidenter supponit in Hollandia fuisse aliquando promulgatum decretum Concilii; ergo si illud decretum attingeret omnes qui versantur in territorio in quo promulgatur, irrita etiam fuissent matrimonia inter hæreticos.

Hinc 2° *qui recedunt e loco ubi viget lex Tridentina* non statim eximuntur ab ea lege, sed tantum quando per domicilium aut quasi-domicilium sufficiens possunt dici pertinere ad novam parochiam in qua eadem lex non viget. Illud ostendi potest ex decisionibus S. Congregationis. Pluries declaravit S. Congregatio Concilii irritum fore matrimonium eorum qui, domicilium habentes in loco in quo decretum est promulgatum, transeunt in locum in quo promulgatum non est, ibique nubunt omissa illa forma, nisi antea in eo loco domicilium aut quasi-domicilium acquisierint. Illa autem decisio niti videtur principio a nobis exposito. Nam vel nullitas deducitur ex eo principio, vel, ut volunt quidam, deducenda est ex intentione eludendi legem, quia nempe per illam intentionem constituitur fraus sufficiens ad irritandum matrimonium. Porro istud admitti non posse videtur. Etenim in iisdem decisionibus declaratur validum fore matrimonium, si acquisitum fuisset domicilium aut quasi-domicilium sufficiens sensu infra exponendo, licet contrahentes ita egissent ex intentione legem eludendi; ergo creditum non fuit sufficere illam intentionem ut quis dicatur egisse in fraudem legis.

Hinc 3° *qui adveniunt in locum ubi viget lex Tridentina* non statim huic legi subjiciuntur, nisi domicilium aut quasi-domicilium sufficiens acquisierint. De isto casu nulla exstat peculiaris decisio, eo quod satis raro occurrat: imo docent multi irritum fore matrimonium illius qui, domicilium habens in loco ubi decretum non est promulgatum, transiret in locum ubi est promulgatum, ibique nuberet non servata illius decreti forma.

Sed non ita sentiendum putamus. Nam ille de quo agitur, donec domicilium sufficiens acquisi sierit, est in impossibilitate legem servandi. Quomodo enim eam servare poterit? Numquid nubet coram pacho loci in quo versatur nunc? Verum, donec ibi acquisitum fuerit domicilium sufficiens, non est proprius illius parochus. Numquid coram parocho domicilii, seu potius de ipsius licentia? Verum ille non est ab Ecclesia deputatus ad assistendum matrimonio, cum in ejus parochia decretum non fuerit promulgatum: ergo ille extraneus nullo modo contrahere poterit. Ergo dicendum hunc legi non subjici.

Exinde intelligi potest, quamvis lex Tridentina sit e numero earum quæ dicuntur locales et aliunde respiciat formam actus, circa quam vulgo admittitur istud axioma: *Locus regit actum*, de ea tamen aliter ratiocinandum esse ac de legibus territorialibus. Ratio a priori est quia forma præscripta consistit in præsentia officiarii a lege determinati, scilicet proprii parochi; ille autem officiarius non nisi habita ratione domicilii vel quasi-domicilii contrahentium determinari potest, cum non sit vere proprius parochus nisi quoad eos qui in ipsius parochia habent domicilium sufficiens sensu infra exponendo: igitur mirum non est quod sequenda sit lex domicilii aut quasi domicilii, seu quod lex potius attingat personas quam territorium.

Quæst. 2. *An irrita sint nunc in Galliis matrimonia clandestina.*

191. Ex allata jam notione (n° 187), clandestina dicenda sunt matrimonia mere civilia. Porro nonnullos reperire est qui ea matrimonia ut valida agnoscant, aut saltem irrita in ratione contractus pronuntiare non audeant; sed diversis nituntur principiis. Alii non admittunt auctoritatem Ecclesiæ, aut non satis attendunt ad vim impedimenti dirimentis; et hi jam satis confutati. Alii existimant decretum. Tridentinum non fuisse promulgatum in Galliis tanquam decretum Concilii, ideoque olim irrita fuisse matrimonia clandestina, non vi Concilii, sed vi edictorum regiorum; quæ cum hodie non vigeant, concludunt valere ea matrimonia: isti nunc sunt confutandi. Sit itaque.

PROPOSITIO.—*Etciamnun irrita sunt in Galliis matrimonia a catholicis inita sine forma Concilii Tridentini, seu mere civilia.*

Prob. Ad demonstrandum irrita esse ea matrimonia, duo sufficiunt : 1° ut Concilii Tridentini decretum fuerit sufficienter promulgatum in Gallia ; 2° ut dici nequeat illud decretum desiisse obligare : atqui hæc duo constat.

I. Decretum fuit sufficienter promulgatum. Constant 1° *Ex Conciliis et synodis Galliarum.* Citari possunt Concilium Cameracense an. 1565 ; Remense an. 1583 ; Conventus Melodunensis an. 1579 ; Concilium Burdigalense an. 1583 et 1624 ; Turonense an. 1583 ; Bituricense an. 1584 ; Narbonense an. 1609 ; Aquense an. 1585. (*Vid.* P. M., n° 1201.) Hæc omnia Concilia non solum admittunt decretum Tridentinum, sed præcipiunt illius promulgationem, quam ideo rite factam fuisse dubitari nequit. 2° *Ex Ritualibus* variarum Galliæ diœcesium : nullum dubium ea de re relinquunt. Potuimus perlustrare libros Rituales sexaginta et amplius ecclesiarum (*vid.* P. M., n° 1202) ; hæc autem deprehendimus. 1. Omnes aut fere omnes irrita declarant matrimonia clandestina ex decreto Concilii Tridentini ; plerique nullatenus ellegant edicti regnum : qui autem ea allegant, vel dicunt tantum ea jussisse exsecutionem Concilii Tridentini, vel solum explicant ea quæ Concilio addiderunt, v. g. necessitatem quatuor testium. 2. Quindecim circiter præcipiunt parochis ut pluries in anno legant populis vulgari idiomate decretum Concilii Tridentini. 3. Quindecim circiter, præsertim inter recentiores, expresse testantur decretum illud fuisse promulgatum et receptum, vel in diœcesi sua, vel in tota Gallia. Ergo ex iis certismum est matrimonia clandestina habita fuisse ut irrita, tanquam in exsecutionem Concilii Tridentini ; quod, ex dictis, sufficit. 3° *Ex libris theologorum.* Quicumque de matrimonio scripserunt pronuntiant irrita esse matrimonia clandestina ; nituntur Concilio Tridentino, et, ut varias quæstiones de ea materia solvant, perpetuo ad illius decretum recurrunt : ergo manifeste supponunt apud nos esse receptum. Imo non

desunt qui expresse testentur illud fuisse in singulis parochiis promulgatum. 4° *Ex ipsimet edictis regiis.* Si attente inspiciantur, manifestum erit reges voluisse præcipere exsecutionem Concilii Tridentini. Afferre sufficiat edictum Lodovici XIV. an. 1697: sic legitur in proœmio: " Les SS. Conciles ayant prescrit, comme une des solennités *essentielles* au sacrement de mariage, la présence du propre curé de ceux qui contractent, les rois nos prédécesseurs ont autorisé par plusieurs ordonnances l'exécution d'un réglement si sage." Postea præcipit ut serventur SS. Conciliorum dispositiones.

II. Dici nequit decretum illud vim suam hodie amisisse. Non enim fuit auctoritate legitima abrogatum, nec in desuetudinem abiit. Nec dici potest impleri per celebrationem civilem; quamvis enim publica sit, huic deest præcise ea publicitas quam determinavit Ecclesia.

Dixi *Inita a Catholicis*, quia de hæreticorum matrimoniis agetur quæst, seq. (n$_o$ 195).

192. Scholium. *De matrimoniis initis tempore perturbationis Gallicæ.*

Ut judicium feratur de his matrimoniis, quæ inita fuerunt vel absque præsentia parochi, vel coram parocho schismatico, advertendum est 1° inter sacerdotes schismati adhærentes, alios fuisse *iutrusos*, qui nempe usurpaverant ex Constitutione civili auctoritatem quam antea non habeant; alios tantum, ut dicebatur, *juratos*, qui, cum antea auctoritatem haberent, juramentum juxta Constitutionem civilem emiserant. Inter priores computandi erant qui in aliqua ecclesia vicariorum munere fugentes, vel delegatam juridictionem obtinentes, ad hanc ecclesiam juxta formam schismaticæ Constitutionis electi erant tanquam parochi. Porro illud erat discrimen inter utrosque, quod *parochus intrusus* nullam auctoritatem prorsus haberet, ne titulum quidem coloratum; ac proinde illius præsentia nullam vim conferre poterat matrimonio: *parochus* autem *juratus* per suum juramentum non amiserat titulum; erat semper vere parochus, ac proinde matrimonium coram illo initum erat validum. Advertendum 2° illicitum fuisse matrimonium inire coram schismatico sacerdote *tanquam ministro religioso*, quia hæc erat communicatio in divinis, quam illicitam declaraverat Pius VI., quia positis circumstantiis quales erant, hæc fuisset vere schismatis participatio. Si autem sacerdos schismaticus assistebat matrimonio *ut officiarius civilis*, licitum erat coram eo se sistere ad obtinendum effectus civiles. Ita Pius VI., quia tunc non aderat communicatio in divinis. Ita etiam pluries declaratum fuerat S. Congregatione pro locis subjectis ditioni hæreticorum, et a Benedictio XIV., pro Catholicis regni Serviæ, *de Synod.*, l. vi., cap. vii., n$_o$ 2.

His præmissis, quando initum est matrimonium absque ullius sacerdotis præsentia, seu, quod in idem recidit, coram parocho intruso, vel pos-

sibilis erat recursus ad proprium parochum catholicum seu ad alium sacerdotem ab eo vel ab episcopo delegatum, vel non. In primo casu, matrimonium fuit invalidum, quia lex Concilii Tridentini, obligabat, quando poterat observari : ita pluries declaravit Pius VI. In secundo casu, quando nempe fideles *non poterant omnino parochum legitimum habere*, vel *nonnisi difficillime seu periculossime recurrere poterant*, tunc validam erat matrimonium, modo tamen initum esset coram duobus testibus, ut jam diximus, et quidem, quantum fieri poterat, catholicis. Dixi *Ad parochum catholicum*, quia si impossibilis fuisset recursus ad parochum vel ab eo delegatum qui schismati adhæserant, validum fuisset matrimonium initum coram duobus tantum testibus. Etenim, licet valide iniri potuisset coram iis, erat tamen illicitum ad eos recurrere ut diximus : porro illud merito habetur ut impossibile, quod absque peccato fieri nequit.

Quæst. 3. *An irrita sint matrimonia clandestina apud hæreticos.*

193. Quando expendimus (n° 139) an hæretici generatim teneantur impedimentis canonicis, monuimus adesse specialem difficultatem quoad impedimentum clandestinitatis. Porro facile ex dictis intelligitur hic agi tantum de locis in quibus promulgatum fuit decretum Concilii Tridentini : item de hæreticis qui degunt in societate ab Ecclesia prorsus separata ; demum versari dubium, non circa potestatem Ecclesia, sed tantum circa ejus voluntatem.

Duplex autem adest ea de re opinio.

Prima docet valida esse ea matrimonia. 1° *Ex praxi Ecclesiæ.* Affirmant multi auctores non exigere Ecclesiam, ut matrimonia sic inita convalidentur, nec eorum dissolutionem permittere, nec filios pro illegitimus habere. 2° *Ex mente Concilii Tridentini.* Ideo, ut vidimus, præscripta fuit promulgatio in singulis parochiis, ne omnia tollerentur hæreticorum matrimonia : ergo mens Concilii non fuit hæreticos per suum decretum attingere. 3° *Ex ratione.* 1. Lex de qua nunc agimus esset longe durior, cum Ecclesia censeretur dicere : *Aut convertimini, aut a matrimonio prorsus obstinete ;* quod videtur alienum a benignitate Ecclesiæ, quæ non ignorat quam difficilis sit multorum conversio, difficilior adhuc reddenda per talem severitatem. 2. Legis observatio habenda est pro hæreticis ut moraliter impossibilis ; tum quia incurrerent animadversionem propriorum ministrorum aut magistratuum ; tum quia

eorum matrimonia ab aliis ejusdem sectæ hominibus pro irritis haberentnr ; tum demum quia ab ipsis parochis catholicis non admitterentur. 3. Demum scopus decreti Tridentini, nempe publicitas, aliunde satis obtinetur.

Secunda opinio docet invalida esse talia matrimonia. 1° Ex auctoritate S. Congregationis Concilii, quæ, teste BENEDICTO XIV. *Quæst.* 234 et 589, semper sensit irrita esse matrimonia contracta coram ministro hæretico, in locis in quibus recptum est Concilium Tridentinum. 2° Lex Concilii est omnino generalis : ubicumque ergo promulgata est, eos omnes obligat qui subjiciuntur auctoritati Ecclesiæ, ac proinde hæreticos. Nec ulla adest ratio sufficiens eos eximendi ab ista lege, cum incommoda et difficultates, quæ incurrere possunt, ex eorum culpa et pertinacia oriantur.

Nobis autem distinguendum videtur. Vel agitur de regionibus ubi, tempore promulgationis Concilii, jam hæretici societatem quamdam efformabant cum suis parochiis distinctis, vel de iis in quibus nunquam efformaverunt, vel de iis in quibus nonnisi postea.

Si 1° valida videntur matrimonia, quia huc ducere videnter rationes prioris opinionis. Et revera iis saltem matrimoniis applicari debet argumentum deductum ex mente Ecclesiæ manifesta in Concilio Tridentino ; quæ alioquin esset omnino frustranea, cum fere ubique essent hæretici permixti cum catholicis. Pariter cum requireretur decreti promulgatio in singulis parochiis, licet peracta fuerit in parochiis catholicorum, non censetur peracta in parochiis hæreticorum de quibus agimus, quæ, etsi non semper territorio, moraliter saltem sunt ab iis diversæ. Ita ratiocinabatur PIUS VII. in epistola 27 junii 1805, directa ad imperatorem Napoleonem, occasione matrimonii ab ipsius fratre Hieronymo initi cum acatholica, Baltimori in fœderatæ Americæ provinciis (*Vid.* P. M., n° 1218).

Si 2°, satis inclinaremus pro invaliditate. 1. Ex auctoritate S. Congregationis. 2. Quia, si hæretici non habent parochias distinctas, jam decretum quod est omnino generale, est promulgatum quoad illos, ac proinde eos obligat.

Si 3°, cum jam ligati fuissent tempore promulgati-

onis, videri posset æquum non esse ut per suam rebellionem se subtrahere potuerint: ac proinde, quoad illos, primis saltem temporibus, ea supponi potest esse Ecclesiæ intentio ut eorum matrimonia sint invalida: quandiu amissa non est omnino spes eos ad Ecclesiam reducendi, jam prodesse illis poterit legis illius obligatio, nec dici potest certo et unice noxia futura. Sed postea in decursu temporum, non auderemus illud affirmare, et eodem modo ratiocinaremur ac in prima hypothesi.

Cæterum, cum solutio quæstionis multum pendeat a circumstantiis peculiaribus, pluris interest eam expendere quoad varias regiones, quam modo generali: nonnulla speciatim dicemus de matrimoniis Hollandiæ, et Protestantium in Gallia.

194. I. De matrimoniis Hollandiæ. Exstat decisio Benedicti XIV., data an. 1741, quæ videri posset nobis extranea, cujus tamen sensum investigare operæ pretium est. Si enim sit mera declaratio, seu interpretatio decreti Tridentini, et detegamus cuinam principio innixus sit Benedictus XIV., quotiescumque probari poteret cuidam difficultati idem principium applicari, exinde poterimus hujus difficultatis solutionem educere, non quidem tanquam decisione pontificia certam, sed tanquam pollentem ea certitudine qua constabit tale fuisse reipsa motivum Benedicti XIV., et illud motivum tali difficultati debere applicari. Igitur ducem sequendo ipsum Benedictum XIV., qui suam declarationem exposuit, *de Synod.* l. vi., c. vi, tria spectabimus: 1° tenorem declarationis; 2° illius naturam; 3° rationes quibus nititur: deinde videbimus an applicari possit aliis regionibus.

1. *Declarationis tenor.* Quatuor includit: 1° matrimonia in Hollandia *inter duos hæreticos* inita absque præsentia parochi, fuisse et fore valida, dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum; 2° matrimonia *inter unam partem hæreticam et alteram catholicam*, quamvis graviter illicita, esse tamen valida, si ineantur sine parochi præsentia; 3° eamdem decisionem extendendam non esse ad matrimonia *duorum catholicorum*, sed ea esse invalida; 4° quoad ea matrimonia, quæ *in catholicorum principium regionibus fiunt ab iis qui domicilium habent in provinciis fœderatis, vel in provinciis fœderatis ab iis quorum domicilium situm est in dominio principum catholicorum*, satisprovisum esse per canonici juris regulas jampridem constitutas, de iis qui relicta regione in qua domicilium habent, nec novo alibi domicilio vel quasi-domicilio acquisito, matrimonium ibi contrahere cupiunt.

II. *Declarationis natura.* Satis constat eam habendam non esse ut dispensationem concessam a S. Pontifice, qua eximantur hæretici a lege Concilii Tridentini: est tantum legis illius interpretatio authentica. Illud constat 1. ex eo quod non minus respiciat matrimonia ante inita quam quæ postea; 2. ex iis quæ peracta sunt in S. Congregationem Concilii, et ex modo quo eam exhibet Benedictus XIV.; 3. ex interpretatione Pii VII. in epistola supra indicata

III. *Quibus rationibus nitatur declaratio.* Ratio quarte decisionis ex ipsa enuntiatione satis innotescit. Ratio tertiæ est, quia constat decre-

tum Concilii fuisse promulgatum in peculiaribus catholicorum parochiis, saltem postquam illæ provinciæ ad hæreticorum dominationem transierunt. Ita Benedictus XIV., c. vi. et c. vii. nis 4 et 5. Ratio secundæ est, quod, cum conjugum alter, tum ratione loci in quo habitat, tum ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentinæ Synodi lege, exemptio qua ipse fruitur alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractus, vi cujus exemptio quæ uni ex paribus competit ad alteram extenditur eidemque communicatur. *Ibid.* c. vi. nº 12. Ratio tandem primæ non ita constat. Ait Benedictus XIV., nº 7, conformia fuisse consultorum suffragia, sed os variis innixos esse rationibus: neque indicat quanam præcise ipse motus fuerit. Unde id tantum per conjecturas deducere possumus. Porro 1º non fuit determinatus, ex eo quod non satis constaret promulgatum fuisse in Hollandia decretum Concilii Tridentini. Judicabat enim, ut ipse testatur, nº 2, valde verisimile esse promulgatum fuisse decretum, et saltem illi constabat fuisse promulgatum post defectionem illarum provinciarum, adeo ut irrita declaraverit matrimonia inter catholicos ibidem inita. 2º Nec magis motus est rationibus desumptis ex parte ipsorum hæreticorum, v. g. ex incommodis quibus per legis observationem exponerentur, ex eo quod nimis durum esset eos legi subjicere, etc. Nam quarta pars decreti, quæ distinguit inter loca et domicilia, satis indicat hic non agi de privilegio hæreticorum personali, et videtur supponere eos qui degunt sub ditione principum catholicorum, saltem ubi non efformant societatem distinctam, subjici decreto Concilii Tridentini. 3º Videtur ergo innixus in eo quod hæretici et catholici efformarent duas societates distinctas, adeo ut Concilium, licet ante divisionem promulgatum, non censeretur attingere societatem hæreticorum postea efformatam. Et hæc interpretatio omnio congruit Epistolæ Pii VII. supra indicatæ.

IV. Ex his deducere possumus, *An ea declaratio applicari possit aliis regionibus.* In se spectata, non respicit nisi matrimonia Hollandiæ, nec proinde potest proprie vim habere in aliis regionibus. Attamen, secundum ea quæ diximus initio quæstionis, per analogiam ex illa decisione arguere possumus quoad alias regiones sensu exposito, cum, ut vidimus, non dispensationem concesserit, sed meram decreti interpretationem ediderit, et aliunde satis probabiliter assequi possimus cuinam motivo innixius fuerit. Exinde ergo varia educere poterimus consectaria.

Unum est quod, ut pote magis generale et inconcussum, speciali annotatione dignum esse putamus. Scilicet ex secunda parte declarationis Benedicti XIV. quoad matrimonium inter unam parte catholicam, deduci potest generatim valere matrimonium, absque forma Concilii Tridentini initum, inter duas partes quarum una non subjicitur huic decreto: semper enim applicatur ratio quam affert Benedictus XIV., nempe quod *Exemptio, quæ uni ex partibus competit, ad alteram extenditur, eidemque communicatur.* Hinc in eo sensu respondit Clemens XII. archiepiscopo Mechliniensi, et Pius VII., in responsione jam citata, eidem principio innitebatur.

195. IIº De matrimoniis protestantium in Gallia.

Ad accuratam quæstionis hujus valde difficilis solutionem, triplex epocha est distinguenda.

I. *Ab Edicto Nannetensi an.* 1598, *ad revocationem an.* 1695. Matrimonia Protestantium habebantur ut valida, sive quia efformabant societatem religiosam

cum suis ministris et ecclesiis, in quibus non erat promulgatum decretum Tridentinum, sive quia aderat tacita saltem Ecclesiæ dispensatio, quæ approbabat facultatem datam protestantibus in articulis secretis Edicti Nannetensis. Hinc hæreticorum conversorum matrimonia non denuo celebrabantur.

II. *Post revocationem Edicti Nannetensis.* Matrimonia Protestantium inita alter quam præsente parocho generaliter habebantur ut irrita in utroque foro: propter rationes contrarias. Hinc quando sic nupti ad Ecclesia gremium redibant, ordinarie instaurabantur eorum matrimonia. Dixi *Generaliter*, quia in quibusdam locis Alsatiæ Protestantes semper habuerant parochias speciales, in quibus promulgatum non fuerat Concilium, nec proinde obligabat.

III. *Post edictum mensis novembris anni* 1787, *et deinceps.* In eo edicto, Ludovicus XVI. statuebat a catholicis liberum fore matrimonium inire vel coram parocho aut vicario, vel coram judice: sic autem ferebat art. 18: "Le dit curé ou vicaire, ou dit juge, déclarera aux parties au nom de la loi qu'elles sont unies en légitime et indissoluble mariage." Ea occasione, sic Regem alloquebatur cœtus cleri Gallicani an. 1788: "Sire, permetteznous de vous représenter avec la sainte liberté de l'apostolat, qu'il n'est donné à aucune puissance sur la terre d'obliger les pasteurs des âmes à déclarer que des hérétiques qui se marient sans aucun rit religieux, en vertu de la seule dispense de l'autorité séculière, contractent une alliance légitime, c'ést-à-dire, conforme à toutes les lois de l'Eglise et de l'Etat, tandis que le divin legislateur des chrétiens a institué un sacrement pour sanctifier leur union conjugale, que les canons défendent de séparer l'engagement civil des cérémonies sacrées, et que les Protestants reconnaissent eux-mêmes que le sceau de la religion est indispensable pour rendre licites les mariages: nous supplions même Votre Majesté d'approuver que les curés, vicaires et autres ecclésiastiques ne paraissent ni activement ni passivement dans ces sortes d'actes, quelque changement qui soit fait à la forme purposée." Nobis videtur noluisse clerum Gallicanum aggredi hanc quæstio-

nem, an illa matrimonia futura essent in se valida, necne.

Initio perturbationis Gallicæ, an. 1789 et 1790, proclamata fuit libertas absoluta cultuum; unde lex civilis, an. 1792, constituit officiarum civilem distinctum a parocho, ut coram illo matrimonia omnium absque ulla distinctione inirentur, sicque pro validis haberentur.

His præmissis, quæstio est quid hodie sentiendum de matrimoniis Protestantium. Interrogatus ea de re Card. Legatus respondit relationem factam esse Sedi Apostolicæ, illiusque judicium in re tanti momenti exspectandum esse. Interrogatus Pius VII. quæstionem dirimere noluit. Hinc duplex exorta est opinio.

Prima, quam plures sequuntur episcopi, stat pro invaliditate. Ratio est quod usque ad tempus perturbationis Gallicæ, vel saltem usque ad edictum anni 1787, Protestantes subjecti remanserunt legi Concilii Tridentini: porro ab ea eximi non potuerunt, sive per auctoritatem civilem, sive per obstinatam in hæresi et in sua contra Ecclesiam rebellione perseverantiam.

Secunda opinio, quam tuentur viri graves, stat pro validitate. 1° Protestantes in eumdem statum redierunt ac ante revocationem Edicti Nannetensis: porro tunc, ut vidimus, eorum matrimonia habebantur ut valida. 2° Huc ducere videtur decisio Benedicti XIV. circa matrimonia Hollandiæ: ubi enim eadem est ratio decidendi, eadem danda est decisio: porro hic eadem est ratio, ut facile intelligetur, si conferantur ea quæ supra diximus cum statu hodierno Protestantium in Gallia. 3° Ex principiis jam expositis. Visum est valida esse matrimonia hæreticorum in locis in quibus efformant societatem omnino distinctam, saltem quando omnino consummata et perfecta est separatio: porro talis est status Protestantium in Gallia.

Talia sunt præcipua utriusque partis momenta: si absolute eligendum esset, satis inclinaremus pro validitate eorum matrimoniorum: si autem admittatur hæc opinio, decisio extendenda erit ad matrimonium inter unam partem catholicam, et alteram hæreticam: id nobis evidenter deduci videtur ex art. ii. Declarationis

Benedicti XIV. de matrimoniis Hollandiæ, et ratione qua nititur : nulla assignari potest disparitas.

Cæterum in praxi, quando hæretici convertuntur, permitti nequit ut matrimonium dissolvant, et aliud ineant, non solum ratione dubii, sed ratione legis civilis quæ prius matrimonium agnoscit ut validum. Attamen curandum est, quando id fieri potest, ut matrimonium renovetur coram parocho et testibus, et benedictio recipiatur, tum ut tollatur omne dubium, tum ne careant gratia benedictioni annexa : sed si illud obtinendum non speretur, caute agendum est, et consulendi superiores, quia aliquando satius esset, etiamsi quis putaret matrimonium esse irritum, relinquere partes in bona fide.

PUNCT. 2. *Quid requiratur ut matrimonium non sit clandestinum.*

196. Quinque hic expendenda occurrunt : 1° quænam præsentia parochi requiratur ; 2° quis sit proprius parochus, cujus præsentia requiritur ; 3° quænam debeant esse illius dotes, ut possit matrimonio assistere ; 4° a quo suppleri possit ; 5° quot et quales debeant esse testes. De his totidem quæstionibus agemus.

QUÆST. 1.—*Qualis præsentia parochi requiratur.*

197. Melius id determinari nequit, quam recurrendo ad historiam decreti illius in Concilio lati. Postulaverunt Galli ut irrita redderentur matrimonia non inita coram sacerdote et tribus testibus : cum tamen exinde nimium coarctari videretur matrimonii libertas, in tribus primis decreti redactionibus nulla fiebat mentio sacerdotis, sed tantum trium testium. Verum visum est non satis esse tres viros quoscumque, sed quærendum stabilem testem ; deliberatum de scriba, vel parocho, et judicatum est quod, si exigeretur parochi præsentia, multo facilius impedirentur matrimonia inter ligatos aliquo impedimento, et certius constaret de celebrato matrimonio. Postulaverunt tunc oratores Galli ut parochus *præesset* matrimonio : sed noluerunt Patres eam vocem adhibere quæ sonabat plus quam testis præsentiam, et condiderunt decretum quale nunc exstat. Igitur.

Ex mente Concilii Tridentini requiritur præsentia parochi, non tanquam ministri sacramenti, sed tanquam testis principalis ab Ecclesia deputati, seu, ut loquitur BENEDICTUS XVI. *de Synod.* l. xiii. c. xiii.

n° 6, tanquam testis authorizabilis pro Ecclesia, per quem nempe Ecclesiæ constet de inito matrimonio.

Hinc 1° valet matrimonium, licet sacerdos non conferat *benedictionem nuptialem:* Concilium eam præcipit quidem, sed non eam exigit ad validitatem contractus.

Olim quidem in Gallia non pauci jurisperiti putabant benedictionem requiri ad validitatem matrimonii vi edictorum regiorum, quæ eam exigebant. Verum plerique theologi et non pauci etiam jurisperiti, aliter sentiebant. Quidquid olim fuerit, nulla hodie remanere potest difficultas.

Hinc 2° non sufficit præsentia *physica* parochi, sed requiritur præsentia *moralis*, id est, ut videat et audiat contrahentes: alioquin non poterit parochus testem agere coram Ecclesia, ut patet. Et ita decidit S. Congregatio, cum ea tamen restrictione, *nisi affectasset non intelligere:* id est, si parochus ipse sibi causa fuit cur non videret et audiret, quia vel aures sibi obstruxit, vel faciem velavit, validum erit matrimonium; quia æquum non est ut ab arbitrio factoque parochi pendeat matrimonii libertatem impedire. Aliunde matrimonia sic inita satis publica evadent. Ita Benedictus XIV.

Ad præsentiam autem moralem requiritur ut parochus *interpelletur* et moneatur de eo quod agere volunt contrahentes, seu, ut loquuntur auctores, ut *sit adhibitus.* Ita declaravit S. Congregatio. Ratio est, quia alioquin parochus non censetur advertere illud quod fit, nec judicare potest eos qui sic agunt velle serio agere.

Sed etiamsi parochus fuisset sub alio prætextu vocatus, validum nihilominus foret matrimonium, modo antea moneretur accersitum eum quidem fuisse alio nomine, revera autem ut matrimonii celebrationi assisteret. Item, licet non fuisset vocatus, si, fortuito præsens, interpellaretur.

Imo valeret matrimonium, licet parochus non adesset nisi *invitus et coactus.* Ita declaravit S. Congregatio, et admittunt communiter auctores: etiam in illo casu verificatur illius præsentia, et fidem facere potest Ecclesiæ vere coram se celebratum fuisse matrimonium.

Hinc 3° valet matrimonium celebratum a parocho, etiam *in aliena parochia*, quia non est proprie actus jurisdictionis, aut ad summum non nisi jurisdictionis voluntariæ. Ita declaravit S. Congregatio Concilii. Attamen postulat bonus ordo ut parochus matrimonio non conjungat suos subditos in aliena parochia, sine consensu parochi aut episcopi loci.

Quæst. 2. *Quis sit proprius parochus in ordine ad matrimonium.*

198. Apud omnes constat, ut valide ineatur matrimonium, requiri præsentiam illius qui in decreto Concilii Tridentini, ubi de bannorum proclamationibus, dicitur proprius contrahentium parochus. Hinc *ibid.* sic statuitur: " Si quis parochus, vel alius sacerdos... alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure suspensus maneat..." Testantur varii auctores, et pleraque Ritualia, hanc Concillii dispositionem fuisse in Galliis receptam.

Magni igitur interest cognoscere quisnam sit proprius parochus in ordine ad matrimonium. Exponemus primum quid statuendum ex jure communi ; postea expensuri quid ex disciplina ecclesiæ Gallicanæ.

1°. Attento jure communi, hæc statui potest.

Assertio. — *Proprius parochus in ordine ad matrimonii validitatem est parochus domicilii, vel quasi-domicilii, vel simplicis habitationis ; non parochus originis, vel qualiscumque loci per quem simpliciter transeunt contrahentes.*

Prob. et explicatur per partes. I. Dicitur *Parochus domicilii.* Domicilium dicitur locus in quo quis versatur cum intentione perpetuo manendi. Igitur domicilium non acquiritur ullo tempore ab eo qui habet intentionem discedendi ; dum contra statim, absque ullo temporis intervallo, acquiritur ab eo qui vult perpetuo permanere : illud omnino dicendum esse secundum leges et canones expresse docet Fagnanus. Sed requiritur ut illa voluntas facto aliquod sensibili manifestetur : qale autem debeat esse illud factum, multum

pendet ex circumstantiis. Porro parochum domicilii esse proprium parochum in ordine ad matrimonium, constat ex unanimi scriptorum opinione, et ex S. Congregationis decisione, teste BENEDICTO XIV, *instit.* xxxiii. n° 6.

Sed quædam annotanda sunt.

1° Si quis habeat *duo domicilia* in diversis parochiis, potest matrimonium inire coram alterutro parocho, quia vere habet duplicem parochiam. Sed tunc solum duobus domiciliis instructus aliquis jure appellatur cum in utroque æqualiter collocatus, prudentium virorum judicio, existimatur : quod non mathematice, sed moraliter sumendum observant auctores.

2° Si partes sin *diversæ parochiæ*, non requiritur præsentia utriusque parochi, sed sufficit præsentia unius, quia Concilium non exigit præsentiam parochorum. Ita declaravit etiam S. Congregatio. Imo potest parochus sponsi assistere in parochia sponsæ, et vice versa. Sed notant auctores parochum qui assistit debere, ut licite omnia fiant, habere consensum alterius parochi. Usus invaluit ut matrimonium celebretur a parocho sponsæ in sua parochia, quia decet, juxta S. AMBROSIUM, ut quæ nubit *expetita magis videatur a viro, quam ipsa virum expetisse.*

199. II. Dicitur *Parochus quasi-domicilii.* Quasi-domicilium, quatenus medium tenet inter domicilium et simplicem habitationem, est locus in quo quis versatur cum intentione ibi manendi, non quidem perpetuo, sed per tempus notabile, v. g. per majorem anni partem. Si quis habeat hanc intentionem, eamque facto externo sufficienter manifestet, videtur statim acquirere quasi-domicilium. Porro post concilii Tridentini decretum magna aderat controversia circa parochum quasi-domicilii ; imo plerique existimasse videntur necessario recurrendum esse ad parochum domicilii : sed observatum est locum fore nimiis difficultatibus, si id exigeretur ; unde jam satis receptum est sufficere, saltem generaliter loquendo, parochum quasi-domicilii : quod videtur intelligi in eo sensu quod non ideo excludatur parochus domicilii ; adeo ut liberum sit coram alterutro matrimonium inire. Ita supponit BENEDICTUS XIV. *Instit.* xxxiii. et Constit.

Paucis abhinc hebdomadis, Bullar. t. iv. Hinc juxta plura Congregationum Romanarum responsa quæ *ibid.* proferuntur, qui alicubi degunt muneris implemendi causa, vel ad pœnam in carcere luendam, vel ad educationem recipiendam, aut famulatum exercendum, possunt matrimonium inire coram parocho illius loci.

Diximus *Saltem generaliter loquendo*, 1° quia etsi videatur quasi-domicilium posse statim acquiri ex intentione satis manifestata, non constat an statim iniri possit matrimonium: auctores passim supponunt requiri ut saltem præcesserit aliquod habitationis tempus. 2° Benedictus XIV. *Instit. cit.*, dicere videtur non admitti parochum quasi-domicilii, nisi propter difficultatem adeundi parochum domicilii, ideoque non admittendum esse, si nulla interveniat difficultas, v. g. si domicilium et quasi-domicilium in eadem civitate habeantur. Sed in eo casu recursum ad parochum domicilii necessarium esse tantum ad bonum ordinem, non autem ad matrimonii validitatem deduci poterit ex iis quæ dicemus de parocho simplicis habitationis.

200. III. Dicitur *Parochus simplicis habitationis.* Intelligimus per simplicem habitationem, quatenus distinguitur a quasi-domicilio, quando non adest quidem intentio commorandi etiam per majorem anni partem, sed de facto quis commoratur per tempus satis notabile, id est, per spatium saltem unius mensis: nec sufficiet intentio sola, nisi reipsa adfuerit habitatio. Jam vero coram parocho talis habitationis iniri posse matrimonium indicat decisio S. Congregationis, quam refert Fagnanus: "Cum vir et mulier Trajectenses, timentes impedimentum a parocho, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. Congregatio consulta super validitate, censuit exprimendum tempus quo contrahentes Aquisgranæ manserunt: quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate, alias de novo referendum in Congregatione." Eam decisionem refert etiam Benedictus XIV. in *Const. cit.*, ubi hanc regulam tradit ad judicandum de validitate matrimonii, "Quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium cele-

bratur." Eamdem decisionem pluries a S. Congregatione datam videmus.

201. IV. Dicitur *Non parochus originis.* Parochus originis ille dicitur in cujus parochia quis natus est, modo non casu et per accidens ibi natus sit: si enim parentes illius alibi domicilium habebant, et ibi nonnisi transitorie versabantur, censetur natus in domicilio parentum: ita communiter auctores. Porro ubi agitur de matrimonio, attendendum non est ad parochum originis: ut enim ait BENEDICTUS XIV. *Instit.* xxxiii. n° 6, sacri canones, cum nomine proprii parochi parochum quoque originis complecti voluerunt, id expresse declararunt, quemadmodum contigit cum de sacra ordinatione sermo haberetur. Unde omnes auctores agnoscunt proprium parochum quoad matrimonium non esse parochum originis.

202. V. Dicitur *Non parochus qualiscumque loci per quem simpliciter transeunt contrahentes.* Etenim, quando aliquis domicilium aut quasi-domicilium fixum habet, non sufficit simplex illius præsentia omnino transitoria in alio loco, ut fiat parochianus istius loci in ordine ad matrimonium, prout pluries declaravit S. Congregatio, et intelligitur ex dictis.

203. Dicimus *Quando aliquis domicilium*, etc., quia si agatur *de matrimonio vagorum*, quo nomine illi intelliguntur qui non habent domicilium, aut quasi-domicilium, sed hinc inde vagantur, hæc statui possunt.

1° Proprius parochus vagorum ille est in cujus nunc ditione versantur. Ita BENEDICTUS XIV. *Instit.* xxxiii. n° 10, et alii auctores, ut videtur, satis communiter. Ratio est, quod debeant habere aliquem parochum, quando recipere debent sacramenta: porro nulli competit ille titulis quoad illos, nisi illi in cujus parochia versantur.

Hinc 1. si unus tantum sit vagus, poterit in parochia in qua versatur contrahere etiam cum incola alterius parochiæ. Ita clare supponit BENEDICTUS XIV. *loc. cit.*; idem docent alii, quia ex jam dictis sufficit præsentia parochi unius e contrahentibus: porro hic vere adest parochus vagi.

Hinc 2. non potest parochus matrimonio vagorum in aliena parochia assistere, quia nullum omnino titu-

lum habet, cum desit habitatio transitoria quæ quoad vagos supplet vicem domicilii.

2° Parochus tamen debet, antequam vagos conjungat, inquisitionem diligentem facere, et rem ad ordinarium deferre : Concilium enim Tridentinum, *sess.* xxiv. *cap.* vii. *de Reform Matrim.*, " Parochis præcipit ne illorum (vagorum) matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem facerint et, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint." Plerumque indicant Ritualia quomodo facienda sit illa inquisitio : inquirendum præsertim an sit baptizati, an catholici, an liberi quoad matrimonium, sive quod nondum nupti fuerint, sive quod, si nupti fuerint, constet de morte prioris conjugis. Parochus qui præscripta negligeret, peccaret graviter, juxta omnes auctores, quia violaret præceptum Concilii in re gravissima.

3° Si parochus negligat rem ad episcopum referre, nihilominus valet matrimonium. Ita Benedictus XIV. *Quæst.* 182, et est sententia magis communis. Ratio est quod parochus vagorum, ut vidimus, sit parochus loci in quo nunc versantur, non vero episcopus per exclusionem parochi : ideo tantum præcipitur ut res ad istum referatur, quia sic melius fiet inquisitio et prudentius procedetur ; sed illud non præcipitur sub pœna nullitatis.

204.—II° Ex disciplina Ecclesiæ Gallicanæ. Olim ex edicto an. 1697, quod in praxi et in Ritualibus receptum fuerat, quando nupturi mutaverant domicilium, nec jam a sex mensibus, si ex alia ejusdem diœcesis parochia venirent, vel ab anno integro, si ex alia diœcesi, fuerant commorati in novo domicilio aut quasi-domicilio, non poterat celebrari matrimonium coram parocho novæ hujus habitationis sine consensu parochi pristini domicilii ; qui cæterum datus censebatur quando ibi banna promulgata fuerant. Illudque in eo sensu multi intelligebant, quod irritum foret matrimonium celebratum ante tempus assignatum, quia potuerat lex et consuetudo determinare domicilium necessarium pro executione decreti Tridentini : quod tamen quidam non eo usque urgendum esse putabant.

Hodie abrogatis edictis regiis, difficultas est an adhuc

stare censeri debeat prisca Ecclesiæ Gallicanæ disciplina, an vero pure et simpliciter recurrendum sit ad jus commune ?—Illud videtur regulariter pertinere ad determinationem cujuslibet episcopi in sua diœcesi. Etenim 1° si attendamus ad *disciplinam antiquam Ecclesiæ Gallicanæ*, hanc disciplinam, præsertim in se satis dubiam, interpretari potest profecto episcopus pro sua diœcesi, imo et eam moderari. 2° *Si ad jus commune*, hæc observari possunt. Episcopus est proprius parochus cunctorum suorum diœcesanorum, seu iis conferre potest licentiam matrimonium celebrandi coram quocumque sacerdote ; igitur, quando determinat hunc aut illum esse proprium parochum, modo illud determinet erga suos diœcesanos tantum, nulla potest esse difficultas, quia, esto quod talis non esset ex jure communi, illi sufficiet auctoritas episcopi : loquimur autem tantum de diœcesanis, quia si illi qui veniunt ab alia diœcesi modum sint subditi parochi in cujus parochi nunc degunt, non magis erunt subditi episcopi, qui proinde non poterit eis assignare parochum. Sed episcopus irritum non potest efficere matrimonium jure communi validum ; igitur, quando determinabit hunc aut illum non esse proprium parochum, si talis sit ex jure communi,peccabit quidem ille matrimonium celebrans contra interdictum sui episcopi, sed nihilominus validum erit matrimonium.

Jam vero quidam episcopi vel nihil de novo præscripserunt, vel easdem posuerunt regulas quæ olim servabantur : quidam per sua statuta jus olim Galliæ peculiare abrogarunt, aut abrogatum declaraverunt : quidam redeundo generatim ad jus commune varias tamen modificationes attulerunt, aut retinuerunt : non pauci demum simpliciter admiserunt dispositiones Codicis civilis circa domicilium matrimoniale, de quibus infra (n° 322), ideoque exigunt habitationem sex mensium, et nihil amplius, etiamsi contrahentes veniant ex altera diœcesi. Non videtur ergo afferri posse regula generalis.

Unde quoad praxim, hæc generatim observanda putamus. 1. Quando agitur de matrimonio celebrando, nimiæ vix adhibere possunt cautiones : multo satius est in iis ultra necessitatis limites progredi, quam citra

remanere. 2. In singulis diœcesibus, standum est sive episcoporum statutis, sive consuetudini vigenti. 3. Multæ præcavebuntur difficultates, si accurate difficultates, si accurate serventur, prout profecto servanda sunt, quæ præscribuntur ubique circa promulgationem bannorum sæpe in pluribus locis faciendam. 4. In casibus dubiis, recurrendum est ad episcopum, qui sæpe, ex dictis, dubium tollere auctoritate sua poterit.

Cæterum cum ad matrimonium admitti non debeat qui non nupsit civiliter, ideo dispositio legis civilis vim quamdam indirecte obtinebit, etiam in ordine ecclesiastico.

QUÆST. 3.—*Quænam esse debeant dotes parochi ut possit matrimonio assistere.*

205. Præcipuæ difficultates paucis solvemus.

I. *De parocho non sacerdote.* 1° Matrimonium coram illo initum valebit in ratione contractus, quia satisfit Concilio Tridentino; sed non valebit in ratione sacramenti, in sententia quæ tenet sacerdotem esse ministrum.

2° Ille tenetur delegare sacerdotem, quia ipse dare nequit benedictionem quam Concilium vocat sacerdotalem.

Cæterum apud nos quæstioni locus non est, cum nullas sit parochus qui non sit sacerdos.

206. II. *De parocho excommunicato, aut suspenso.* Si parochus sit toleratus, seu non denuntiatus, nulla est difficultas, cum jurisdictionem non amiserit. Si vero non sit toleratus, res non est adeo clara, quia amisit jurisdictionem. Attamen hæc statui possunt.

1° *Potest valide assistere matrimonio.* Etenim remanet vere parochus, quia excommunicatio ipsum nec titulo, nec possessione suæ parochiæ privat. Aliunde illa assistentia non est actus jurisdictionis, cum parochus gerat solummodo munus testis: illudque exinde satis patet, quod valeat, ex dictis (n° 197), matrimonium initum coram eo licet invito; cum tamen nemo exerceat jurisdictionem invitus. Demum hæc opinio confirmata fuit decisione S. Congregationis, data post diligens examen, teste FAGNANO.

Peccat tamen parochus, quia communicat in sacris cum fidelibus; quod ipsi prohibetur, saltem extra casum necessitatis.

2° *Potest valide dare benedictionem nuptialem.* Si enim sit forma sacramenti, est actus meri ordinis, et nihil ostendit requiri essentialiter jurisdictionem; si sit mera cæremonia, nihil probat Ecclesiam voluisse adimere excommunicato facultatem hanc administrandi: unde itera la non erit illa benedictio.

Attamen graviter peccat sacerdos contra prohibitionem Ecclesiæ. Imo, juxta communem sententiam, incurrit irregularitatem, quia illud ministerium est proprium sacerdotis, ratione sui ordinis, cum exerceri non possit nisi a sacerdote, ut constat ex ritu præscripto ad illam benedictionem, ex usu communi Ecclesiæ, et ex variis dispositionibus Juris.

3° *Potest dare alteri licentiam assistendi.* Etenim ea licentia non est actus jurisdictionis; est mera personæ designatio, qua posita, jus ipsum

seu Concilium tribuit facultatem assistendi matrimonio : cum ipsa assistentia non sit actus jurisdictionis, nec pariter licentia quæ conceditur. Unde non tantum valide, sed etiam licite potest hæc licentia dari a parocho excommunicato ; datur enim ob utilitatem, imo et necessitatem contrahentium.

207. III. *De sacerdote cui interdictum est ne matrimonio assistat.* 1° Si latum sit illud interdictum *a S. Pontifice*, cum ipse possit impedimentum dirimens statuere, matrimonium irritum erit, si interdictum sit munitum decreto irritanti ; secus vero, si adsit simplex interdictum. Ita BENEDICTUS XIV., *de Synod.* l. xii. c. v. n° 3.

2° *Si ab episcopo*, vel agitur de parocho, vel de simplici sacerdote. *Si agatur de parocho*, valebit nihilominus matrimonium. Ita definivit S. Congregatio. Etenim, non obstante illo interdicto, semper remanet parochus, ac proinde nihil deest ut valeat matrimonium ex Concilii Tridentino. Episcopus autem jus non habet statuendi impedimenta dirimentia. Illudque locum haberet, etiamsi ille parochus esset ad nutum episcopi amovibilis, quales sunt hodie illi qui vulgo dicuntur *Desservants ;* nisi tamen episcopus eum revocaret. Si agatur de *simplici sacerdote*, qui habebat tantummodo licentiam assistendi matrimonio, vel eam habebat ab episcopo, vel a parocho : in priori causa, nulla erit difficultas, semel revocata licentia ; in posteriori, nobis videtur sequi ex antea dictis quod, quandiu parochus servant suum titulum, episcopus non possit impedire quin valide alteri conferat licentiam assistendi matrimonio.

208. IV. *De parocho intruso.* In præsenti quæstione, duo præsertim attenduntur : error communis, et titulis coloratus. Error communis adest, quando quis communiter habetur ut parochus, quamvis revera non sit. Per titulum coloratum vulgo intelligitur titulus collatus a legitimo superiore, qui ex natura sua aptus est ad conferendam potestatem, sed reipsa non confert ob vitium quoddam occultum. Possunt hæc duo simul concurrere, sed aliquando non concurrunt.

1° *Si nec adsit titulus coloratus, nec error communis*, certum est invalidum esse matrimonium, quia ille revera parochus non est.

2° *Si concurrat error communis cum titulo colorato*, sententia communis est validum esse matrimonium. In eo enim casu Ecclesia supplet quod deest, ut desumitur tum ex jure canonico dispositiones juris civilis ea de re approbante, tum ex communi doctorum testimonio : illudque omnino æquitati consentaneum est, propter bonum fidelium, ut facile intelligitur.

3° *Si adsit tantum titulus coloratus sine errore communi*, nulla videtur difficultas ; tunc enim bonum fidelium non exigit ut Ecclesia suppleat quod deest : ac proinde irritum esset matrimonium.

4° Demum *si adsit error communis sine tituli colorato*, quidam existimant valere matrimonium, propter bonum spiritualem fidelium. Alii tamen id negant, et quidem communiter. Nullibi in Jure confertur potestas pro eo casu ; semper supponitur adesse titulum. Ratio esse potest, quod ille de quo agitur nullo modo, ne apperenter quidem, dici possit parochus ; igitur, si ut talis communiter habeatur, id tribuendum imprudentiæ fidelium, qui non debent aliquem ut parochum habere nisi habeat titulum, saltem apparentem : insuper si in eo casu conferretur potestas, daretur occasio indignis se ingerendi in officiis ecclesiasticis, unde innumere orientur mala.

Quæst. 4.—*A quo suppleri possit parochus quod matrimonium celebrandum.*

209. De tribus moveri potest quæstio : 1° de ordinario ; 2° generatim de delegato ; 3° de vicario.

I. *De ordinario.* Eo nomine intelligitur episcopus : item vicarii generales, sive episcopi, sive capituli, sed vacante.

1° *Potest ordinarius matrimonio assistere.* Constat, licet quidam in dubium revocaverint. 1. Episcopus est proprius sacerdos, seu parochus respectu suorum diœcesanorum, ut alibi probatur. 2. Ex Concilio Tridentino potest alium sacerdotem committere ad celebrandum matrimonium : satis ergo mirum esset quod non posset ipse celebrare ; tunc plus juris in alium transferret quam ipse haberet, contra axioma Juris. 3. Clerus Gallicanus, in comitiis generalibus anni 1655, illud

diserte declaravit. 4. Hæc est disciplina ubique recepta, solummodo, quando episcopus matrimonium celebrat, ordinarie adest parochus cum stola; sed tunc adest non tam ut parochus, quam honoris causa, et ut matrimonium registro inscribat. Ita *Collat. Parisiensis.*

2° *Potest episcopus, inconsulto, aut etiam invito parocho, alium sacerdotem delegare.* Nulla potest etiam esse difficultas: episcopus, ex dictis, jus suum habet ex Concilio Tridentino, independenter a parocho; est illius superior, nec proinde tenetur consilium ejus exquirere aut sequi. Hinc ita declaravit etiam Clerus Gallicanus, *ubi supra.*

Equidem ordinarie non expedit ut episcopus illo jure utatur; tum propter bonum pacis, tum quia facile decipi posset a contrahentibus, qui illi minus bene plerumque noti sunt quam parocho. Attamen aliquando opportunum, imo et necessarium esse potest: v. g. si parochus injuste renuat matrimonium celebrare.

210. II. *De delegato generatim.* Plura hic possunt investigari.

1° *Quinam possint delegare? R.* 1° Parochus; 2° ordinarius, ex modo dictis; 3° imo et qui ipse accepit licentiam assistendi matrimonio, nisi ex circumstantiis appareat favorem ipsi concessum esse prorsus personalem, v. g. quia est cognatus contrahentium.

2° *Quis delegari possit? R.* Solus sacerdos: ita exigit Concilium Tridentinum, et ita a S. Congregatione pluries declaratum fuisse referunt auctores. Nec obstat quod ex dictis (n° 205) valeat matrimonium coram parocho non sacerdote: parochus enim a suo titulo habet quod sit testis *authorizabilis;* idem autem alteri mere delegato non competit.

211. 3° *Qualis debeat esse delegatio? R.* Debet esse 1. *expressa;* scilicet per exclusionem tum *ratihabitionis speratæ*, quia aliud est dare licentiam faciendi, aliud ratihabere quod factum est; tum *consensus præsumpti*, quia aliud est quod data sit licentia, aliud quod in tali hypothesi data fuisset; tum denique *meræ tolerantiæ*, quia tolerantia instar veræ licentiæ haberi nequit, nisi aliud manifeste ostendant circumstantiæ: alias locus facile daretur multis abusibus.

Quid vero, si licentia generatim detur pro administratione sacramentorum, vel ad supplendam per aliquod tempus parochi vicem, etc., nulla facta speciali mentione matrimonii? Videtur illud multum pendere ex circumstantiis, ex quibus colligetur quænam fuerit intentio parochi: si enim v. g. parochus præsens, vel ad modicum tempus absens, concedat hanc licentiam, ea non censebitur extendi ad matrimonium: secus vero, si diu abesse debeat, quia sæpe matrimonium non posset absque incommodo differri ad tam longum tempus. Cæterum multo tutius est in omnibus casibus ut parochus mentem suum clare aperiat, vel ut recurratur ad episcopum qui omnem difficultatem tollet.

2. Delegatio debet esse *intimata* delegato, et quidem cura et diligentia delegantis: antea enim censetur esse merum propositum, quemadmodum ubi agitur de donatione aut aliis contractibus. Unde si voluntas delegandi innotuerit alteri alia via quam ex delegantis intentione, nil peractum censetur: a fortiori, si nondum ipsi innotuerit.

3. Licentia debet esse ab utente *acceptata;* quia requiritur ut sacerdos agat ex vigore licentiæ sibi concessæ; quod locum non habet, nisi delegationem acceptet.

4. Demum requiritur ut licentia non fuerit *revocata.* Quandiu per actum non est matrimonium, revocari potest licentia; et, si revocatio sacerdoti fuerit intimata, irritum erit matrimonium coram ipso celebratum. Sed si revocatio nondum innotuerit, validum erit; quia per quascumque causas res nascatur, per easdem debet dissolvi. Aliunde adest hic quodam modo titulus coloratus cum errore communi.

212. 4o. *Quousque extendatur delegatio? R.* Si parochus, concedendo licentiam assistendi matrimonio, illam restringat ad ecclesiam parochialem, vel alium locum suæ parochiæ, certum est delegatum non posse valide alibi assistere; quia sicut parochus potest dare licentiam assistendi, ita potest eam dare restrictam. Si vero ea restrictio non fuerit apposita, docent auctores posse illum sacerdotem assistere matrimonio extra parochiam concedentis: quia Concilium Tridentinum exigit tantum assistentiam sacerdotis, de licentia pa-

rochi, et nihil decernit de loco. Insuper assistentia matrimonio non est actus jurisdictionis, ut jam vidimus ; pariter licentia non est proprie dicta delegatio : ergo nulla est ratio cur exerceri non possit extra territorium parochi.

Quid vero, si episcopus aut parochus concedant sacerdoti licentiam assistendi matrimonio, præmissis tamen denuntiationibus, et inquisitione de impedimentis : valebit ne matrimonium, si sacerdos hæc omittat ? Affirmant multi, quia non censetur præscribi est forma nisi ad normam juris communis. Attamen, cum ex alia parte videri possit non præsumendum esse aliquid supervacaneum addi commissioni, forsan dici posset e contrario apponi strictum conditionem. Illud pendet ab intentione concedentis ; quæ ideo diligenter investiganda est.

213. III. *De vicario.* Vicarii jurisdictionem suam apud nos accipiunt ab episcopo, qui potest vel eis per seipsum absolute conferre jus assistendi matrimonio, ita ut speciali ad hoc parochi delegatione non indigeant ; vel illud conferre quidem, sed ita dependenter a parocho, ut ipse possit restringere, vel limitare ; vel demum absolute relinquere parocho curam et libertatem delegandi vel non, et talem vel talem vicarium designandi ad quem illa functio pertineat : pro variis illis hypothesibus, facile intelligitur diversas dari debere decisiones ; sed stando iis quæ magis communiter recepta videntur, hæc statui possunt.

1° Vicarius potest assistere matrimonio, saltem parochianorum, et quando celebratur in parochia. Ratio est, quia parochi vices gerit, eumque repræsentat.

Dicitur *Saltem parochianorum, et quando celebratur in parochia*, quia, juxta quosdam, delegatio vicario concessa ultra non extenditur. Aliter tamen sentiunt multi, ut deduci potest ex modo dictis (n° 212).

2° Vicarius potest etiam alium sacerdotem committere ad celebrandum matrimonium, saltem in parochia. Ratio est, quia ex jure delegatus ad universalitatem causarum potest, generatim saltem loquendo, subdelegare ad casum specialem : videtur ita consuetudine receptum esse ; ita etiam declarant ad tollendum

omnem difficultatem, plura Ritualia vel Statuta synodalia.

Dicitur *Saltem in parochia*, quia plures docent non posse aliter ; et nituntur declaratione S. Congregationis quam afferri dicunt a Fagnano ; sed nihil tale in loco citato legitur ; contra, quamvis expresse non agat Fagnanus de illa quæstione, principia ponit ex quibus sequitur aliter sentiendum esse ; docet enim hic non adesse actum jurisdictionis, nec delegationem proprie dictam ; ergo nulla est ratio restringendi ad territorium parochiæ.

214. Scholium.— Cum, ex una parte, finis Concilii Tridentini fuerit præcipue ut constaret de matrimonio, et ex altera communiter ad proprium parochum recurrendum sit, quando hujus testimonium certum obtinendum erit, si matrimonium celebretur coram alio, et præsertim coram sacerdote extraneo, media adhibenda erunt quibus facile, data occasione, obtineri possit illud testimonium : ideo vel matrimonium inscribitur in parochia in qua celebratur, et hujus instrumentum authenticum transmittitur ad parochiam ad quam pertinent contrahentes ; vel statim inscribitur in ipsa contrahentium parochia.

Quæst. 5.— *Quot et quales testes requirantur ad matrimonium.*

215. 1° Ex Concilio Tridentino requiritur ut matrimonium fiat *coram duobus vel tribus testibus.* Olim edicta regia præcipiebant ut quatuor adessent ; non tamen, ex communi sententia, sub pœna nullitatis. Nulla hodie superesse potest difficultas, quoad matrimonium coram Ecclesia celebratum, de quo solo hic agimus : si tamen alicubi Ritualia quatuor exigunt, profecto quatuor adhibendi sunt.

2° Concilium nihil statuit circa testium qualitates, quia noluit nimis coarctare libertatem matrimoniorum ; et aliunde quod deesse potest ex parte testium, supplet ur per præsentiam parochi. Unde, quamvis matrimonium sit res gravissimi momenti, non requiruntur testes, ut dicitur in jure, omni exceptione majores. Attamen, ad majorem securitatem, ordinarie præscri-

bitur ut testes non admittantur vagi, incertique domicilii, sed qui bene noti sintin vicinia, et digni quibus adhibeatur fides.

3° Debet simul concurrere præsentia parochi et testium ; nec satis foret quod adessent successive ; Concilium enim Tridentinum satis illud indicat, et vult ut possint utrique de uno et eodem actu testari.

Insuper his applicanda sunt plura ex iis quæ diximus circa præsentiam parochi.

§ 16. *De impedimentis canonicis prohibentibus.*

216. Ad quatuor reducuntur, ut diximus, nempe

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum :

quæ ex communi sententia graviter obligant, cum sint in materia gravi. Jam diximus *de sponsalibus* (n° 106), et *de voto* (n° 154) ; superest ut de duobus aliis loquamur.

I. De Ecclesiæ vetito. Si vox illa sumeretur omnino generaliter, comprehenderet omnia impedimenta, ut patet. Sensu minus generali, designare potest varios casus in quibus non licet matrimonium inire, licet ii casus non comprehendantur expresse inter impedimenta. Sic Ecclesia vetat 1° ne matrimonium ineatur absque prævia proclamatione bannorum ; 2° ne catholici nubant cum hæreticis ; 3° ne ad matrimonium admittantur qui ignorant elementa fidei ; de his tribus jam dictum est ; 4° juxta quosdam, vetat ne matrimonium ineatur tempore interdicti : sed illud negant plerique, qui tamen dicunt tunc non esse conferendas benedictiones solemnes ; 5° vetat ne matrimonium ineatur ab excommunicato vel cum excommunicato : quo sensu illud intelligendum sit explicatur in Tr. *de Censuris.*

Si demum illud impedimentum sumatur sensu stricto, designat præceptum speciale superioris legitimi, quo quis prohibetur matrimonium inire. Causæ justæ ita prohibendi sunt præsertim, 1° necessitas vitandi scandalum, aut rixas et discordias præveniendi ; 2° suspicio alicujus impedimenti de quo veritas inquirenda est ; 3° tertiæ personæ contra matrimonium intercessio, gal-

lice *opposition*. Ex his, vel aliis similibus causis, prohiberi potest matrimonium non solum a S. Pontifice et episcopo, sed etiam a parocho, ut docent communiter auctores ; quia, licet potestatem non habeat ferendi leges, ipsi tamen committitur cura ut matrimonium debito modo ineatur, ac proinde ipsi deesse non debet auctoritas ad illud necessaria.

217. II. De impedimento temporis. Varia fuit variis temporibus Ecclesiæ disciplina circa prohibitionem matrimonii certis temporibus. Hodie standum decreto Concilii Tridentini, *sess.* xxiv. *cap.* x, ex quo prohibitio extenditur, " Ab adventu D. N. J. G. usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive."

Porro Concilium non prohibet simpliciter nuptias, sed solemnes nuptias : unde *jure communi* non prohibetur ipsum matrimonium, ut constat ex Rituali Romano, ex Benedicto XIV. *Instit.* lxxx, n^is^ 3 et 14, et ex decisione S. Congregationis *ibid.* n° 20 ; sed prohibetur apparatus et pompa nuptiarum, sub quo nomine intelligitur benedictio solemnis dari solita intra missam, et ipsa missa *Pro sponso et sponsa*, quæ ideo non est celebranda, quando matrimonium initur tempore Adventus vel Quadragesimæ ; *ibid.* n^is^ 4-6 et 8-11.

Sed *in Gallia*, ex generali consuetudine, vetantur tum apparatus, tum ipsum matrimonium : ita ferunt plura concilia provincialia, et pleraque Ritualia. Monet ipse Benedictus XIV. n° 14, tali consuetudini standum esse in locis ubi viget : additque, n^is^ 12 et 15, prohibitionem matrimonii admittere dispensationem concedendam ab episcopo loci ; non vero prohibitionem apparatus seu solemnitatis, quia non videtur adesse posse ratio sufficiens recedendi a communi Ecclesiæ disciplina. Sed apud nos, dispensatio ab episcopo concessa satis communiter extenditur ad ipsam solemnitatem et apparatum.

Art. 3. *De dispensatione ab impedimentis canonicis.*

218. Pro certo supponendum est Ecclesiam posse dispensare ab impedimentis quæ sunt juris tantum ecclesiastici : id indicat Concilium Tridentinum, *sess.*

xxiv. *can.* 3, et *cap.* v. *de Reform. matrim.*; et satis constat ex usu quotidiano. Difficultas tantum moveri posset de dispensationibus *in radice*, de quibus in art. seq. Hic igitur agemus 1° de iis qui possunt dispensare ab impedimentis matrimonii; 2° de modo obtinendi dispensationes a S. Sede; 3° de modo eas exsequendi; 4° de modo obtinendi dispensationes ab episcopo, et eas exsequendi.

§ 1. *Quis possit in Ecclesia dispensare ab impedimentis matrimonii.*

Tria hic occurrunt expendenda: 1° an ea petestas pertineat ad Summum Pontificem; 2° an ad episcopus; 3° an ad alios.

PUNCTUM 1.—*An et quo jure possit Summus Pontifex dispensare ab impedimentis matrimonii.*

219 Nullum dubium esse potest de auctoritate S. Pontificis: agnoscunt enim omnes catholici illum posse dispensare ab omnibus legibus ecclesiasticis. Etenim aliquando expedit ut dispensationes concedantur: porro, cum ideo non possit convocari Concilium, nec tota adiri Ecclesia, necessario requiritur ut sit aliquis in Ecclesia qui possit eas concedere; hic autem erit saltem S. Pontifex.

Et quidem jure divino ipsi competit hæc potestas, et non tantum ex jure ecclesiastico, seu ex concessione Ecclesiæ, ut fusius ostenditur in Tr. *de Ecclesia:* quidquid enim sit de ea quæstione, an S. Pontifex sit inferior, necne, Concilio generali, hanc dispensandi auctoritatem ipsi concedi a Christo postulabat necessario bonum Ecclesiæ regimen; et reipsa concessam fuisse ostendit praxis inconcussa.

PUNCTUM 2.—*An et quatenus episcopi possint dispensare ab impedimentis matrimonii.*

220. Omnibus notum est, jam a longo saltem tempore, ad S. Pontificem recurri, ad obtinendas dispensationes ab impedimentis matrimonii, et tamen aliquan-

do eas ab episcopis concedi: explicandum habemus quo jure ita servetur. De quo variæ sunt opiniones theologorum et canonistarum.

1ª opinio, quæ olim erat multo communior apud Gallos, docet episcopus habere ex jure divino facultatem dispensandi circa impedimenta matrimonii, quandiu saltem ea dispensatio non fuit reservata superiori; ac proinde eos qui sunt in usu dispensandi agere jure proprio, et quia jus antiquum servaverunt, nec adversus eos fuit præscriptum. Plerique tamen fatentur, jam a pluribus sæculis hanc facultatem fuisse S. Pontifici reservatam; adeo ut, juxta præsentem disciplinam, dispensare nequeant episcopi, nisi in iis de quibus perseveravit antiqua consuetudo.

IIª opinio, communis apud extraneos, et quam olim tenebant non pauci Galli, multoque plures hodie tenent, docet episcopus non posse jure proprio dispensare in impedimentis, sed tantum ex concessione expressa aut tacita S. Pontificis aut Ecclesiæ.

Ut inter illas opiniones eligamus, plures instituemus quæstiones.

221. I° *An episcopi possint* JURE PROPRIO *dispensare generatim ab impedimentis matrimonii?*

Inhærendo secundæ sententiæ supra expositæ, sic statuimus:

PROPOSITIO. —*Episcopi non possunt, Jure divino, dispensare generatim ab impedimentis matrimonii.*

Prob. I. *Ex principiis regiminis ecclesiastici.* Fide certum est episcopus esse inferiores S. Pontifici et Ecclesiæ, a quibus constituta fuerunt impedimenta matrimonii; porro inferior non potest dispensare circa legem a superiore latam, nisi superior expresse vel tacite hanc facultatem concesserit: quod probatur 1° ex jure canonico. CLEMENS V. in constitutione lata in Concilio Viennensi, ait: *Nos inter cætera præcipue attendentes quod lex superioris per inferiorem tolli non potest;* idque ita intelligendum declarat, ut nequeat ab inferiori *corrigi, vel immutari, aut quidquam ei detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem.* Idem pluries in Jure

asseritur. 2° Ex ratione. Dispensare est tollere, seu suspendere vim legis pro aliquo casu peculiari; porro id nequit inferior, cum illius voluntas subjecta sit voluntati superioris, nec possit eam infringere. Ergo, etc.

Nec obstat 1° quod asserunt multi tanquam axioma, *Episcopum posse in sua diœcesi quidquid potest S. Pontifex in universa Ecclesia*, exceptis iis quæ sibi specialiter reservavit.—Illud nullo solido fundamento nititur, et, si generaliter sumatur, est falsissimum. Equidem episcopi sunt principes in sua diœcesi, ideoque possunt ferre leges, censuras, etc.; sed non ideo acceperunt plenitudinem potestatis, quæ soli S. Pontifici fuit collata.

Non obstat 2° decisio juris canonici, cap. *Nuper*, xxix., *de Sentent. excommunic.*, qua statuitur absolutionem a censura posse ab inferiori concedi, quando superior sibi eam expresse non reservavit.—Magnum est discrimen; censura est pœna quæ privat spiritualibus bonis, et quidem pœna medicinalis, quæ ideo, reo pœnitente, tolli debet; unde quando satisfacit, jus habet ad absolutionem; hinc nimis onerosum esset semper recurrere ad superiorem: illud autem locum non habet ubi de dispensatione. Et revera alioquin ipsimet parochi dispensare possent, quemadmodum possunt absolvere.

Non obstat 3° demum facultas quam omnes tribuunt episcopis dispensandi in rebus levis momenti, vel quæ ex natura sua frequenter occurrunt, v. g. in lege jejunii, abstinentiæ, et aliis multis etiam generalibus.—Idem locum non habet circa dispensationes de quibus agimus: mens enim Ecclesiæ est ut illæ dispensationes sint raræ, et non nisi gravi de causa concedantur: porro multo frequentiores essent, si a quolibet episcopo concederentur: nec episcopi eam haberent independentiam, sine qua brevi corrueret disciplina ecclesiastica; siquidem difficile resisterent precibus et forsan minis principum, virorum potentium, magistratuum, etc.; ita CABASSUT, quem citat Benedictus XIV.

II. *Ex Ecclesiæ usu et disciplina.* Falso asseritur episcopos, prioribus sæculis, vulgo dispensationes hujusmodi concessisse, quasi ex jure proprio, Etenim 1° a primævis temporibus ad sæculum VII., nullum inveniri exemplum dispensationis circa matrimonium agnoscunt auctores utriusque opinionis, quibus nullum occurrit monumentum ante S. Gregorium Magnum. 2° Is, ad instantiam S. Augustini, Anglorum episcopi, permisit matrimonium in gradibus remotioribus affinitatis; idemque in gratiam Germanorum indulsit, octavo sæculo, Gregorius II.: sed hæc erat potius legis modificatio seu restrictio, quam dispensatio proprie dicta. 3° Deinceps usque ad sæculum XIV. paucissima occurrunt exempla dispensationum, et quidem non ab episcopis, sed a solis SS. Pontificibus concessarum. Scilicet videmus pluries SS. Pontifices præcepisse separationem principum, qui contra canones nupserant, et variis pœnis subjecisse episcopos qui talibus matrimoniis conseserant; aliquando tamen ea matrimonia confirmasse, ad postulationem ipsorum episcoporum: prima hujusmodi dispensatio, nempe post matrimonium initum, concessa dicitur an. 1104 a Paschali II. Philippo I., regi Galliæ. Ante matrimonium autem contrahendum, primum exemplum occurrit in dispensatione concessa ab Innocentio III. Othoni imperatori, an. 1209. 4° A sæculo XIV., paulatim frequentiores factæ sunt dispensationes; sed nihil ostendit etiam tunc eas fuisse communiter ab episcopis quasi jure proprio concessas: contra non ita observatum fuisse deduci potest, tum ex iis quæ acta sunt tempore magni schismatis; tum ex instructionibus quæ fuerunt datæ *D. de Lanssac*, quando legatus a rege Galliæ ad Concilium Triden-

tinum missus est: tum denique ex variis Conciliis quæ expresse agnoverunt ad solum S. Pontificem pertinere dispensationis concedere. (*Vid.* P. M., nº 1072.)

III. *Ex auctoritate SS. Pontificum*, qui facultatem dispensandi ab impedimentis tanquam Sedi apostolicæ exclusive propriam vindicare, data occasione, non omiserunt. Ita inter alios Pius IV. an. 1563; Benedictus XIV. qui non solum quæstionem fuse discutit, sed ait congregationes Urbis non semel proscripsisse opinionem quæ asserit episcopus communiter dispensare posse, tanquam falsam et temerariam; Pius VI. occasione edictorum imperatoris Josephi II. an. 1782; et Pius VII. in Brevi 27 februarii 1809, ad episcopos Gallicanos. (*Vid.* P. M., nº 1074.)

222. Hinc si carent episcopi potestate dispensandi ab impedimentis matrimonii, illud non oritur ex eo quod ea potestas ipsis fuerit ablata et S. Pontifici reservata; sed ex eo quod eorum auctoritas natura sua non extenditur ad leges superioris. Contra quando dispensant in variis casibus de quibus mox dicturi sumus, illud habent tantum ex concessione expressa vel tacita Ecclesiæ aut S. Pontificis. Attamen, juxta multos, potestas illa dicenda est ordinaria, quia est annexa dignitati seu officio, et quidem in perpetuum, et in ea est quasi radicata, nec committitur tali personæ seu industriæ ejus. Sed juxta alios, cum potestas illa non sit de se innata muneri, prout innata est v. g. potestas dispensandi in propria lege, sed oriatur tantum ex concessione superioris, ideoque non sit vere propria neque exerceatur jure proprio, sed potius nomine alieno, dici non debet stricte ordinaria, sed potius extraordinaria: agnoscunt tamen eam quoad effectus magnam habere similitudinem cum ordinaria; unde dicunt vocandam esse quasi-ordinariam, seu ordinariæ æquivalere; illudque satis communiter admissum videtur.

Sed et ii etiam qui nostram opinionem non admitterent, debent agnoscere hodie fas non esse episcopis generatim dispensare. Potestas enim episcoporum jure divino ita subest auctoritati Ecclesiæ et S. Pontificis, " ut, ait Benedictus XIV. *de Synod.* l. vii. c. viii. nº 7, consentientibus omnibus catholicis, ejusdem auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa

omnino auferri possit." Jam vero, licet non afferatur reservatio expressa, quæ in nostra sententia non fuit necessaria, ex iis quæ attulimus constat saltem de consuetudine, quam agnoscunt communiter auctores sufficientem fuisse ad reservationem inducendam.

223. II°. *An et quatenus possint episcopi*, VI CONSUETUDINIS UNIVERSALITER RECEPTÆ, *in quibusdam casibus dispensare ab impedimentis matrimonii?*

Solvemus hanc quæstionem varios casus enumerando. Itaque 1° dispensant episcopi ab *impedimentis prohibentibus*. Nullus de hoc dubitat, ait Benedictus XIV. *de Synod.* l. ix. c. ii. n° 1. Excipi tamen debent 1° vetitum latum a S. Pontifice, vel alio superiore, v. g. ab archiepiscopo in casu appellationis; 2° sponsalia, in quibus nec ipse S. Pontifex dispensat, cum vis illorum oriatur a jure naturali, ideoque locus sit tantum interpretationi; 3° votum castitatis perpetuæ, et votum ingrediendi religionem; quæ reservantur S. Pontifici: votum quidem castitatis, quando est *perfectum*, tum in ratione voti, id est, emissum voluntarie et mature, non per dolum aut metum; tum ratione materiæ, id est, pro objecto directo habens castitatem, et quidem perfectam; *certum*, nempe quando constat votum emissum fuisse, et esse votum castitatis; *absolutum*, id est, non alternativum, nec conditionatum, sed saltem absoluto æquivalens, quale videtur esse post impletam conditionem: votum autem ingrediendi religionem, quando est de religione quam constet esse religionem approbatam, sensu exposito ubi de *Voto solemni*.

224. 2° *In iis quæ conjugatos impediunt a petitione debiti*. Ita ferre consuetudinem testantur auctores. Excipiendus tamen casus, quo uterque, aut saltem unus cum alterius consensu emisisset votum quod sit S. Pontifici reservatum ex modo dictis.

225. 3° *In matrimoniis cum impedimento dirimenti jam initis*. Ita communiter auctores: illud ultro admittit BENEDICTUS XIV. *de Synod.* l. ix. c. ii. n. 1; sed addit necessarium esse ut simul concurrant sex circumstantiæ; quas tamen non semper requiri dicunt auctores quidam, præsertim in Gallia. 1° Ut adsit bona fides, id est, ut ignoratum fuerit impedimentum;

illi enim qui mala fide contraxerunt, indigni sunt indulgentia Ecclesiæ, ex Concilio Tridentino, *sess.* xxiv. cap. v. *de Ref. matrim.:* sed sufficit bona fides ex parte unius, quia pars innocens non debet arceri ab Ecclesiæ indulgentia propter delictum alterius. 2° Ut impedimentum sit occultum, et matrimonium publicum, quia alioquin non urget necessitas, et scandalum ex separatione timendum non est. 3° Ut matrimonium fuerit consummatum, quia ante consummationem facilior est separatio. Attamen multi eam conditionem non requirunt. 4° Ut impedimentum sit ex iis in quibus dispensare solet S. Pontifex. 5° Ut partes sine scandalo separari nequeant. Verum difficile est ut duo, qui pro nuptis habentur, separentur absque scandalo. 6° Ut sine gravi incommodo exspectari nequeat dispensatio S. Pontificis.

226. 4° *In casu dubii.* Ita communius etiam illi qui sunt juribus S. Pontificis maxime addicti: quia licet dispensatio in se sit odiosa, facultas dispensandi est favorabilis ex communi Doctorum sensu, ac proinde amplianda; et insuper ita expostulare videtur utilitas spiritualis fidelium.

227. 5° *In casu urgentissimæ necessitatis*, saltem *si impedimentum sit occultum:* v. g. si matrimonium, ad quod omnia sunt parata, differri non possit sine scandalo, et sponsorum infamia, puta si unus manifestet impedimentum ex commercio illicito, etc. Tunc episcopum dispensare posse docuit Sanchez, cujus doctrinam amplexi sunt plerique qui post ipsum scripserunt, adeo ut hodie communis aut fere communis habenda sit: eam refert nec improbat Benedictus XIV., l. ix. c. ii. n^is^ 2 et 3. Ratio est quia in his casibus non censetur S. Pontifex velle sibi reservare facultatem dispensandi; quæ reservatio verteret in destructionem, non in ædificationem. Aliunde hodie ex consuetudine satis tollitur quod ab initio poterat superesse dubium.

Notant tamen auctores episcopum non posse dispensare si aliquod aliud medium suppetat malo occurrendi, ideoque varia media indicant. Verum plerumque hæc ad praxim reduci non poterunt, nec tollent suspiciones, rumores, et scandalum. Unde potius concludendum est quanti intersit moneri fideles ut confiteantur diu ante matrimonii tempus.

Dixi *Saltem si impedimentum sit occultum*, quia si sit publicum, vulgo supponunt auctores non posse episcopum dispensare ; imo *Propositio asserens posse episcopum dispensare in publico impedimento matrimonii dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate*, Romæ declarata est *falsa et temeraria*. Ratio est quia tunc non adest idem timor diffamationis et scandali : et incommoda quæ ex dilatione matrimonii oriri possunt tribuenda sunt contrahentium malitiæ, neque proinde Ecclesiam movere debent ut eis aliquis favor præstetur.

Attamen quidam etiam ad impedimentum publicum extendunt eamdem rationem necessitatis. Olim, inquiunt, auctores non loquebantur nisi de impedimento occulto, quia quando impedimentum erat publicum, parochus poterat matrimonium impedire : hodie vero, mutatis circumstantiis, possunt occurrere, etiam quoad impedimenta publica, eadem incommoda quibus olim nitebantur theologi. Scilicet cum tanta detur facilitas standi soli matrimonio civili, et sæpissime contrahentes non possint aut nolint exspectare recursum ad S. Pontificem, intelligitur talem dari necessitatem, qualis vix urgentior concipi potest ; nemo enim nescit quam grave scandalum, et quanta incommoda oriantur ex matrimoniis mere civilibus.

Nihilominus episcopi communiter in his casibus non dispensant ; et merito quidem, ut nobis videtur. Nam undenam haberent potestatem illam ? 1. Non a consuetudine, siquidem contraria est, etiam in Galliis. 2. Non ex præsumpto consensu S. Pontificis ; non enim satis concipitur securum esse posse eum qui consensu præsumpto niti velit, quando consensum expressum adeo facile postulare potuit, et tamen vel non postulavit, vel non obtinuit. 3. Non ratione necessitatis, et propter bonum religionis : sub eo respectu, ille nobis videtur officio suo plane satisfecisse, qui postquam rerum statum supremo Ecclesiæ Pastori exposuit, progrediendum non existimat ultra facultates sibi concessas. 4. Si semel admittatur illa necessitatis ratio, mox penitus evanescet reservatio, corruent Ecclesiæ leges, et abrumpetur vinculum externum, fere quod supersit unicum

quo Ecclesiæ membra centro unitatis catholicæ conjunguntur.

228. 6° Juxta quosdam, dispensant episcopi ubi agitur *de dispensatione Pontificia convalidanda*, quando nempe fuit ob aliquem defectum irrita. Sed talis potestas nec jure nec consuetudine tribuitur episcopo ; et aliunde reservatio non tollitur per dispensationem quæ nullius est roboris. Igitur eatenus dispensare tunc poterit episcopus, quatenus habebit, ut hodie omnes aut fere omnes episcopi habent, a S. Pontifice facultatem concedendi litteras quæ dicuntur *Perinde valere*, id est, convalidandi, saltem in pluribus casibus, litteras dispensationis irritas.

229. III° *An et quatenus episcopi dispensare possint* VI CONSUETUDINIS SEDIUM PARTICULARIUM?

Præter casus mox enumeratos, in quibus generaliter dispensant episcopi, olim in Gallia pro variis diœcesibus variæ existebant consuetudines, vi quarum episcopi multi in diversis aliis casibus dispensabant, alii in pluribus, alii in paucioribus.

Porro Benedictus XIV. *de Synod.* l. ix. c. ii. grave dubium movebat, tum circa existentiam, tum circa vim talis consuetudinis; unde concludebat episcopos non debere ea uti, cum agitur hic de re ad sacramenti valorem spectante, in qua parte tutiori standum est.

Attamen vindicari poterant illæ consuetudines, 1. *quoad factum*, seu existentiam, ex testimonio auctorum et Ritualium. 2. *Quoad jus*, seu legitimitatem, quia nihil in eis occurrebat unde deberent reprobari : non ratione originis, quæ ubi agitur de consuetudine inducenda, non attenditur ; non ratione temporis, cum in multis diœcesibus essent immemoriales ; non ratione sui, quia, si expediat ut solus S. Pontifex dispenset a legibus de quibus fere nunquam dispensatur, expedire potest ut, in casibus urgentibus, dispensent episcopi ab iis legibus, in quibus vix unquam dispensatio denegatur ; ipsa vero consuetudo, quæ est optima legum interpres easque abrogare potest, indicabit etiam quandonam adsit utilitas aut necessitas. Insuper hujusmodi consuetudines secuti sunt innumeri episcopi, quorum sane plures docti erant pariter ac timorati ; SS. Ponti-

fices autem nunquam eas damnarunt aut ut irrationabiles reprobaverunt: ergo, etc.

230. His præmissis, præcipua quæstio est quid sentiendum post Concordatum anni 1801? In Constitutione enim *Qui Christi Domini*, pro nova diœcesium circumscriptione, hæc ait Pius VII.: "Supprimimus, annullamus, et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infra scriptarum ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis...Ita ut omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus...haberi debeant in posterum tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimode exstincti, aut in novam formam erigendi."

Ex his duplex orta est opinio.

Prima tenet, post illam constitutionem, non amplius vigere antiquas illas consuetudines.

Prob. 1° *Ex tenore Constitutionis pontificiæ.* Etenim S. Pontifex 1. *potuit eas consuetudines abrogare.* Si enim potuerit ipsas sedes supprimere, ergo et privilegia iis annexa; accessorium sequi debet principale. Nec illi defuit causa sufficiens: scilicet præcavenda erat ea varietas quæ alioquin in ejusdem diœcesis partibus occurrisset, eo quod novæ diœceses aliquando quatuor aut quinque diœceses, antiquas partem vel in totum complectantur. 2. *Voluit abrogare.* Verba enim S. Pontificis sunt maxime generalia, nec ullam restrictionem patiuntur: imo, cum non fiat mera jurium aut privilegiorum revocatio, sed et ipsarum sedium suppressio, hic applicari nequeunt principia ex quibus certa quædam privilegia non censentur includi in revocatione generali. 3. Demum S. Pontifex *noluit ea privilegia renovare*, erigendo novas diœceses; ait tantum: *De novo constituimus et erigimus decem ecclesias metropoltiainas, etc.* et nihil dicit ex quo concludi possit instaurari jura et privilegia suppressa; ergo, etc.

2° *Ex comparatione cum antiquis capitulorum privilegiis*, quæ satis communiter agnosci videtur abrogata esse.

3° *Ex decisione Conrgegationis* cardinalium, quæ die 13 februar. 1815, ita expresse respondit vicario cap-

itulari Leodiensi. Pluries in eodem sensu responsum est. Cum autem agatur hic præcipue de voluntate S. Pontificis, nemo non videt magnam esse earum responsionum auctoritatem.

Ex his, inquiunt illi auctores, saltem dubia efficitur auctoritas episcoporum ; ergo, cum agatur hic de valore sacramenti, ea uti non debent, ne sacramentum exponant periculo nullitatis.

Secunda opinio tenet adhuc vigere antiquas consuetudines circa dispensationem ab impedimentis.

Prob. 1° *Ex scopo et objecto Constitutionis pontificiæ.* Ea tantum abrogavit quæ cum novo rerum ordine conciliari non poterant : porro tales non erant consuetudines de quibus loquimur.

2° *Ex natura jurium de quibus agitur.* Si jura illa, tam longo usu confirmata, spectentur ut leges, prout reipsa spectari debere videntur, cum verterentur non in episcoporum commodum vel honorem, sed in bonum fidelium et proinde communitatis, sicque essentialiter differrent a privilegiis quæ immediate respiciunt bonum privatorum, si, inquam, taliter spectentur, S. Pontifex noluit abrogare leges, ut manifestum est ex inspectione prædictæ constitutionis. Etiamsi autem jura de quibus agitur habenda essent ut privilegia, saltem probatum manet ex dictis ea ortum duxisse a consuetudine : porro docent auctores per revocationem generalem non censeri revocata privilegia quæ orta sunt ex consuetudine. Ita Suarez, *de Legibus*, l. viii. c. vii. n° 15, et alii.

3° *Ex variis Sedis Apostolicæ responsis.* Ferunt interrogatum Cardinalem Legatum respondisse ea tantum privilegia fuisse abrogata quæ novo statui repugnarent : imo ipsum Pium VII. cardinali Fesch, archiepiscopo Lugdunensi, declarasse se noluisse derogare privilegiis insignis illius ecclesiæ ; et ea de causa, secundum priscam consuetudinem dispensare perrexit præfatus archiepiscopus ; (quod postea præstitit etiam D. de Pins, administrator apostolicus), Addunt etiam ipsum S. Pontificem pluries expostulasse ab eodem cardinali cur non se diceret Primatem Galliæ : ideoque redux e Roma, ubi legatione functus fuerat, cœpit an. 1806 sibi adsciscere hunc titulum, quem deinceps non semel variis modis agnovisse perhibetur Sedes Apostolica.

(Vid. LYONNET, *le cardinal Fesch*, t. i. c. xxiii. p. 455, et t. ii. c. ii. p. 32.)

Inter illas opiniones, quidam recentioribus temporibus mediam veluti viam secuti, abstrahunt a solutione quæstionis in se spectatæ, et eam sic solvunt in ordine ad praxim. 1° Si in quibusdam diœcesibus viguerit a tempore Concordati usus dispensandi vi priscarum consuetudinum, ad episcopum tuto recurrere possunt diœcesani : in illius enim gratiam militat præsumptio ; et supponi potest Ecclesiam quod ipsi forte deest supplere, ratione habita erroris communis et tituli colorati. Insuper dici potest sufficere talem consuetudinem ad abrogandam, quantum opus erat, legem seu reservationem, quæ ad minus dubia erat. 2° Si contra non viguerit usus dispensandi, jam pro omnino abrogata haberi debet prisca consuetudo.

231. IV°. *An et quatenus possint episcopi dispensare* VI INDULTORUM SEDIS APOSTOLICÆ ?

Nobis sufficiet quædam observare, tum circa clausulas indultis adhiberi solitas, tum circa naturam et extensionem potestatis quam vi indulti obtinent episcopi.

1° Quoad *indultorum clausulas*. 1. Ordinarie conceditur facultas dispensandi pro matrimonio contrahendo *in tertio et quarto gradu simplici et mixto*. Vi hujus indulti dispensario non posse de secundo gradu ad tertium, pluries declaraverunt SS. Pontifices. Unde præfata verba significant tantum concedi facultatem dispensandi, sive cognatio existat ex una tantum parte, sive ex utraque. 2. Conceditur etiam major facultas in matrimoniis *contractis* quam in *contrahendis :* pariter his temporibus multis episcopis concessa fuerunt indulta, in quibus legitur : " Dispensandi in matrimoniis *huc usque nulliter initis* super.." Respondit S. Pœnitentiaria die 28 martii 1816, " In verbis *in matrimoniis huc usque nulliter initis*, intelligi duntaxat matrimonia nulliter contracta coram Ecclesia. " His ultimis temporibus plura vidimus indulta, in quibus dicitur, *in matrimoniis nulliter coram Ecclesia initis ;* tunc nulla difficultas : sed exinde concludi posse videtur indulta in quibus non leguntur hæc verba, *coram Ecclesia*, applicari possi matrimoniis mere civilibus.

2° Quoad *naturam potestatis* quam obtinent episcopus vi indulti, 1. est potestas *jurisdictionis*, non autem ordinis : hinc ea uti posset, etiam ante consecrationem : eam vero admitteret, si contra eum lata esset censura, quæ privaret jurisdictione. 2. Est potestas jurisdictionis *voluntariæ* seu *gratiosæ*, quæ ubique exerceri potest ; hinc episcopus, etiam extra diœcesim, potest dispensare suos diœcesanos, nisi in indulto afferatur limitatio. 3. Est potestas *delegata*. Hinc magna oritur controversia, an episcopus possit eam delegare vicariis generalibus. Affirmant multi ex nostris auctoribus. Verum id non potest admitti, nisi facultas subdelegandi in indulto contineatur : nam ex responsis e Roma pluries acceptis, quando potestas hujusmodi pure et simpliciter datur, censetur data tantum episcopo, propter personalem industriam ; ideoque subdelegari non potest. Hinc ita docent, etiam apud nos, non pauci auctores. Propter eamdem rationem, si data fuerit potestas facultates in indulto conten-

tas communicandi, stricte standum est verbis concessionis, ut facile intelligitur.

PUNCTUM 3. *An alii, præter S. Pontificem et episcopos, possint dispensare ab impedimentis matrimonii.*

232. Ex omnium sententia, dispensare nequeunt parochi, aut confessarii, etiam tempore Jubilæi, nisi hæc potestas eis expresse concessa fuerit: unde de quatuor tantum superest quæstio.

I. *De Metropolitano.* Quæstio est, an dispensare possit subditos episcopi sui suffraganei dispensationem recusantis? Admittunt omnes non posse: dispensatio enim est actus jurisdictionis voluntariæ et gratiosæ; recursus autem ad metropolitanum patet tantum in materiis ad forum contentiosum spectantibus, ut ex alibi exponendis supponimus.

II. *De vicariis generalibus.* In casibus supra (nº 223 et seq.) enumeratis, in quibus episcopus dispensat vi consuetudinis universaliter receptæ, cum hæc potestas ex dictis (nº 222) censeatur aliquatenus ordinaria, potest eam delegare; sed non censetur eam delegare, nisi expresse indicet, quia nec jus, nec usus hanc potestatem annectunt titulo vicarii generalis: sed ordinarie episcopi eam potestatem exprimunt in litteris vicariorum generalium.

III. *De officiali.* Officialis qui multis in locis non distinguitur a vicario generali, apud nos olim habebat munus omnino diversum, cum ei committeretur jurisdictio tantum contentiosa: unde vulgo docebant auctores eum quatenus officialem non posse dispensationes concedere. Nunc ordinarie ei committuntur ab episcopo causæ matrimoniales: sed nisi specialem potestatem acceperit, non concedit dispensationes, sed est tantum exsecutor earum quæ ab auctoritate competenti concessæ fuerunt.

IV. *De capitulo, sede vacante.* 1º Circa casus in quibus episcopus dispensat jure ordinario, v. g. ratione necessitatis, dubii, etc., videtur eamdem facultatem competere capitulo, seu vicario capitulari: adest enim eadem ratio, et eamdem auctoritatem habet. 2º Quando episcopus dispensat vi consuetudinis suæ sedis, asserunt quidam capitulum dispensare posse; alii negant. Usui

standum; potuit enim consuetudo quæ episcopo tribuit jus dispensandi, idem jus non contulisse capitulo. 3° Quando episcopus dispensat vi indulti, ea potestas non transit ad capitulum, nisi aliter ferat indultum.

§ 2. *De modo obtinendi dispensationes a S. Sede.*

233. Quæcumque hic exponenda habemus, ad quatuor præcipua capita reducemus.

I. QUINAM *dispensationem postulare debeant?*

Quæstio est, an dispensatio postulari debeat pro utroque contrahente, an ex contrahentium mandato, et cujus expensis? De quibus hæc sufficiant.

1° Si agatur de impedimento uni tantum parti proprio, v. g de voto castitatis, evidens est sufficere ut dispensatio pro illa parte postuletur: si autem de impedimento communi, v. g. consanguinitate, affinitate, crimine, etc., ex ipsa petitionis natura satis patebit postulari pro utraque.

2° Valida erit dispensatio, licet postuletur insciis partibus, et absque earum mandato: quia nulla dispositio Juris obstat, et nihil impedit ne quis eximatur ab obligatione legis, etiam inscius. Requiritur tamen ut dispensatio acceptetur a partibus: quia, licet absolute non repugnet superiorem eximere aliquem ab obligatione legis independenter ab ipsius consensu, ordinarie tamen non censetur id velle. Cæterum in omnibus casibus, decet ut dispensatio non postuletur nisi ab ipsis partibus, vel ab iis quorum curæ commissæ sunt.

3° Quoad expensas, generatim ab utroque contrahente æqualiter solvendæ sunt, cum sit commune negotium. Fieri tamen potest ut in unum recidere debeant, si adsit specialis conventio; vel si unus tantum fuerit earum causa culpabilis, v. g. si post sponsalia impedimentum per suam culpam incurrerit, puta per commercium cum sponsæ consanguinea, si vim intulerit consanguineæ, quam ideo ducere tenetur, etc. Pariter qui injuste resilit a matrimonio, vel alteri resiliendi causam culpabiliter præbet, solus ferre debet expensas.

234. II. AD QUEM *Dirigenda sit dispensationis petitio?*

Duo exstant Romæ præcipua tribunalia ad dispensationes concedendas: *Pœnitentiaria*, in qua omnia

gratis peraguntur, et cujus varii administri juramentum præstant se nihil a quoquam, etiam sponte ablatum vel donatum, accepturos, ut testatur Benedictus XIV.; *Dataria*, in qua, nisi dispensatio concedatur, ut aiunt, *in forma pauperum*, exigitur pecuniæ summa, quæ gallice dicitur *Componende*, nempe, ut inquiebat Pius VII., " Ad resarciendum aliqua ratione vulnus quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur, et ad matrimonia inter personas consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas rariora ac difficiliora reddenda:" neque illud contrarium est Concilio Tridentino, *sess.* xxiv. *cap.* v., *de Reform. matrim.*, ex quo dispensationes gratis concedendæ sunt: sensus est quod dispensationes concedi debeant absque concedentium lucro; ita autem servatur, cum tota illa pecunia in pios usus impendatur. Quædam etiam dispensationes per Cancellariam, quædam non nisi per Præfecturam Brevium, sub annulo piscatoris, conceduntur; sed earum petitio nihilominus ad Datariam dirigi potest.

Porro ad Pœnitentiariam recurritur, quando impedimentum est occultum; ad Datariam, quando est publicum: ad utrumque, quando simul cum impedimento publico, v. g. consanguinitatis, concurrit impedimentum occultum, v. g. criminis; tunc prius exponitur Datariæ, posterius vero Pœnitentiariæ, cui declarari debet duo esse impedimenta, et dispensationem ab impedimento publico postulari a Dataria. Moneat autem auctores satius esse primum recurrere ad Pœnitentiariam, quia alioquin, si dispensatio in Pœnitentiaria denegaretur, frustra expensæ factæ fuissent in Dataria; sed quoad vim ipsius dispensationis, non interest an prius in Dataria petatur, an in Pœnitentiaria. Idem servatur, quando cum impedimento publico concurrit commercium carnale, quod ex infra (no 247) dicendis exprimendum sit; si tale commercium sit occultum, non exigit pia mater Ecclesia ut cum postulantis diffamatione divulgetur; tunc quoad illud recurrendum est ad Pœnitentiariam, cui explicatur impedimentum super quo dispensavit vel dispensatura est Dataria.

Ut ergo determinetur ad quodnam tribunal recurrendum sit, exponendum est quandonam impedimentum

reputari debeat occultum. Porro multum abest quin concordent auctores de ea distinctione inter publicum et occultum, quæ in multis materiis occurrit. Quantum ad nos in præsenti interest, publicum censeri debet impedimentum, quando ejus est naturæ ut deduci possit ad forum externum, qualia sunt impedimenta quæ oriuntur ex cognatione legitima, vel aliis causis honestis. Ea autem quæ oriuntur ex delicto, qualia sunt affinitas, crimen, sunt ex natura sua occulta; et ut talia habenda sunt, nisi tot personis innotescant, ut jam publica dici possint. Quot autem ad hoc personarum notitia requiritur? Consentiunt omnes, ait BENEDICTUS XIV. id prudentis judicio relinquendum esse. Nobis videtur illud multum pendere posse ex circumstantiis; sed generatim, ex mente auctorum, dici potest occultum non esse quod plus quam decem aut duodecim innotescit; et si ad Pœnitentiariam nihilominus in eo casu recurratur, indicandum erit quot personis constet locus, et quot circiter personis notum sit impedimentum.

Advertendum autem 1°, si exigat Pœnitentiaria ut impedimentum sit, non tantum occultum, sed *omnino occultum*, tunc requiritur ut nemini innotescat. Ita BENEDICTUS XIV.

2° Si factum sit publicum, sed non agnoscatur ut criminosum, S. Pœnitentiaria dispensare potest. Sed si publicum sit crimen, licet vulgo ignoretur annexum impedimentum, non potest impedimentum haberi ut occultum; alioquin plerumque occultum esset impedimentum ortum ex commercio illicito, vel ex crimine. Ita in Pœnitentiaria observari testatur BENEDICTUS XIV.

235. III. QUA FORMA *scribendum ad petendam dispensationem?*

1° Principium generale est postulationem dispensationis scribendam esse stylo simplici et nitido, absque ambagibus et apparatu. Parvi interest quo idiomate conscribatur; magis tamen expedit ut idiomate latino, quemadmodum fit ordinarie.

Quoniam autem adsunt variæ formulæ, quasi usu consecratæ, ad ea exprimenda quæ in postulatione vulgo indicanda sunt, satius erit stare his formulis. quæ sæpe in Ritualibus exhibentur, et in pluribus aliis li-

bris : ea tantum addenda erunt quæ possunt esse casui peculiaria.

2° Non omnino eadem servatur forma coram Pœnitentiaria, ac coram Dataria. In Dataria exprimitur verum nomen, et cognomen, item diœcesis : libellus supplex fit nomine eorum qui dispensatione indigent, et dirigitur ad S. Pontificem. In Pœnitentiaria autem, non exprimuntur vera nomina, sed ficta, v. g. Titius, Bertha, vel orator, oratrix, et supplicatio dirigitur ad cardinalem Majorem Pœnitentiarium : indicatur autem in fine ad quem remittendæ sint litteræ dispensationis.

236. IV. Quænam sint exprimenda *in libello supplici ut valeat dispensatio ?*

Non raro evenit invalidas esse dispensationes, quia in earum postulatione vel veritas supprimitur, vel falsum exponitur : in priori casu, dicuntur *subreptitiæ ;* in posteriori, *obreptitiæ.* Cum tamen non quamvis reticentia veri, aut expressione falsi dispensatio irritetur, ad sequentes regulas attendendum est.

Regula prima. Suppressio veri, vel expressio falsi, dispensationem invalidam reddit, quando efficit ut superior ignoret vinculum quod tollit, aut ejus gravitatem, aut quantitatem gratiæ quam indulget : non enim censetur dispensare, nec revera dispensat in eo quod ignorat.

Regula secunda. Reticentia veri, aut expositio falsi, reddit dispensationem nullam, quando hæc reticentia vel expositio est motivum seu casu finalis concedendi dispensationem, seu quando, si veritas expressa esset dispensatio nullatenus, vel saltem non in eadem forma concessa fuissset : tunc voluntas dispensandi fundatur in errrore, ac proinde vim non habet.

Regula tertia. Suppressio veritatis quam jus, vel stylus curiæ Romanæ, vel consuetudo jubet ad dispensationis, impetrationem exprimi, reddit dispensationem subreptitiam et invalidam, etiam quando, eadem veritate expressa, nihilominus gratia concessa fuisset : tunc talis expressio tanquam forma postulationis exigitur, nec aliter S. Pontifex dispensare intendit.

237. His præmissis, ut facilius fiat applicatio harum regularum generalium, paulo fusius sunt exponendæ, et dicendum quid unaquæque in specie requirat.

Regula I^a *est, ut explicetur* QUALE SIT VINCULUM *quod tollendum est.*

1° Impedimentum de quo agitur in propria sua specie exprimendum est, non unum pro alio, ne quidem majus pro minori : in dispensationibus non valet argumentum a pari, neque a majori ad minus.

2° Si plura sint impedimenta, debent in eodem libello supplici exponi ; simul enim occurrentia graviorem inducunt indecentiam, ac proinde difficiliorem reddunt dispensationem : nisi tamen expressio unius impedimenti necessario includat alterum. Si unum sit publicum, alterum vero occultum, servatur quod supra diximus (n° 234).

3° Circa impedimentum *consanguinitatis*, exponendum est, in quonam sit gradu. Si nupturi sint in gradu inæquali, licet gradus remotior trahat ad se propinquiorem, attamen lege ecclesiastica cautum est sub pœna nullitatis ut, si gradus proximior sit primus, in supplicatione exprimatur. Si autem non sit primus, exprimi quidem debet quando recurritur ad Datariam, quamvis non ad validitatem dispensationis, sed ad licitatem, ex BENEDICTO XIV. Const. *Etsi matrimonialis*, Bullar. t. iv. Const. i. § 6 : sed exprimere necessarium non est quando recurritur ad Pœnitentiariam. Insuper exprimendum est quisnam sexus sit in gradu propinquiori, an vir, an mulier : longe difficilius enim permittitur ut fratris aut sororis filius (*le neveu*) in uxorem ducat amitam (*la tante*), quam ut patruus aut avunculus (*l'oncle*), ducat fratris, vel sororis filiam (*la niece*). Ex stylo et consuetudine, incipitur a gradu viri, sive sit propinquior, sive remotior. Denique exprimendum est, an partes sint duplici consanguinitatis vinculo conjunctæ ; alioquin irrita erit dispensatio : ita declarat BENEDICTUS XIV. *Const.* mox *citata.*

4° Circa impedimentum *affinitatis*, exponenda sunt eadem ac in consanguinitate, ex Romanæ curiæ stylo et communi Doctorum opinione : exprimi etiam debet, quando postulatur dispensatio in primo vel secundo gradu, an impedimentum oriatur ex commercio licito, an ex illicito : tum quia difficilius dispensatur in commercio licito quam in illicito ; tum quia id necessa-

rium est ut agnoscatur an cum affinitate concurrat honestas publica.

5° Circa *cognationem spiritualem*, exprimendum est an sit paternitas aut maternitas, an tantum compaternitas aut commaternitas ; multo enim indecentius est matrimonium inter susceptorem et filiam ejus spiritualem, a fortiori inter susceptricem et filium spiritualem, quam inter suscipientem et patrem aut matrem suscepti : item an existat cognatio duplex, qualis est, v. g. inter duas personas, quarum utraque filium alterius e sacro fonte suscepit, etc.

6° Circa *honestatem publicam*, exprimendum est an impedimentum oriatur ex sponsalibus, an ex matrimonio rato, et quo in gradu.

7° Circa *crimen*, exprimendum est an ex adulterio an ex conjucidio, an ex utroque simul conjuncto ; si ex adulterio, an uterque esset conjugatus : item quando agitur de conjucidio, an sit publicum, an occultum.

238. *Regula* II^a *est, ut rite et juxta veritatis normam proponatur* CASU FINALIS.

Hic ante omnia supponedum est, ex Tr. *de Legibus*, semper requiri causam, ut dispensatio legitime concedatur : probari potest speciatim quoad materiam præsentem ex verbis expressis Concilii Tridentini, *sess.* xxiv., cap. v., *de Reform. matrim.* Quando ergo dispensationes quædam dicuntur *sine causa*, verba illa non significant eas absque ulla ratione concedi, sed tantum nullam esse ex his causis quæ solent allegari, quæque sunt intrinsecæ et matrimonio propriæ, quamvis S. Pontifex alias causas habeat, ut ipse declarat his verbis quæ in hujusmodi dispensationibus leguntur, *Ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus*. Causæ autem illæ sunt, usus legitimus eleemosynæ, seu *Componendæ*, quæ in hujusmodi dispensationibus major exigitur : in eo sensu dicunt auctores per hanc eleemosynam compensari vulnus illatum ecclesiasticæ disciplinæ.

Exponendum habemus quænam causæ allegari soleant, et quo tempore, necnon et quo sensu verificari debeant.

239. I. *Quænam causæ allegari soleant ad petendam dispensationem ?*

Dici potest generatim concedi posse dispensationem, quoties occurrit necessitas, aut magna quædam utilitas. Causæ autem speciales, ex quibus solet S. Pontifex dispensare, potissimum in consanguinitate et affinitate, duplici generis distinguuntur, aliæ honestate, aliæ vero quæ dicuntur infamantes.

Causæ *honestæ*, magis receptæ, sunt: 1° augustia loci vel locorum; 2° incompetentia dotis; 3° bonum pacis; 4° ætas puellæ; 5° conservatio bonorum in eadem familia, vel familiæ in eodem sanguine; 6° vidua liberis gravata; 7° evidens prærogativa meritorum; 8° periculum vitæ aut fidei.

Causæ vero *infamantes* sunt: 1° commercium illicitum cum consanguinea, vel affine, vel alia impedimento ligata, perpetratum, non tamen eo fine ut facilius obtineretur dispensatio; 2° nimia partium familiaritas, ex qua timeatur scandalum, vel unius partis infamia; 3° conjugium cum impedimento dirimente jam initum, seu attentatum; 4° addi potest hodie timor matrimonii mere civilis; tunc dispensatio conceditur præcipue in gratiam prolis nascituræ, et familiæ, vel ad vitandum scandalum, et alia mala ex talibus matrimoniis oritura.

Earum causarum sensum explicat COLLET, *Tr. des Disp.* Cæterum ut omnis scrupulus tollatur, res exponendæ sunt candide et simpliciter prout sunt, et tunc judicabit superior an adsit causa sufficiens.

240. II. *Quo tempore verificari debeant causæ dispensationis?*

Quando conceditur dispensatio, in Brevi quod dirigitur ad officialem exprimuntur causæ propter quas petita fuit, et deinde additur: *Discretioni tuæ committimus et mandamus, quatenus de præmissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, cum eisdem auctoritate nostra dispenses.* BENEDICTUS XIV., in Constitutione *Ad apostolicæ* data 25 februar. an. 1742, *Bullarii*, t. i., *Const.* xlv., declarat hanc non esse meram styli formulam, sed, ait § 1, "Expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertinet, illisque deficientibus gratia nulla ac irrita est, nullamque exsecutionem meretur." Profecto S. Pontifex potest statuere

ut gratia quam concedit pendeat a tali vel tali conditione ; cumque exprimatur ea conditio, si deficiat, irrita erit dispensatio.

Exponendum habemus quonam præcise tempore veræ debeant esse causæ allegatæ. De quatuor temporibus dubium moveri potest.

1° *Quando Romam scribitur.* Si tunc vera non sit causa, mendacium committitur ; cum vero, ut dicitur in Jure, *Mendax precator carere debeat penitus impetratis*, docent quidam auctores irritam fore dispensationem, etiamsi causa vera sit tempore quo conceditur.

Alii tamen probabilius docent valere. Nam in eo casu dispensatio non datur sine causa : nec mendacium influit in concessionem dispensationis ; imo nec proprie consummatur mendacium, quia adest quidem intentio decipiendi, sed vere non decipitur S. Pontifex, cum vera sit causa tempore quo concedit dispensationem.

241. 2° *Quando Romeo conceditur dispensatio.* Cum hodie dispensationes concedantur in forma, ut aiunt, commissoria, id est, S. Pontifex committat officiali facultatem dispensandi, existemarunt quidam sufficere ut causæ veræ sint quando officialis dispensat, quia nihil aliud exigit S. Pontifex in suis litteris. Sed alii dicunt necessarium esse ut causa vera sit etiam quando S. Pontifex dispensationem concedit : et merito quidem. Nam 1. juxta BENEDICTUM XIV., non solum verificatio, sed expressio causarum pertinet ad substantiam dispensationis. 2. Hæc est sententia in tribunalibus Romanis recepta. 3. Licet S. Pontifex det tantum mandatum dispensandi, semper verum est eum ad id induci per causas allegatas ; ergo, si falsæ sint, irritum est mandatum.

242. 3° *Quando dispensatio*, ut aiunt, *fulminatur.* Per fulminationem intelligitur actus quo officialis, vel confessarius, dispensationem impertitur. Ab omnibus aut fere omnibus agnitum videtur requiri ut tunc vera sit causa. Clare deducitur ex iis quæ attulimus : et revera quando Breve est in forma commissoria, non præcise S. Pontifex dispensat, sed officialis ex illius auctoritate ; ac proinde, si eo tempore vera non esset causa, jam dispensatio concederetur sine causa.

243. 4° *Quando dispensatione utuntur impetrantes.*

Affirmant quidam necessarium esse causam tunc esse veram, quia dispensatio censeri debet conditionata, nempe posito quod causa perseveret ; aliter concedere nec voluit, nec potuit S. Pontifex.

Multi tamen alii contrarium propugnant. Quia semel fulminata dispensatione, res omnino consummata est ex parte concedentis ; ergo cessare non potest, nisi ut conditionata habenda sit : atqui talis non est habenda. 1. Expresse non apponitur conditio ; et tamen, si adesse deberet, verisimile est quod exprimeretur. 2. Nec tacite : est enim dispensatio veluti quædam donatio, quæ revocari non debet, licet deinceps cesset illius causa. Nulla est ratio conditionem supponendi : non enim imprudenter agit legislator, licet non attendat ad casus accidentales et extraordinarios, qualis est iste. Imo adest ratio non supponendi ; talis enim conditio scrupulis et anxietatibus locum daret ex parte contrahentium.

Hæc secunda opinio videtur principiis magis consentanea. Attamen observant *Collat. Paris.* et *Ritual. Tulon.* suadendum esse talibus personis ut ex reverentia legibus ecclesiasticis debita a matrimonio abstineant : imo illud exigendum esse, si antea eam mutationem prævidissent, quia tunc fraus adfuisset in dispensationis postulatione.

244. III. *Quo sensu et quomodo verificari debeant causæ ?*

Tres præcipuæ hic occurrunt difficultates.

1° *De causa falsa, quæ creditur vera.* Si causa quæ allegatur reipsa falsa sit, sed bona fide vera existimetur sive dispensante, sive a contrahentibus, communis tenent auctores valere matrimonium : nam in hujusmodi negotiis attenduntur res, non præcise quales sunt in se, sed quales habentur in ordine commercii humani ; illud exigere videtur bonum publicum, et recta gubernatio. Attamen si ante matrimonii celebrationem detegeretur causæ falsitas, æquum videretur ut dispensatio cessaret.

2° *De causa vera, quæ creditur falsa.* Hujusmodi error *ex parte postulantis* dispensationem non vitiat : huc valent quæ diximus de causa quæ falsa est quando Romam Scribitur (n° 240). *Ex parte dispensantis*, non impedit etiam validitatem dispensationis, si sit ip-

semet legislator, cum valeat dispensatio ab eo concessa etiam sine causa: sed si sit inferior, satis probabile est invalidam esse dispensationem, quia inferiori non conceditur facultas dispensandi, nisi prudenter agat, non temere et inconsulto. Tandem *ex parte fulminantis*, cum ex dictis ipsi præcipiatur ut de causæ veritate diligenter formet, certum videtur ex errore de quo agimus invalidam reddi dispensationem, quia omissa fuit conditio a S. Pontifice præscripta.

3° *De causa fraudulenter posita*, id est, posita ab uno, vel ab utroque contrahente, ex intentione obtinendi dispensationem, vel saltem obtinendi facilius, ut evenit quando ex tali intentione duæ partes impedimento ligatæ habuerunt commercium carnale, vel matrimonium attentarunt. Si in supplicatione expressa non fuerit ea intentio, irrita erit dispensatio. Ita merito cautum est, ne quis ex peccato fraude fructum percipiat, et quia propter illam intentionem denegari posset dispensatio, aut saltem multo difficilius concederetur.

245. *Regula*, III^a^ *est, ut exprimatur* QUOD JUS EXIGIT ET STYLUS CURIÆ ROMANÆ.

Tria sunt quibus applicanda hæc regula: inopia sponsorum matrimonium attentatum, et commercium illicitum.

I. *Inopia sponsorum*, quando dispensatio postulatur *in forma pauperum*, alleganda non est nisi juxta veritatem. Scilicet S. Pontifex non intendit dispensare in ea forma nisi eos qui vere pauperes sunt, in sensu quem intelligit; si quis ergo falso paupertatem alleget, irrita erit dispensatio. Quinam autem censeantur pauperes, non ita facile est determinare: variæ in variis diœcesibus vigent regulæ, quæ servandæ sunt, modo admittantur a Dataria; alioquin ne detur locus anxietatibus circa validitatem dispensationis, tutius est verum fortunæ statum exponere; quod clare, et tamen sine scrupulo præstandum est inquit D. BOUVIER.

246 II. *Matrimonium jam initum.* Si dispensatio postuletur post matrimonium de facto, licet invalide contractum, præter intentionem obtinendæ dispensationis, de qua supra, exponendum est, 1° an partes, vel earum una, bona vel mala fide contraxerint, nempe cum notitia impedimenti quo obstrictæ erant; 2° an

matrimonium consummaverint, et quidem a tempore quo notitiam habuerunt impedimenti, posito quod ab initio ignoraverint ; 3° an clandestine, seu omissis denuntiationibus, contraxerint. Facile intelligitur, facilius aut difficilius, pro variis illis circumstantiis, concedi debere dispensationem.

Hinc si matrimonium civiliter initum sit, illud etiam exprimendum est. Attamen declaravit S. Pœnitentiaria 2 octob. 1829, neque omissionem hujus circumstantiæ, neque celebrationem matrimonii civilis post missam supplicationem, inducere nullitatem dispensationis. Cæterum, si ex una parte sponsi sint culpandi pro inito tali matrimonio ante obtentam dispensationem, ex altera, ratione illius conjunctionis coram lege civili indissolubilis, plurimi interest ut non denegetur dispensatio.

247. III. *Commercium carnale illicitum.* Ut rite intelligatur quod hic dicendum habemus, advertendum est triplicem fingi posse hypothesim : vel enim illud commercium est ipsa origo impedimenti super quo postulatur dispensatio, vel est causa quæ allegatur ad obtinendam dispensationem, vel neutrum est ex his duobus.

Si sit ipsa *origo impedimenti*, v. g. quia sponsus commercium habuit cum consanguinea suæ sponsæ, ex quo ortum est impedimentum affinitatis, satis patet ex regula prima exprimendum esse in libello supplici ; alioquin non exprimeretur ipsum impedimentum. Difficultas superesse potest tantummodo, si, dispensatione jam postulata, sed vel nondum obtenta, vel nondum per delegatum fulminata, novum habeatur commercium : tunc non ideo irritabitur dispensatio, quia exinde non aggravatur impedimentum, et tolletur per delegatum ; secus vero, si post fulminationem, quia tunc jam sublato impedimento, novum exoritur in quo delegatus non habet commissionem dispensandi.

Si commercium allegetur ut *causa obtinendæ dispensationis*, ex dictis in regula secunda exprimendum est an habitum fuerit ex illa intentione : si autem allegaretur, nec tamen habitum fuisset, invalida esset dispensatio, ut pote obreptitia.

Si demum commercium *nec origo* fuerit impedimenti,

nec allegetur ut *causa*, tunc locus est expendendi quatenus exigat stylus curiæ Romanæ ut exprimatur in libello supplici. Agitur de commercio incestuoso inter sponsos : nomine autem incestus intelligitur commercium carnale inter consanguineos et affines ; imo, ut colligi posse videtur ex praxi curiæ Romanæ quam testatur CORRADUS, inter cognatus spiritualiter, et inter ligatos honestate publica. Sed requiritur ut incestus fuerit formalis, et non tantum materialis. Parvi autem refert an sit occultus : solummodo in eo casu recurritur ad Pœnitentiariam, secundum antea dicta (n° 234). Quibus præmissis, quatuor casus distingui possunt, ut res melius elucidetur.

I^us^ *Casus :* quando sponsi commercium habuerunt ante petitam dispensationem. Tunc exprimendum esse illud commercium, simulque intentionem facilius obtinendi dispensationem, si adfuerit, etiamsi commercium non allegaretur ut causa dispensationis, tenet multo probabilior opinio. 1. Talis est stylus curiæ Romanæ. 2. Expresso commercio, alio modo dispensat S. Pontifex ; majorem nempe imponit pœnitentiam, majorem quoque taxam exigit. 3. Ita pluries declaravit S. Congregatio. Unde ait BENEDICTUS XIV. instit. lxxxvii. n° 13, *Nullum dubitandi locum superesse, cum Summi Pontifices mentem suam super hac re clarissime declaraverint :* id autem, inquit, sapientissime constituerunt, ut gravissimum crimen incestus longe a consanguineis arceretur. Cæterum necessarium non est ut exprimatur quoties commercium habitum fuerit cum eadem persona : dici solet simpliciter quod orator oratricem cognovit, quia non major exsurgit difficultas ex commercio pluries, quam ex semel habito.

248. II^us^ *Casus :* si commercium incœperit tantum post oblatam supplicationem, et ante fulminatam dispensationem, obstat ne valide fulminetur, et recurrendum est ad litteras *perinde valere.* Ita fert stylus et consuetudo curiæ Romanæ : et revera, cum ex forma hodierna S. Pontifex præcise non dispenset, sed committat curam dispensandi, delegatus non poterit, in præfato casu, verificare quod nullum commercium exstiterit. Et hæc est communis auctorum sententia.

249. III^us^ *Casus :* si commercium habitum ante

petitionem dispensationis et in ea expressum, postea iteratum fuerit ante ejus fulminationem, irrita non efficitur dispensatio, si sit a Pœnitentiaria quia tenet Pœnitentiaria novam dispensationem non esse necessariam, et, si postuletur, eam concedit tantum ad majorem cautelam ; imo in dispensationibus quas concedit hodie, datur delegato facultas. *Ab incestus usque ad præsentium exsecutionem forsitan iterati reatibus auctoritate apostolica absolvendi.* Si autem agatur de dispensatione Datariæ, quamvis doceant auctores irritam non fieri dispensationem ordinariam, sed tantum dispensationem datam in forma pauperum, ex praxi tamen hodierna sequi videtur omnes dispensationes Datariæ, etiam non in forma pauperum, irritas effici, si iteratus fuerit incestus ; siquidem conceditur episcopis Galliæ a S. Pœnitentiaria facultas hujusmodi dispensationes in eo casu convalidandi.

250. IV^us^ *Casus:* si commercium habeatur post dispensationis fulminationem, longe communior opinio tenet non invalidari dispensationem : quia semel fulminata dispensatione, sublatum est impedimentum, ac proinde non adest amplius incestus ; cumque dispensatio jam suum sortita sit effectum, nihil ostendit hujus irritationem prædicto crimini esse alligatam.

§ 3. *De modo exsequendi dispensationes S. Sedis.*

251. Hic exponendum est ad quem pertineat dispensationum exsecutio, et quid ille servare debeat in ea exsecutione.

1° AD QUEM PERTINEAT *dispensationum exsecutio ?*

I. Si agatur *de rescripto Pœnitentiariæ*, pertinet generatim exsecutio ad confessarium, qui in pœnitentiæ foro sententiam pronuntiare debet. Sed considerandum est quibus verbis dispensatio ad ipsum dirigatur. 1° Si inscribatur, ut olim moris erat, *Theologiæ magistro*, vel *Canonum Doctori*, non poterit alius exsequi : sed hodie pro Galliis hæc clausula non apponitur. 2° Semper exigitur ut confessarius sit *ex approbatis ab ordinario :* unde non posset exsequi confessarius in alia tantum diœcesi approbatus. 3° Additur *per latorem eligendo*, quia permittitur oratori recurrere ad confessarium quem voluerit, modo habeat dotes in rescripto

expressas. Semel facta electione, non ideo amittitur jus ad alium recurrendi : ita servatur in praxi, teste CORRADO, et est sententia communissima multorum contra paucos.

252. II. Si agatur *de rescripto Datariæ*, dirigitur ad officialem, qui illud exsequitur tanquam Sedis Apostolicæ commissarius.

Sed ea occasione plures exoriuntur difficultates, de quibus sigillatim quædam dicere interest.

I. *An dispensatio exsecutioni demandari possit ab episcopo, vel vicario generali ?*

Ut sensus quæstionis rite intelligatur, prænotandum est ex jure canonico non teneri episcopum constituere officialem, imo nec vicarium generalem : item ex jure communi, officialem non distingui a vicario generali ; secus autem in Gallia, ubi isti voluntaria jurisdictio, illi contentiosa committitur. Porro satis intelligitur quæstionem non spectare nisi ad regiones ubi existunt hæc duo munera, et ita notorie distinguuntur, ut Dataria non vicario generali, sed officiali mandata sua inscribat.

His præmissis, prima opinio docet episcopum non posse exsequi dispensationem directam suo vicario ; unde sequitur neque vicarium posse exsequi, si directa sit officiali. Hanc tenent extranei, ut videtur, satis communiter, et non pauci etiam apud nos : quia S. Pontifex non delegat nisi officialem, qui certe diversus est ab episcopo, et apud nos a vicario generali.

Secunda opinio tenet episcopum posse per seipsum, si velit, exsequi dispensationem directam suo vicario generali, vel officiali ; et propter eamdem rationem, posse vicarium generalem, si ita concesserit episcopus, exsequi loco officialis. 1. Cum vicarius generalis ex jure communi non differat ab officiali, judicandum est S. Pontificem hæc duo verba indistincte sumere. 2. Cum episcopus possit carere officiali, potest per seipsum efficere quod efficit officialis. 3. Ex Concilio Tridentino, *sess.* xxii., *cap.* v. *de Reform.* dispensationes committendæ sunt *ordinariis ;* quo nomine intelliguntur episcopi : porro præsumendum non est velle S. Pontificem illorum juribus derogare. 4. Demum hæc est praxis in pluribus diœcesibus recepta ; et nimis durum esset asserere in his vitiatas esse omnes dispensationes.

Quamvis hæc posterioris opinionis momenta suo robore non careant, attamen prudenter agere existimamus episcopos qui eam ad praxim non deducunt : nil tamen obstat quin, absente aut impedito officiali, episcopus alium constituat officialem, aut saltem illius vices gerentem.

253. II. *An vicarius, aut officialis capitularis exsequi possit dispensationem, ante mortem episcopi obtentam ?*

Sensus quæstionis est utrum, si post obtentam dispensationem, sed ante illius fulminationem moriatur episcopus, possit rescriptum exsecutioni demandari a vicario generali, vel officiali capituli ?

Negant illud auctores extranei, et allegant varias Congregationum Romanarum ea de re decisiones. Illud etiam ut certum exhibet BENEDICTUS XIV., *de Synod.* l. ii., c. ix., n° 3 ; quia, licet ille habeat jurisdictionem episcopalem, non est vicarius vel officialis episcopi.

Attamen aliter sentiunt auctores nostri, asserentes talem esse apud nos usum. *Collat. Andegav.* ait illud carere difficultate quoad officialem, quamvis non desint qui illud negent de vicariis capitularibus : ita communiter doceri in Galliis ait D. BOUVIER.

254. III. *Quid, si adsit error circa diœcesim?*

Rescriptum ordinarie dirigitur ad officialem diœcesis contrahentium : si quando ex errore, vel alia causa dirigatur ad officialem alterius diœcesis, non constat inter auctores quid agendum sit. Videtur tamen dispensationem exsecutioni demandari posse ab officiali partium, quia adest sufficiens delegatio. Reperitur enim 1° voluntas S. Pontificis : namque gratiam concedere vult illi qui petiit, cum rescriptum dederit ; atqui illa voluntas includit voluntatem delegandi partium officialem ; constat enim ita semper observari, nisi contrarium exprimatur. 2° Illa voluntas satis manifestatur ex rescripto, quod alioquin nihil prodesset. Excipiendus tamen forte casus quem plures excipiunt, quo nempe interesset S. Pontificis cognoscere veram diœcesim, et ex industria fraus commissa fuisset in libello supplici.

255. IV. *Quid, si contrahentes sint e duabus diœcesibus?*

Quando contrahentes sunt e duabus diœcesibus, rescriptum dirigitur officiali sponsæ. Quidam existimant nihilominus exsecutioni demandari posse ab officiali sponsi ; sed his non assentimur : non potest enim exsequi nisi delegatus : porro delagatus non est officialis sponsi, cum constet intentionem S. Pontificis non esse ipsi committere mandatum, nisi adsit causa quædam peculiaris.

256. V. *An officialis delegatus possit vices suas alteri committere?*

Duplici sensu expendi potest illa quæstio.

1° Vices gerentem, si adsit, posse apud nos supplere vices officialis, saltem absentis, aut ægrotantis, sentiunt plerique auctores ; inter quos DARGENTRE, allegans usum quingentorum annorum.

2° Quoad alterum quem vellet officialis loco suo committere, adest difficultas, propter diversas juris dispositiones. Hæc statuunt auctores. Potest officialis alteri committere auditionem testium, et informationem causæ, non vero ipsam dispensationem, seu Brevis, ut aiunt, fulminationem, galli *l'enterinement*. Prius habetur ut jurisdictio collata officiali, et nullo jure prohibetur eam subdelegare : imo non raro illud necessarium est, quando audiendi sunt testes, qui, sive propter locorum distantiam, sive propter infirmitatem, aut alias causas, ipsum adire nequeunt : committere potest igitur ad eos audiendos, etiam alterius diœcesis officialem, et ita communiter servatur in praxi. Posterius vero habetur ut *certum ministerium*, prout loquitur GREGORIUS IX., quod non potest alteri committi : ipsa nempe sententia, seu judicium, est quid nobilius auditione testium, et aliis formalitatibus sententiæ præviis, et sic explicatur cur ipsi commissario apostolico reservanda sit. Eam theologorum et canonistarum extraneorum doctrinam sequuntur auctores nostri : unde videtur ab ea non esse recedendum.

257. II° QUID AGERE DEBEAT *delegatus ut dispensationem exsecutioni demandet?*

Ille cui exsequenda committitur dispensatio, debet attente considerare varias clausulas in rescripto contentas, easque adamussim observare. De quibusdam hic dicemus, quoad rescripta sive Pœnitentiariæ, sive Datariæ, et difficultates occurrentes solvemus.

I. Præcipua clausula est ut delegatus *diligenter informet* de veritate precum, juxta ea quæ jam diximus : quæstio est, utrum stare possit inquisitioni quæ jam peragi debuit, antequam postularetur dispensatio, ideo-

que sufficiat expendere an ab eo tempore novum aliquid supervenerit ?

1° Quoad rescripta Pœnitentiariæ, olim hæc in illis legebantur : *Quatenus si ita esse, per diligentem oratoris examinationem, ac post monita et consilia opportuna illi praestita, inveneris :* nunc autem dicitur tantum, *Quatenus si ita est,* vel, *Si preces veritate nitantur.* Igitur juxta veterem formulam, si sine examine confessarius dispensationem fuisset exsecutus, videri poterat quod invalide se gessisset, licet vera fuissent narrata : secus autem, secundum recentiorem formulam, tum quia hæc immutatio aliquid operari debuit, tum quia jam nihil indicat examen illud præscribi tanquam formam essentialem.

2° Quoad rescripta Datariæ, sic habent : *Mandamus quatenus...te de praemissis diligenter informes, et si per informationem eadem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus,* etc. Ex his verbis concludit D. Bouvier, " quamvis supponatur informationem factam fuisse a parocho ante dispensationis postulationem, nihilominus alteram faciendam esse per ipsum officialem, vel ut communius fit, per aliquem ab ipso delegatum ; non tamen id requiri sub pœna nullitatis, modo causæ S. Pontifici expositæ reipsa veræ sint, quia S. Pontifex non præcise informationem, sed rei veritatem sub pœna nullitatis præscribere videtur." Revera in pluribus diœcesibus, nova non fit informatio ; sed delegatur parochus, qui, si nihil obstet, statim ad matrimonii celebrationem procedit.

In aliis tamen pluribus diœcesibus retenta est olim vigens consuetudo, juxta quam nova fit informatio ante dispensationis fulminationem : illudque tutius nobis videtur. Nam 1° vix aliter impleri posse videtur clausula in rescripto expressa. Non ignorat S. Pontifex ante dispensationis postulationem informationem quamdam fieri debuisse ; merito ergo censetur novam exigere, in verbis allatis. Illudque verum est, præsertim si prior informatio nec ab officiali, nec ipsius nomine facta fuerit : tunc enim non obtinetur scopus S. Pontificis, qui non informationem qualemcumque, sed factam per suum delegatum exigit. 2° Si admittatur, ut supra diximus (n° 256), officialem posse quidem dele-

gare quoad informationem, non vero quoad ipsam dispensationis concessionem, difficile concipitur quomodo possit rescriptum transmittere parocho, ut statim ad matrimonii celebrationem procedat sine novo ad ipsum recursu. 3° Esto quod jam dispensationis causæ verificatæ fuerint ante postulationem: sed ex eo tempore potuit fieri aliqua essentialis in his mutatio; potuit etiam novum aliquid supervenire, adeo ut dispensatio invalida exinde reddatur; cum ergo non minus essentiale sit de his inquiri, ac de ipsarum causarum veritate, nova videtur requiri informatio ante dispensationis exsecutionem.

258. II. In rescriptis Pœnitentiariæ, cum agatur tantum de foro conscientiæ, apponitur nunc hæc clausula, *Audita prius ejus sacramentali confessione*. Unde necessitas confessionis non potest hodie in dubium revocari. Sed difficultas est an sufficiat quæcumque confessio, an vero requiratur ut ipsa absolutio subsequatur; et quid dicendum, si confessio sit nullaet sacrilega? Ex responsione S. Pœnitentiariæ, apud COMPANS, irrita non erit dispensatio, etiamsi contingat pœnitentem nulliter et sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere: quod si confessarius advertat pœnitentem, ex sua indispositione, a peccatis absolvi rite non posse, debet una cum absolutione differre dispensationem, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationem accelerare. Porro hodie non raro occurret illa necessitas.

259. III. *Quid, si error in rescripto irrepserit?*

1° Si adsit error *circa nomen oratoris*, contendit CORRADUS dispensationem exsecutioni demandari non posse, addens ita ferre stylum notorium et antiquissimum, ad præcavendas fraudes. Non pauci tamen contrarium tenent: quia nomen est aliquid mere accidentale, modo aliunde de persona satis constet.

2° Si adsit *circa impedimentum* vel *circa causas* error qui non aderat in libello supplici, quidam absolute dicunt exsecutioni demandari non posse: ita CORRADUS et alii non pauci. Alii distinguunt, an error seu mutatio locum habuerit ex facto scribarum antequam supplicatio porrigeretur S. Pontifici, an postea tantum: sed cum illud vix cognosci possit, in praxi plerumque

satis difficile erit ut exsecutioni mandetur talis dispensatio.

260. IV. *An rescriptum S. Pontificis possit, post illius mortem, exsecutioni mandari?*

1° Si agatur de rescripto Pœnitentiariæ, cum ipsa perseveret etiam mortuo S. Pontifice, nulla adest ratio dubitandi.

2° Si agatur de Dataria, quando dispensatio est jam concessa, sed nondum confectæ sunt litteræ, et interim moritur S. Pontifex, litteræ non conficiuntur: sed si jam confectæ sint, usu quotidiano constat posse exsecutioni mandari.

261. V. *Utrum dispensationis mentio scripto consignanda sit?*

1° Si agatur de dispensatione super impedimento occulto, per Pœnitentiariam concessa, sic fertur in rescripto: *Præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis; neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur.* Hæc postrema verba non sunt intelligenda in eo sensu, quod exinde dispensatio irrita efficeretur; statuunt tantum litteras hujusmodi nunquam in foro externo suffragari posse. Ex quo intelligitur dispensationem illam non esse registro inscribendam. Aliquando tamen præter illas litteras quæ lacerari debent, alias addit Pœnitentiaria quæ servari possunt, ut de matrimonio constet: tunc peragenda sunt quæ in ipsis præscribuntur.

2° Quando agitur de dispensationibus concessis per Datariam, debent in registris officialitatis, vel in secretario episcopatus accurate describi, ut de matrimonii canonicitate constare possit. Debet pariter parochus, qui matrimonium celebrat, dispensationis mentionem facere in actu seu instrumento matrimonii, ut sive contrahentium, sive prolis ex conjugio nascituræ, status in tuto collocetur: ita monent auctores, et præscribitur in Ritualibus.

§ 4. *De modo obtinendi dispensationes ab episcopo, et eas exsequendi.*

262. Tria hic præcipue investiganda habemus.

I. *An necessarium sit ea omnia exprimere quæ ex dictis exprimenda sunt, quando recurritur ad S. Pontificem?*

Distinguendum est cum COLLET :

1° Si episcopus dispenset virtute indulti, necessarium est ut sequatur, quantum fieri potest, regulas a S. Pontifice constitutas : quia S. Pontifex non censetur ipsi concedere facultatem dispensandi, nisi eo modo quo ipse dispensare consuevit. Cum tamen in diœcesibus ordinarie non institutum sit speciale tribunal pro casibus occultis et infamantibus, sæpe vix possibile erit omnes regulas sequi quæ in Romanis tribunalibus vigent. Non est verisimile quod velit S. Pontifex tunc nihilominus servari illas regulas sub pœna nullitatis. Attamen optandum esset ut ea de re aliquid certum suppeteret.

2° Si episcopus dispenset jure ordinario aut quasi ordinario, ad sensum supra expositum (n° 223 et seq.), non adstringitur regulis Cancellariæ, et iis quæ non exiguntur nisi stylo curiæ Romanæ ; sed iis tantum quæ requiruntur sive jure communi, sive ex ratione naturali, ut vitetur obreptio et subreptio.

3° Si ipse episcopus, quemadmodum S. Pontifex quasdam regulas constituisset, et declaravisset se nolle aliter dispensare, iis omissis etiam inculpate, irrita esset dispensatio, quia deficeret voluntas dispensantis.

263. II. *An, si contrahentes sint e duobus diœcesibus, requiratur utriusque episcopi dispensatio ?*

1° Requiri ex præcepto satis communiter admissum videtur ; talis est usus, et ita fieri rectus ordo et optima disciplina postulant.

2° An requiratur sub pœna nullitatis, magis controvertitur. Non desunt qui putent sufficere dispensationem unius episcopi, quia impedimentum est aliquid correlativum : ergo, quando sublatum est in uno, jam non existit in altero.

Attamen alii communius existimant requiri utriusque episcopi dispensationem. Deducitur tum ex usu, tum ex ratione : episcopus non habet jurisdictionem nisi in proprium subditum ; ergo dispensatio est necessario conditionata, id est, posito quod subditus alterius episcopi ab ipso quoque dispensetur.

Cæterum duo hic advertenda sunt. 1° Sicubi vigeat usus ut unius tantum episcopi dispensatio requiratur, huic standum erit, quia tunc censebitur et proprio et alterius nomine dispensare. 2° Ex pluribus responsis S. Pœnitentiariæ, bis ultimis temporibus datis. "Quilibet ordinarius, agendo cum facultate non ordinaria, sed a S. Sede absolute, simpliciter, et absque ulla conditione delegata, dispensandi eum suis diœcesanis, potest (facta in singulis actis expressa mentione Apostolicæ delegationis) dispensare super aliquo canonico impedimento, etiam in casu in quo una persona ab impedimento ligata est suæ diœcesis, altera vero alienæ; quia ea facultas procedit a Papa, et sublato impedimento ex una parte cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, cum ligamen non amplius inter utramque partem existat."

264. III. *A quo et quomodo exsequendæ sint seu fulminandæ dispensationes episcopales.*

Dispensationes episcopales non solent dari *in forma commissaria*, ac proinde earum fulminatio non differt ab ipsarum concessione: ille autem ad quem diriguntur, sive sit parochus, sive confessarius, sedulo attendere debet si quid in iis præscribatur, illudque accurate exsequi.

ART. 4. *De ratione agendi tenenda quando impedimentum canonicum non fuit per dispensationem sublatum.*

265. Expendere oportet, quid in eo casu, sive ante, sive post matrimonium initum, ab ipsis sponsis præstandum sit, quid ab eorum confessario aut pastore; quod quidem quatuor paragraphis explicabimus: quid nempe agendum ab ipsis sponsis, 1° ante matrimonium initum; 2° postquam initum est, et nondum revalidatum; 3° quid, ut revalidetur; 4° demum quid agere debeat confessarius aut parochus quando inter nupturos vel jam nuptos detegit aliquod impedimentum.

§ 1. *An sponsi ligati impedimento possint aliquando matrimonium inire, non obtenta prius dispensatione?*

266. Quæstio generatim spectata vix ullum patitur

difficultatem: difficultas oriri potest tantum in casu necessitatis, aut dubii. Sit itaque.

ASSERT. 1.—*Inire matrimonium cum impedimento, nec obtenta dispensatione, est per se peccatum grave.*

Prob. Ita omnes theologi: tum quia violatur præceptum in materia magni momenti, tum quia gravis committitur irreverentia erga sacramentum: unde si adsit impedimentum dirimens, certum est peccari lethaliter: si vero adsit impedimentum prohibens tantum, communius idem docent auctores, quia semper violatur lex in materia gravi.

Not. Præter peccati reatum, incurritur, ex decreto Concilii generalis Viennensis, pœna excommunicationis ipso facto ab iis qui "scienter in gradibus consanguinitatis aut affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; necnon a religiosis et monialibus ac clericis in sacris ordinibus constitutis matrimonium contrahentibus." Sed, ex communi Doctorum sententia, excommunicatio illa non est absolute reservata: si tamen dicti contrahentes denuntiati fuerint excommunicati, ut ibidem præscribitur, absolvi poterunt a solo episcopo.

267. ASSERT. 2.—*Ipsa necessitas nec impedimentum tollit, saltem generatim loquendo, nec licitum reddit matrimonium sine dispensatione.*

Prob. 1ª *pars.* Licet leges ecclesiasticæ desinant obligare cum observari nequeunt absque gravi incommodo, ex communi Doctorum sententia illud applicandum non est legibus irritantibus, et præsertim in matrimonio. Nam 1° leges hujusmodi directe feruntur in bonum publicum, potius quam in bonum privatorum: porro æquum est ut bonum publicum anteponatur bono privato. 2° Magnum adest discrimen inter legem irritantem actum qui haberet effectum permanentem et nocivum bono publico, et legem prohibentem actum mere transitorium: in posteriori casu, v. g. ubi de abstinentia vel jejunio, non ita magnum exoritur incom-

modum, si lex uno actu violetur ; maximum vero oriri poterit, si ineatur matrimonium bono publico noxium. Hæc omnia evolvuntur in Tr. *de Legibus*.

Dixi *Saltem generatim loquendo*, quia 1° ubi agitur de clandestinitate, lex obligare desinit, quando impossibilis est recursus ad parochum, prout jam (n° 189) vidimus. 2° In casibus quibusdam extraordinariis, v. g. si quis in insulam remotissimam tempestate conjiceretur, quidam putant ipsi licitum fore matrimonium inire, non obstante impedimento disparitatis cultus vel alio impedimento juris mere ecclesiastici, si aliter nubere non posset.

Prob. 2ª *pars*, contra quosdam qui putant eum qui tale matrimonium init, ad avertendum grave malum, non peccare, si vere et ex animo consentiat, et peccare tantum venialiter, si non nisi ficte consentiat. 1° Cum matrimonium fiat cum omnibus solemnitatibus quæ sacramentum comitantur, huic sane irreverentia infertur. 2° Qui sic contrahit, multis incommodis, sibi et societati noviis, sese exponit, præsertim si omnia ita fiant, ut nullitatem probare nequeat, vel saltem ea nullitas coram tribunalibus non sit admittenda, ut hodie accidet, si agatur de impedimento mere ecclesiastico. Ergo, nisi ignorantia et bona fides excusent, matrimonium inire in casu allato est grave peccatum. 3° Si ficte consensus præbeatur, mendacium hujusmodi, in re tanti momenti, coram Deo et Ecclesia emissum, haberi nequit ut veniale tantum : porro difficile videtur ut vere intendat contrahere, qui novit contractum esse prorsus irritum.

268. Assert. 3.—*Non licet inire matrimonium cum impedimento dubio aut probabili.*

Prob. Ex principiis quæ stabiliuntur in Tr. *de conscientia*. Non licet agere cum dubio aut mera probabilitate, nisi præsto sint principia reflexa vi quorum efformetur conscientia practice certa : atqui hic præsto non sunt. Non enim sufficiunt principia generalia probabilistarum, ut alibi, ni spes fallat, ostendemus. Nec ulla afferunt præsenti materiæ specialia. Quod enim aiunt, in casu dubii aut meræ probabilitatis Ec-

clesiam tollere impedimentum, non potest applicari impedimentis juris naturalis aut divini, imo juxta graviores probabilistas, nec impedimentis juris ecclesiastici quando adest tantum dubium facti: et insuper quoad alia impedimenta est prorsus gratuitum, videturque omnino falsum; si enim ignorantia invincibilis non impediat vim legis irritantis, ut communiter docent auctores, præsumi nequit impediri per simplex dubium aut meram probabilitatem.

Hinc probari etiam potest assertio ex decisione INNOCENTI XI. juxta quam non licet, ubi agitur de valore sacramentorum, sequi opinionem dubiam aut probabilem: etenim hic agitur de valore sacramenti, et omnino applicari videtur ratio decisionis; quamcumque etenim opinionem sibi efformaverit agens, non inde efficietur matrimonium validum, posito quod in rei veritate existat impedimentum: ac proinde aderit sacramenti profanatio.

§ 2. *An conjuges qui certitudinem habent aut dubium de nullitate sui matrimonii, possint petere aut reddere debitum conjugale, quandiu matrimonium non est revalidatum.*

269. Exstant ea de re in jure canonico tres decisiones, quas ab initio proferre juvat.

I^a^ est Innocentii III., *cap. Inquisitioni*, xliv. *De sentent. excommun.*, et respicit quodlibet impedimentum generatim: "Credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii ...quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu, debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo, distinguimus utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta: et quidem ad sui pastoris consilium conscientia levis et temerariæ credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra le-

gem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam."

II[a] decisio est Lucii III. cap. *Dominus*, ii. *de Secund. nuptiis*, et versatur circa impedimentum ligaminis: loquens de eo qui matrimonium contraxit, *non habita obeuntis conjugis certitudine*, et de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ait: " Ei quæ sibi nupsit debitum non deneget postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum."

III[a] demum est Cœlestini III. cap. *Laudabilem*, v. *de Frigidis*, et respicit impedimentum impotentiæ: quando nempe dubium exoritur circa impotentiam, " Nos præsenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non posset, cohabitent per triennium."

270. His præmissis, tres casus supponi possunt.

I[us] Casus: *De iis qui certi sunt* de nullitate matrimonii: Nec petere, nec reddere possunt debitum conjugale. Constat ex decisione Innocentii III. et ratio est per se evidens.

Sed quædam regulæ prudentiæ sunt servandæ. 1° Quando impedimentum est publicum, deberent partes ad tollendum scandalum, etiam quoad habitationem separari; sed quando agitur de pauperibus, aliquando impossibilis est ea separatio, etiam ad quoddam tempus: tunc alio modo providendum ut tollatur scandalum. 2° Si impedimentum sit occultum erga exteros, licet duabus partibus notum, non debent separari quoad habitationem, quia ex ea separatione vel scandalum, vel earum infamia sequeretur. Si tamen ex communi habitatione immineret periculum, et separatio fieri posset sub aliquo prætextu quo præcaverentur incommoda, procul dubio facienda esset. 3° Demum si una tantum pars impedimentum cognoscat, v. g. quia per crimen aliquod huic locum dedit, non tenetur illud alteri manifestare, quia nemo tenetur propriam turpitudinem revelare; et aliunde ex ea manifestatione gravissima plerumque sequerentur incommoda. Cum igitur, donec redintegratum fuerit matrimonium, omnino abstinere teneatur ab usu matrimonii, sibi consulet meliori quo poterit modo juxta circumstantias.

271. II[us] Casus: *Quando unus tantum debitat* de valore matrimonii.

1₀ Eum posset et debere *reddere debitum* admittunt communissime theologi, sive probabilistæ, sive antiprobabilistæ, propter decisiones Innocentii III. et Lucii III.; illas enim decisiones respicere forum internum ex earum inspectione satis patet. Sed non consentiunt inter se qua ratione nitatur hæc decisio, quam suæ sententiæ accommodare conantur sive probabilistæ, sive antiprobabilistaæ. Putamus nos, tutius esse ut reddatur debitum, quia per redditionem incurritur tantum periculum violandi castitatem, si matrimonium sit irritum; dum per denegationem incurreretur periculum injustitiæ erga alterum conjugem. Porro gravius urget præceptum justitiæ quam continentiæ. Quamvis autem ubi agitur de impedimento ligaminis de quo loquitur Lucius III., incurratur quoque periculum injustitiæ erga priorem conjugem, si forte vivit, dici potest periculum esse gravius erga secundum conjugem, qui per denegationem exponitur variis periculis, incontinentiæ, iræ, suspicionum, blasphemiæ, etc. Sed quidquid sit de his rationibus, sequenda est decisio allata; et quidem etiam in casu quo dubium jam existebat tempore quo initum est matrimonium: deducitur tum ex declaratione Lucii III. tum quia mala fides unius non debet nocere alteri, qui supponitur in bona fide. Sed non applicatur decisio, quando altera pars aliunde privatur jure petendi debitum, v. g. per adulterium, etc. Ita admittunt etiam multi probabilistæ. Et revera tunc redditio omnino æquiparanda est petitioni, ac proinde iis tantum permittenda quibus petitio permittitur.

2₀ Existimamus cum antiprobabilistis eum qui dubitat non posse *petere debitum*. Huc veniunt nostra principia circa conscientiæ informationem: huc specialiter decisiones Innocentii III. et Lucii III. Excipimus tantum casum dubii circa impotentiam, ad quem spectat decisio Cœlestini III.: et ratio specialis est, quia non nisi per experimentum cognosci potest an matrimonium sit validum.

Probabilistæ vero inter se scinduntur. Complures simpliciter permittunt petitionem debiti, decisionesque

Pontificias restringunt ad illum qui probabilitatem habet de nullitate sui matrimonii, et nullam de valore, aut qui diligentiam non adhibuit ad inquirendam veritatem, aut qui dubium practicum non deposuit.—Alii vetant quando dubium versatur circa mortem præcedentis conjugis, quia tunc possessio stat pro priori matrimonio ; permittunt vero in aliis casibus.—Alii permittunt, quando dubium supervenit matrimonio jam inito ; vetant, quando dubium præcessit.

Verum duas posteriores opiniones explodit generalitas verborum Innocentii III. ; priorem vero sensus genuinus utriusque decisionis, Innocentii III. et Lucii III., si attente inspiciatur.

272. III^us^ Casus : *Quando uterque dubitat* de valore matrimonii. Existimamus pariter cum antiprobabilistis neutri licitum esse petere, ob rationes modo allatas, quia id nempe tutius ; neutri licitum reddere, quia petens nullum jus habet petendi.

Inter probabilistas autem sunt, licet numero pauciores, qui indiscriminatim permittunt ; sunt qui distinguunt inter impedimentum ligaminis, et alia impedimenta ; sunt et quamplurimi qui distinguunt inter dubium superveniens matrimonio, in quo permittunt et petere et reddere, et dubium præcedens, in quo utrumque vetant.

Verum ex qua parte assertioni nostræ contradicunt, possunt ex antea dictis satis refelli.

273. Una superest difficultas solvenda, quæ ex nostris principiis exsurgit : *Utrum conjux dubitans debeat alterum monere ?* Scilicet si moneat, jam neuter jus habebit petendi, nec proinde aderit obligatio reddendi, et sic omne peccati periculum removebitur.—Sed constat saltem eam monitionem non esse semper faciendam ; alioquin nunquam applicari deberent decisiones juris canonici. Et reipsa aliquando dubitans seipsum infamaret ; sæpe probare non posset verum adesse dubium, sicque alter non teneretur ei credere ; forsan alter vellet a matrimonio resilire, non sine multis periculis et incommodis. Si tamen aliquando nihil tale timendum esset, facienda esset monitio : sed id raro eveniet.

§ 3. *Utrum et quomodo conjuges qui advertunt sui matrimonii nullitatem curare debeant ut revalidetur.*

274. Quando matrimonium fuit invalide initum, sic nuptis unum ex his quatuor mediis adhibendum est: debent vel petere matrimonii dissolutionem, seu potius sententiam quæ illud irritum declaret: vel ab invicem discedere, ita ut sub variis prætextibus, licet non legaliter, inter eos separatio fiat; vel vivere ut frater et soror; vel denique matrimonium redintegrare. Quodlibet ex iis mediis sua habet commoda, sua et aliquando incommoda. Sed quamvis ordinarie non nisi obtenta dispensatione adhiberi possit quartum medium, plerumque satius erit ad illud recurrere, nempe redintegrare matrimonium; ideoque ordinarie ad id hortandi sunt conjuges. Quomodo autem illud præstandum sit nunc exponendum habemus.

Tres fingi possunt hypotheses, prout matrimonium fuit invalidum ex defectu consensus, vel ob clandestinitatem, vel ob aliud impedimentum: quid in unaquaque servandum sit sigillatim explicabimus.

275. I^a^ Hypothesis: *Quando matrimonium fuit irritum ex defectu censensus.*

Triplicem Casum distinguere possumus. I^us^ Casus: *Si defectus consensus fuerit publicus*, aut publicus evaserit. Facile intelligitur matrimonium tunc de novo ineundum esse coram parocho et testibus.

II^us^ Casus: *Si defectus consensus*, licet occultus, *sit alteri parti notus.* Tunc necessarium est ut privatim renovetur consensus utriusque conjugis.

III^us^ Casus: *Si defectus consensus sit alteri parti ignotus.* Satis est, absolute loquendo, ut consentiat qui non consensit, dummodo cognoscat prioris matrimonii nullitatem, et alter consensum suum non revocaverit.

Prob. Ad hoc sufficit ut consensus alterius partis fuerit ab initio validus, et perseveret quamdiu non est revocatus. Atqui 1° consensus alterius partis fuit ab initio in se validus, et invalidus tantum quoad effectum. Eatenus enim fuisset invalidus, quatenus fuisset sub ea tantum conditione præstitus, ut alter quoque consensus hic et nunc, saltem moraliter loquendo, accederet,

Atqui non ita est : nam de hujusmodi conditione cogitatum non fuit ; aliunde hæc non exigitur a Jure seu consuetudine, nec ad æqualitatem contractus, qui in omni sententia irrevocabilis non erit, nisi posito utriusque consensu ; demum locum datura esset multis difficultatibus, quia nisi exigatur coexistentia physica utriusque consensus (quod e medio tolleret contractus per procuratorem et inter absentes), vix determinari poterit quanto temporis spatio alligatus fuerit prior consensus. Ergo consensus ab initio datus fuit validus. 2° Consensus sic datus perseverat quamdiu non est revocatus : est enim aliquid morale a tempore independens ; igitur absque novo cujusquam actu effectum suum producet, statim atque sublatus fuerit defectus qui ex alterius parte obstabat, sicque ex concursu duplicis consensus efformabitur matrimonium.

Dixi tamen 1° *Modo pars quæ renovat consensum cognoscat prioris nullitatem :* alioquin consensus daretur ex errore ; non posset censeri novus consensus, sed continuatio prioris consensus invalidi, ac proinde semper invalidus remaneret.

Dixi 2° *Modo altera pars non revocaverit consensum ;* alioquin uterque consensus concurrere non posset, nec proinde contractum efformare.

Dixi 3° *Absolute loquendo*, quia opinio contraria, probabilitate non carens, in praxi tenenda est, quando id sine incommodo fieri potest ; unde ea quam propugnamus non nisi in casu necessitatis inserviet.

Disputant auctores an ille novus consensus necessario debet esse externus. Sed quidquid sit, necessarium non erit ut præmoneatur altera pars de novo illo consensu : satis manifestabitur eo quod cum illa agetur veluti cum conjuge ; ac proinde in praxi non erit difficultas.

Ex his intelligitur 1°, quando matrimonium irritum fuit ex defectu consensus, opus non esse dispensatione, imo nec esse dispensationi locum : 2° non esse necessariam Concilii Tridentini formam nisi ille defectus sit publicus ; istud plenius adstruetur ubi de tertia hypothesi (n° 280).

276. II^a^ Hypothesis : *Quando matrimonium irritum fuit ob clandestinitatem.*

Hic est casus matrimoniorum mere civilium, ex dic-

tis (n° 191). Porro tunc duplex occurrit modus matrimonium convalidandi.

1us *Modus*, sine ulla dispensatione : renovetur consensus, et adhibeatur formalitas omissa, nempe præsentia parochi et testium.

Si duo conjuges in id consentiant, nulla erit difficultas. Solummodo videndum erit an nullitas matrimonii sit occulta, an publica. Si occulta, secreto contrahendum erit coram parocho et duobus selectis testibus, ad vitandum scandalum. Si publica, publice procedendum erit, nisi ob peculiares circumstantias aliud expediat, et alia ratione removeri possit, et quam primum removeatur scandalum. Ita card. CAPRARA in *Instruct. super matrimon. invalide initis tempore perturbat. Gallicæ.* n^is^ 6 et 7.

Sed *si una pars renuat se sistere coram parocho*, ut sæpe evenit, expendetur undenam oriatur hæc renuentia. 1° Si ex indispositione ad sacramentum pœnitentiæ nec paternis monitis rite disponi possit, et tamen assentiatur renovationi matrimonii, "Non erit illicitum, inquit idem Cardinalis, n° 8, ad matrimonii celebrationem procedere, non obstante illius indispositione. Pars enim innocens et instans, attentis circumstantiis, licite utitur jure suo : Ecclesiæ minister eidem innocenti directe ac licite reddit jus suum, et indigna renuentis susceptio ejus duntaxat indispositioni tribuenda est." Si aliunde proveniat renuentia, vel si adduci nequeat matrimonium in facie Ecclesiæ convalidandum, "Tunc, pergit idem Cardinalis, n° 11, satagendum est ut specialem procuratorem constituat qui ejus nomine matrimonium contrahat de more : aut saltem expresso consensu de præsenti per epistolam directam proprio parocho, vel alteri sacerdoti ordinarii aut parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur."

277. II^us^ *Modus* matrimonium convalidandi est, ut obtineatur dispensatio. Scilicet, si hactenus exposita obtineri, nequeant, requiritur dispensatio, quia lex Concilii Tridentini urget, quamdiu non fuit impleta. Jam vero si concederetur dispensatio simplex ab illa lege, sufficeret ut conjuges consensum inter se renovarent : sed concedi non solet talis dispensatio. Si autem concedatur dispensatio *in Radice*, quæ huic etiam

impedimento applicari potest, ut videbimus, tunc servanda ea quæ infra dicemus loquendo de tali dispensatione pro aliis impedimentis.

278. Quid vero, *si matrimonium caruerit benedictione sacerdotali*, nec tamen irritum fuerit?

Quæstio illa de triplici casu occurrere potest.

1° *De Matrimoniis infidelium.* Nihil indicat in traditione aut Ecclesiæ annalibus, fuisse in more positum, ut quando duo infideles valide nupti ad fidem convertebantur, eorum matrimonium coram Ecclesia benediceretur; neque etiam viget ea praxis in missionibus apud infideles. Unde dicunt auctores gratiam sacramenti, aut saltem benedictioni nuptiali annexam, suppleri posse per alia sacramenta frequenter recepta.

Cæterum valde dubium est an, etiam suscepta benedictione, tale matrimonium fieri posset sacramentum: de quo jam antea egimus (n° 49).

2° *De Matrimoniis hæreticorum.* Generalis Ecclesiæ praxis est etiam ut non benedicantur matrimonia hæreticorum qui convertuntur, quando in hæresi fuerunt valide inita. Contrarium tamen statuit Claudius DE SAINCTES, episcopus Ebroicensis, in Synodo habita an. 1576: et ubi actum est de matrimoniis Hollandiæ, testabatur archiepiscopus Mechliniensis hanc esse missionariorum praxim, ut matrimonia renovari curarent, quando id commode fieri poterat, et benedictionem conferri. Cum Ecclesia nec præcipiat, nec prohibeat eam renovationem, servanda videtur variorum locorum consuetudo.

3° *De matrimoniis eorum qui non potuerunt recurrere ad parochum.* Declaravit PIUS VI., "Fideles hortandos esse, ut cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit hujusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere." Idem statuit card. CAPRARA. Ante hæc tempora, videtur praxim Ecclesiæ non fuisse ut ad recipiendam benedictionem induceret, sive in hoc casu, sive quando alia de causa omissa est benedictio nuptialis: ita testatur BENEDICTUS XIV. *de Synod.* l. viii. c. xiii. n° 8.

Cur autem in triplici illo casu Ecclesia non præcipiat benedictionem, colligi potest ex antea dictis (n°s 43, 49).

279. III^{a} Hypothesis : *Quando matrimonium irritum est ob aliud impedimentum.*

Semper requiritur dispensatio, nisi impedimentum lapsu temporis, vel circumstantiarum mutatione desierit, ut evenire potest circa ætatem, metum, ligamen, etc. Duplex autem dispensationis species distinguitur: dispensatio simplex, et dispensatio *in Radice :* de utraque sigillatim dicendum.

I^{us} Modus : *Cum dispensatione simplici.* Duplicem statuemus assertionem.

Assert. 1.— *Ut revalidetur cum dispensatione simplici matrimonium irritum, regulariter requiritur renovatio consensus utriusque conjugis, prius certiorati de nullitate matrimonii.*

Prob. Id sequitur ex natura hujusce dispensationis, quæ conjuges reddit habiles tantum in posterum, et in ordine ad novum consensum. Quod ut melius evolvatur, explicandæ sunt et adstruendæ singulæ assertionis partes.

Dicitur 1° *Requiritur renovatio consensus utriusque conjugis.* Id per se patet, quando impedimentum est utrique notum. Sed si uni tantum notum sit, et alteri manifestari nequeat, ut plerumque evenit, sine gravibus incommodis, quidam docuerunt sufficere ut renovetur consensus ab illo qui impedimentum novit. Verum communiter docent auctores requiri ut renovetur ab utroque. Deducitur 1. ex praxi et mente Ecclesiæ, quæ magnum agnoscit discrimen, quoad consensus renovationem, inter dispensationem simplicem, et dispensationem in radice : porro nullum adesset sub illo respectu, si simplex dispensatio eximeret a renovando consensu. 2. Ex ratione. Impedimentum tollit efficaciam consensus ab ipso principio ; ergo remanet inefficax, nisi renovetur, et proinde nullum effectum potest producere, quia perseverat eodem modo quo datus est ; dispensatio autem simplex non sanat vitium quod præcessit, sed partes reddit solummodo capaces in posterum.

Addimus tamen *Regulariter*, quia si ageretur de impedimento quod unam tantummodo partem attingeret,

eamque solam inhabilem redderet, tunc videretur applicari posse quæ supra diximus (nº 275) de casu in quo una pars ficte consensit; sufficeret renovatio consensus ex parte inhabilis: etenim consensus alterius fuit ab initio validus; nunc perseverat; ergo, accedente consensu illius qui invalide consenserat, perficietur contractus. Hinc si fidelis duxisset non baptizatam, quæ ignorat impedimentum, sufficeret ut, cessante infidelitate vel obtenta dispensatione, fidelis renovaret consensum, quia consensus infidelis fuit validus, cum Ecclesia non potuerit ipsi imprimere inhabilitatem personalem. Quidam id extendunt ad alia impedimenta; sed saltem plerumque utramque partem afficit impedimentum, ac proinde utraque pars renovare debet.

Dicitur 2º *Certiorati prius de nullitate matrimonii:* quia theologi communis id requirunt; et merito. Etenim renovatio consensus, ut tollatur matrimonii nullitas, procedere necessario debet ex intentione efficiendi matrimonium; ille autem qui credit prius matrimonium fuisse validum, non vult matrimonium efficere, sed tantum renovat et ratihabet prius initum; quod cum nullum sit, hujusmodi consensu convalidari non potest. Illudque verum est præsertim, quando agitur de conjuge qui præsumitur matrimonium dissoluturus, si nullitatem agnosceret; tunc censetur dicere se velle matrimonium, sed quale fuit ab initio, et non aliud.

Docent tamen plures non requiri notitiam explicitam nullitatis, sed sufficere ex natura rei consensum isto modo datum: *Volo* (et non tantum *vellem*) *te accipere in conjugem, si forte non valeat nostrum matrimonium.* In eo enim casu, adest cognitio æquivalens: non tantum intendit in matrimonio inito perseverare, sed denuo contrahere sub conditione; cum autem conditio existat, vere contrahit: unde consensus non datur ex errore.

Dixi *Ex natura rei*, quia aliquid amplius exigere videtur S. Pœnitentiaria, quæ apponit semper in suis rescriptis hanc clausulum: altera parte *de nullitate prioris consensus certiorata.* Nonnulli, ait BENEDICTUS XIV. *Instit.* lxxxvii. nº 67, solam instructionem, non vero conditionem illis S. Pœnitentiariæ verbis contineri censuerunt; quæ proinde prætermitti possit, quando gravia inde timentur incommoda. Ipse tamen judicat,

nº 68, haud probari posse illorum opinionem; nam certissimum est inter jurisperitos quod vera conditio ex ablativo absoluto consequitur; qua de re prætermitti nullo modo potest, licet gravissima incommoda interponantur. Deinde ostendit eam inniti juri communi, et consentaneam esse magis probabili auctorum opinioni. Unde intelligitur in praxi obsequendum esse huic mandato S. Pœnitentiariæ.

Hinc varios modos excogitarunt auctores ad obtinendam renovationem consensus a parte impedimenti inscia, qui apud ipsos videri possunt. Unum tantum indicabimus, quia cæteri clausulæ memoratæ non satisfaciunt. Is est ut pars impedimenti conscia dicat alteri: *Non rite consensi matrimonio; unde ex consilio confessarii oportet ut renovemus consensum.* Sic conjux ignarus impedimenti matrimonium irritum cognoscit, neque ullum mendacium admiscetur, quia certum est non rite traditum fuisse consensum: hinc unanimes theologi hunc modum cæteris anteponunt. Verum satis intelligitur, non raro multa inde sequi posse incommoda: tum quia altera pars facile suspicabitur aliquid amplius adesse, tum quia forsan matrimonium dissolvere attentabit. Aliquando forsan, rebus omnibus diligenter examinatis, nova aliqua ratio invenietur, qua ignaro conjugi irritum matrimonium declaretur, nec tamen pateat crimen quod impedimentum induxit, et nulla prorsus incommoda consequantur: sed aliquando etiam vix aliud supererit medium, ad redintegrandum matrimonium, ac dispensatio *in Radice*, de qua mox dicemus.

280. Assert 2. — *Non est necesse ut consensus renovetur coram parocho et testibus, nisi vel omissa fuerit prima vice hæc formalitas, vel impedimentum sit publicum.*

Prob, et explicatur. 1º Si omissa fuerit formalitas præscripta a Concilio Tridentino, facile intelligitur ex dictis huic satisfaciendum esse. 2º Pariter *si impedimentum sit publicum*, idem agendum est ac si nunquam celebratum fuisset matrimonium coram Ecclesia, quia alioquin non constaret Ecclesiæ de validitate matrimonii; sicque novum impune iniri posset. Ita admit-

tunt omnes, et exigunt Brevia Datariæ. 3° Demum *si impedimentum sit occultum*, licet quidam existiment nihilominus contrahendum esse denuo coram parocho et testibus, illud non esse necessarium docet BENEDICTUS XIV. *Instit.* lxxxvii. n° 62, et supponit jam nullam superesse debere difficultatem. 1. Ex auctoritate. Ita statuit S. Pœnitentiaria ex auctoritate S. Pii V.; ita S. Congregatio Concilii; ita demum varia Romæ tribunalia, quæ aliter aliquandiu judicare visa fuerant. Hæc omnia refert Benedictus XIV., *ibid.* 2. Ex ratione. Lex Concilii Tridentini non respicit casum de quo nunc agimus. Etenim danda non est illi legi extensio, quæ esset inutilis, imo et noxia; atqui esset inutilis: satis enim constat Ecclesiæ de matrimonio, et obtentus fuit finis consilii; si vellent sic nupti novum matrimonium inire, ab eo cohiberentur, quia non possent ostendere prioris nullitatem: esset noxia, quia daret locum variis scandalis, partes exponeret diffamationi et multis sæpe incommodis. Ergo lex Concilii dicenda est vel non attingere præsentem casum, vel jam fuisse impleta.

281. Sed quæri potest, *an saltem necessarium non sit recipere denuo benedictionem nuptialem*, ne sponsi careant gratia sacramentali?

1° In opinione quæ tenet contrahentes esse ministros, dicendum est ea sufficere ad conficiendum sacramentum, quæ sufficiunt ad convalidandum contractum, quia unum sequitur naturam alterius. 2° In opinione quæ tenet sacerdotem esse ministrum, necessaria erit benedictio eo momento quo redintegratur matrimonium, ut ei sacramenti ratio asseratur: nisi quis malit dicere sacramentum remanere in suspenso, quemadmodum admittunt multi, ubi agitur *de matrimonio inito sub conditione de futuro contingenti;* quo posito, dicendum foret sacerdotem evehere ad dignitatem sacramenti contractum sive præsentem, sive futurum, quemadmodum confessarius evehit ad lignitatem partis integrantis sacramenti Pœnitentiæ satisfactiones postea a pœnitente paragendas.

Sed quidquid sit de quæstione speculativa, putamus in praxi non adesse rationem sufficientem obligandi in omnibus casibus ad denuo contrahendum coram paro-

cho: hujusmodi enim obligationem non imponit Ecclesia, sive quod existimet contrahentes esse ministros, sive quod judicet fieri sacramentum modo mox exposito, sive demum quod permittat incurrere periculum sacramenti non recipiendi propter incommoda quæ ex diversa agendi ratione sequerentur; quemadmodum id permittit in ea sententia ubi agitur de matrimoniis mixtis vel de matrimoniis valide initis absque benedictione sacerdotali. Attamen si nullum adsit incommodum, opportunum videretur hortari conjuges ad recipiendam benedictionem, cui semper gratias annexas esse constat. Ita pluries monet COLLET, atqui hanc servare praxim eos qui missionibus per pagos et villas incumbunt.

282. II^us^ Modus: *Cum dispensatione in Radice.* Ut ille modus plene exponatur, plura sunt expendenda.

I. *Quid sit dispensatio* in RADICE?

Dispensatio in *Radice*, qualem in præsenti spectamus, ea est per quam matrimonium ex irrito fit validum absque renovatione consensus. Ut autem innotescat quomodo id fieri possit, et quænam sit proinde talis dispensationis natura duplici modo concipi potest consensum inefficacem reddi ad producendum suum effectum, seu vinculum matrimoniale: 1° ita ut penitus et in perpetuum vis illius destruatur; 2° ita ut cohibeatur tantum ad tempus et donec Ecclesiæ placuerit. Impedimenta primi generis vocari possent resolutoria, seu absoluta; posterioris vero, suspensiva seu conditionata. In impedimentis resolutoriis non daretur locus, ut patet, nisi dispensationi simplici: suspensiva autem admittere possunt æque et dispensationem simplicem quæ priorem consensum invalidum relinquat novumque exigat, et dispensationem *in Radice* quæ permittat ut prior consensus vim suam exerat. Intelligitur ergo quomodo, posita ista dispensatione, matrimonium fiat ex irrito validum absque renovatione consensus.

Dixi *Qualem in præsenti spectamus*, quia si velimus dispensationem *in Radice* sub omnibus respectibus investigare, intimamque ejus naturam adæquate perscrutari, alia proferenda erit definitio. Sic definiri poterit: *Legis ecclesiasticæ quæ impedimentum induxit abrogatio in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum etiam ante ex lege secutorum.* Ita iisdem fere verbis BENEDICTUS XIV., *Quæst.* 527; quæ alibi magis

evolvens ait eam dispensationem effectum suum producere, "Non sane agendo ut matrimonium nulliter contractum non ita contractum fuerit, sed effectus illos de medio tollendo qui, ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi matrimonii actu, producti fuerunt." Eamdem occurit notio in *Instruct.* card. CAPRARA. Differt ergo dispensatio simplex a dispensatione *in Radice*, in eo quod prior effectum non habet nisi a tempore quo datur, *ex nunc*, inquiunt canonistæ; posterior vero effectum producit a tempore initi matrimonii, *ex tunc*: unde prior non tollit effectus ante dispensationem secutos; posterior autem res in eodem statu reponit ac si impedimentum nunquam exstitisset. Porro tres distingui possunt effectus legis matrimonium irritantis: vi illius, consensus mutuus fuit invalidus; ex illa invaliditate orta est nullitas matrimonii, et ex illa nullitate secuta est illegitimitas filiorum. Cum ergo dispensatio *in Radice* effectus illos tollat, hæc tria operabitur: 1° sanabit vitium consensus; 2° validitatem matrimonio conferet; 3° filiis legitimitatem tribuet. Aliquando unus tantum ex illis effectibus intenditur, quia cæteri non sunt necessarii. Hinc hujusmodi dispensatio aliquando concedi potest etiam altero conjugum mortuo; vel superstitibus duobus, licet ambo consensum renovare parati sint; ut nempe provideatur sorti filiorum. Hinc pariter dari potest dispensatio *in Radice* quæ non eximat a renovando consensu; quia etiam posita illa renovatione, non ideo inutilis erit talis dispensatio, et naturam suam servabit, si matrimonium validum efficiatur, non vi novi illius consensus, sed per convalidationem prioris, non *ex nunc*, sed *ex tunc*. Attamen hodie in Gallia, cum dispensatio *in Radice* non legitimet filios in ordine civili, et legitimatio in ordine ecclesiastico alia via obteneri possit, ad illam dispensationem non recurritur, nisi quando obtineri nequit sine incommodis gravibus renovatio consensus; ideoque sub eo tantum respectu eam investigare in præsenti interest.

283. II. *An ecclesia possit concedere dispensationes* IN RADICE ?

ASSERT.—*Potest Ecclesia, vel S. Pontifex, ex urgenti et gravissima causa, concedere dispensationes* IN RADICE *quoad impedimenta juris duntaxat ecclesiatici.*

Prob. 1° *ex praxi SS. Pontificum*, quæ a pluribus sæculis est omnino certa et constans. Inter SS. Pontifices qui dispensationes concesserunt ut matrimonium ex irrito fieret validum sine renovatione consensus, citari possunt Clemens IX., Clemens XI., Clemens XII., Benedictus XIV., Clemens XIII., Pius VI., Pius VII. (P. M. n° 1432.)

2° *Ex auctoritate theologorum et canonistarum.* Quam, vis pauci agant de iis dispensationibus sub eo præcise respectu sub quo eas hic consideramus, earum tamen possibilitatem supponunt: docent S. Pontificem posse leges effectus abrogare, non solum in futurum, sed quoad præteritum; posse res in eodem statu reponere, ac is nullum adfuisset matrimonii impedimentum; docent

præsertim eum posse filios legitimare eo modo ut legitimatio vim habeat, non solum quoad effectus spirituales, sed etiam indirecte quoad effectus civiles, quia res ad eumdem statum reducuntur ac si semper validum fuisset matrimonium (P. M. n° 1426) : porro hæc omnia supponunt dari posse dispensationem qualem exposuimus, prout advertunt quidam ex ipsis ; cum sublatis omnibus legis effectibus naturaliter sequatur matrimonii validitas. Unde Benedictus XIV. non solum asserit, *Quæst.* 527, *nefas esse dubitare de hac patestate S. Pontificis*, sed ait, *Quæst.* 174, *ita docere communiter canonistas*, quibus adjungit theologos.

3° *Ex ratione.* Facile concipitur Ecclesiam dispensare posse *in Radice*, si impedimenta juris ecclesiastici suspendant tantum consensus, efficientiam ; tunc enim matrimonium fiat validum virtute prioris consensus, qui, remoto obice, vel sanato vitio quod ejus efficaciam cohibebat, jam effectum suum producit ; porro talia sunt reipsa impedimenta ecclesiastica. Ille modus est 1. in se possibilis ; nullam involvit repugnantiam ; nec certe major requiritur potestas ad suspendendam, quam ad prorsus tollendam consensus efficaciam : 2. melius congruit sapientiæ legislatoris ; finem suum pariter consequitur, cum contrahentes sint ex parte sua æque inhabiles ad matrimonium ; aliunde tamen præcavet gravissima incommoda quæ non raro sequerentur ex necessaria consensus renovatione : 3. congruit praxi Ecclesiæ ; de facto enim concedit dispensationes *in Radice*, nec tamen intendit supplere consensum : unde ex *facto* ad jusconcludere possumus.

Dixi 1° *Ecclesia vel S. Pontifex*, quia ad episcopum non pertinet talem dispensationem concedere. Ita asserit Benedictus XIV., Constit. *Etsi matrimonialis*, et supponunt communiter auctores. Et revera hujusmodi dispensatio majorem auctoritatem requirit, quam dispensationes ordinariæ, cum includat abrogationem legis ecclesiasticæ, non solum in futurum, sed etiam quoad præteritum : aliunde episcopis quoad hujusmodi dispensationes nulla suffragatur consuetudo ; nec præsumi potest Ecclesiæ aut S. Pontificis consensus.

Dixi 2° *Ex urgenti et gravissima causa :* hæc aut similia verba semper adhibet Benedictus XIV., quando

loquitur generatim de iis dispensationibus ; et quando ad eas spectat quatenus eximunt a renovatione consensus, asserit ad tempus usque quo scribebat non fuisse concessas hujusmodi dispensationes, nisi quando *irrita matrimonia confecta fuerant a magna hominum multitudine, non autem a peculiari homine.* Postea nonnunquam concessæ fuerunt privatis quando una pars ignara nullitatis prudenter moneri nequit, vel non potest adduci ad renovandum rite consensum.

Hinc invalida esset dispensatio *in Radice*, quam ex indulto concederet episcopus in casu quod adduci possent sponsi ad renovandum consensum ; quia tunc sufficit dispensatio simplex ad scopum attingendum. Unde card. CAPRARA monet ut non deveniatur ad dispensationem *in Radice*, nisi quando obtineri nullatenus potest renovatio consensus.

Dixi 3° *Quoad impedimenta juris duntaxat ecclesiastici:* etenim non datur locus dispensationi *in Radice*, quando agitur de impedimento juris naturalis aut divini ; sic matrimonium illius qui duxit secundam uxorem vivente priori, non potest convalidari per dispensationem *in Radice*, etiam post prioris mortem, ut pluries observat BENEDICTUS XIV., speciatim *de Synod.* l. xiii., c. xxi., n° 7. Et revera, ut valeret talis dispensatio, auferendi essent quoad præteritum effectus ligaminis ; quod cum excedat auctoritatem Ecclesiæ, consensus remanet radicaliter nullus, quia, etiam postquam desiit impedimentum, subsistunt illius effectus.

284. III. *Quibusnam sub conditionibus possint et soleant concedi dispensationes* IN RADICE ?

Duæ conditiones præcipue assignari possunt.

Prima conditio est, *ut prior consensus verus fuerit et serio datus :* alioquin non adesset radix matrimonii, ut loquitur BENEDICTUS XIV. Et illud est quod intendit idem Pontifex, et card. CAPRARA, quando exigunt ut conjunctio extrinsecam speciem habuerit justi matrimonii, nec fuerit manifeste fornicaria.

Hinc si agatur de matrimonio mere civili, quamvis sit coram Deo verus concubinatus, poterit tamen convalidari per dispensationem *in Radice*, quotiescumque sic nupti vere matrimonium contrahere voluerunt, quia talis matrimonii nullitatem non cognoscebant, aut de

ea non cogitabant: quod satis ordinarie evenit, cum pauci vim et effectum impedimenti clandestinitatis omnino perspecta habeant.

Secunda conditio est, ut *constet utriusque conjugis consensum persevere:* si vel ab uno revocatus fuisset locus non foret dispensationi. Ita communiter auctores recentiores. Quidam tamen hanc conditionem non absolute necessariam esse contendunt, quia, juxta eos, conjuges dederunt consensum suum ut irrevocabilem, ideoque talis censeri debet ex eorum parte. Quidquid sit, hæc nobis, in ordine ad praxim, statuenda esse videntur. 1° Si rescriptum exigat ut constet de perseverantia consensus, et media præscribat quibus id constare possit, hæc profecto adhibenda erunt. 2. Si rescriptum nihil peculiariter præscribat, agendum erit juxta circumstantias: unde, si, ut ordinarie evenit, obtenta fuerit dispensatio propter incommoda ex manifestatione nullitatis et renovatione consensus oritura, exigendus non erit actus expressus conjugum quo constet eos in consensu perseverare; alioquin reducerentur incommoda de quibus vitandis agitur; satis ergo erit ut confessario constet, quantum patientur rerum adjuncta, revocatum non fuisse consensum.

285. IV. *Quid præstandum sit, quando obtenta fuit dispensatio* IN RADICE?

1° Non requiritur renovatio consensus, saltem utriusque conjugis. Intelligitur ex dictis circa scopum qui apud nos hodie intenditur, quando recurritur ad dispensationem *in Radice*. Unde si rescriptum dispensationis præscriberet hanc renovationem, perfecto facienda esset: sed tunc non foret dispensatio qualis nunc apud nos sumitur.

2° A fortiori non requiritur ut servetur formalitas Concilii Tridentini.

3° Sic procedi potest, quando una pars est rite disposita et altera vel ignorat nullitatem et moneri nequit, vel non vult consentire renovationi. Sacerdos ad hoc delegatus, in tribunali vel extra, hanc pronuntiat formulam: *Ego potestate apostolica mihi specialiter et expresse demandata matrimonium a te N... cum N... in consensu adhuc permanente nulliter contractum, in Radice ejus sano et consolido, prolemque succeptam et*

suscipiendam legitimam declaro, in nomine Patris ✠, *et Filii* ✠, *et Spiritus* ✠ *sancti. Amen.* Deinde instrumentum redigit, in quo refert quæ a se peracta sunt in vim delegationis ipsi commissæ, et indicat media quæ adhibuit ut constaret de permanente alterius partis consensu.

4° Curandum est, pro temporis opportunitate, tum ut constet de revalidatione matrimonii, tum ut reparetur scandalum, si adfuerit. Scilicet si nullitas sit publica, vel sanatio matrimonii notorie perficienda est; vel, si secreto ad vitandam aliquam perturbationem fiat, evulgandum postea quod factum est; vel demum, si etiam hujusmodi evulgationi locus non sit ob imminens aliquod periculum, exquiratur modus quo publicum scandalum removeatur, et interim magna circumspectione opus erit in admittendis conjugibus ad sacramenta, ne ulla scandali præbeatur occasio. Ita card. Capra-ra, n^is^ 15 et 16. Si vero nullitas sit exteris ignota, licet utrique vel saltem uni conjugi nota, sanatio occulte fieri posset. Si demum nullitas ipsis conjugibus esset ignota, nihil præstandum superesset, nisi ut media quædam adhiberentur quibus constaret de revalidatione matrimonii, ne posset postea dissolvi, si forte detegeretur impedimentum: aliquando, peracta re, moneri possent conjuges; sed illud non videtur necessarium, et quandoque variis daret locum incommodis.

5° Observat D. Bouvier, eum qui facultatem dispensandi *in Radice* obtinuit, satagere debere ut sponsi in statu gratiæ constituantur, eo tempore quo ipsis dispensationem applicabit; forsitan enim tunc recipient sacramentum.

§ 4. *Quid agere debeant confessarius aut parochus quando inter nupturos vel jam nuptos detegunt aliquod impedimentum.*

286. Officium confessarii et parochi est invigilare ut nupturi vel nupti satisfaciant obligationibus quæ ipsis incumbunt pro variis in quibus versantur circumstantiis, secundum ea quæ in toto præsenti articulo diximus. Ut autem intelligatur quousque extendenda sit hæc eorum obligatio, de utroque sigillatim dicemus.

I. *De officio confessarii.* Si impedimentum sit pœnitenti notum, satis per se patet teneri confessarium eum avertere a matrimonio ineundo, et si jam initum sit, ab illius usu donec revalidatum fuerit : sed ejus potestas non prætergreditur limites fori interni.

Tota difficultas est, an, si pœnitens impedimentum ignoret, confessarius possit et debeat eum monere : posito autem quod eum non moneat, quia non sperat profuturam esse monitionem, an possit nihilominus eum absolvere ? Porro illud pertinet ad quæstionem generalem : *An monere debeat pœnitentem qui versatur in ignorantia ?* De ea agitur in Tr. *de Pœnitentia.* Hic sufficiat observare confessarium, qui nullum ex monitione fructum sperat, posse ex satis communi sententia pœnitentem in bona fide relinquere, quando agitur de matrimonio jam inito ; non ita vero concordare auctores, quando agitur de matrimonio ineundo, et saltem certum esse tunc eadem decisionem, si admittatur, nonnisi rarissime applicandam esse, et quando ex monitione graviora timerentur incommoda.

287. II. *De officio parochi.* Si impedimentum sit *publicum*, dubium non est quin teneatur matrimonio obsistere. Sed si sit *occultum*, videndum an sit tamen partibus notum, an ignotum.

1° *Si impedimentum sit partibus notum*, quæstio est an parochus, qui illud solus novit alia quam confessionis via, nec potest illud probare, possit et teneatur matrimonio obsistere ?—Negant quidam theologi, quia sacramenta non sunt deneganda peccatori occulto publice petenti. Verum aliter sentiunt multi, atqui Benedictus XIV. *de Synod.* l. vi. c. vii. n° 7, hanc sententiam esse non solum tutiorem, sed communiorem. Etenim, ut ratiocinatur De Lugo, quem ea de consuli vult idem Benedictus XIV. quamvis non possit parochus denegare assistentiam matrimonio præcise quia cognoscit sponsos esse in statu peccati, si peccatum sit occultum, aliud tamen dicendum, quando adest aliquod impedimentum canonicum. Etenim in matrimonio parochus non est tantum minister sacramenti aut benedictionis, sed est testis et judex contractus : porro judex auctoritatem habet examinandi et requirendi an contractus legitime fiat ; sic notarius non debet con-

ficere instrumentum contractus in quo non servantur leges. Ergo, etc. Et vero si impedimentum probare posset, ex omnium confesso tolleretur difficultas : atqui illud locum non haberet in aliis sacramentis ; ergo adest discrimen inter matrimonium et alia sacramenta. Tandem per parochi resistentiam, saltem differetur peccatum ; imo sæpe impedietur ; vel quia partes desistent, vel quia episcopus, ex parochi testimonio, aut matrimonium prohibebit, aut dispensationem concedit, si locus sit.

288. 2°. *Si impedimentum sit partibus ignotum*, quæritur an parochus debeat iis notum facere ?—I. *Si matrimonium nondum sit initum*, non eadem prorsus est illius conditio ac confessarii, ut intelligitur ex modo dictis : potest enim et debet matrimonio obsistere. Observandum tamen ea quæ olim statuebant auctores non eodem modo verificari hodie : si enim impedimentum tale sit quod non agnoscatur a lege civili, timendum est sæpe ne sponsi quos matrimonio jungere recusabit parochus, civiliter nihilominus nubant, et non amplius curent de matrimonio coram Ecclesia ineundo, sicque per monitionem in statu peccati formalis constituantur.

2. Si agatur *de matrimonio jam inito*, et locus sit sperandi monitionem esse profuturam, et remedium adhiberi posse absque ullo graviori incommodo, nullum dubium est quin moneri debeant conjuges de invaliditate matrimonii : fornicatio enim, etiam mere materialis, vitanda est, quando id fieri potest. Si vero ex monitione seu impedimenti revelatione non speretur fructus, et contra gravita timeantur incommoda, prout non raro evenit, tunc partes relinqui debere in bona fide admittunt communiter auctores, et probant ex decisione Innocentii III. cap. *Quia circa*, vi. *de consanguinitate :* ibi S. Pontifex, loquens de sponsis qui contraxerant post dispensationem subreptitie obtentam, ait episcopo : *Dissimulare poteris ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione grave videas scandalum imminere.* Quamvis non concordent omnes circa sensum Pontificiæ decisionis, ubi plures vident dispensationem a S. Pontifice concessam, stat communis auctorum sententia, quæ expresse traditur in *In-*

structione Card. Caprara. Et ratio est quod ponendus non sit actus inutilis et nocivus, qualis esset monitio in facta hypothesi; cum enim contrahentes non supponantur huic obtemperaturi, id unum obtinebitur, ut eorum peccatum e materiali formale evadat, et alia gravia mala inducantur.

Cæterum, quoad hanc monitionem faciendam aut non faciendam a confessario vel parocho, duo sunt adhuc advertenda. 1. Quando admittitur omitti posse hanc monitionem, juxta decisionem mox allatam, supponitur, ut patet, contrahentes versari in ignorantia invincibili; si enim esset vincibilis, jam non adesset eadem ratio. 2. Etiam quando parochus aut confessarius judicat monendos esse conjuges de impedimento, fieri potest ut nonnunquam expediat differre monitionem, donec obtenta fuerit dispensatio, si nempe alioquin nimio periculo exponendi forent. Et sane plerumque facilius monitioni obsequentur, quando cognoscent statim malo remedium afferri posse; unde concipitur satis gravia esse posse incommoda ut impellant ad differendam monitionem, quamvis non sufficiant ad eam prorsus omittendam.

CAPUT V.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII CIVILIBUS.

289. Eumdem compendiose ordinem sequemur ac ubi de impedimentis canonicis: unde expendemus, 1° an princeps possit statuere impedimenta dirimentia; 2° an princeps voluerit in Galliis impedimenta hujusmodi statuere; 3° quænam sint impedimenta civilia apud nos admissa; 4° quid in praxi agendum quoad illa impedimenta.

Art. 1. *An possit princeps secularis statuere impedimenta matrimonium dirimentia.*

290. Quæstio hic non movetur, 1° de impedimentis quæ irritent contractum in foro externo civili, et con-

juges privent effectibus civilibus ; nemo enim potestatem ea statuendi denegare potest principi.

2° Non agitur etiam, saltem primario, de impedimentis mere prohibentibus. Juxta quosdam, communiter admittunt auctores principes posse ferre hujusmodi impedimenta, quæ etiam in conscientia vim habeant, si justa supponantur : quod tamen alii negant.

Agitur ergo de impedimentis quæ irritent ipsum contractum matrimonii naturalem, sensu quo in præcedenti capite (n° 129) exposuimus ; et quæritur utrum possint principes ea jure proprio et suæ auctoritati innato statuere.

Porro quatuor proferuntur opiniones. 1° Alii contendunt principes ex ipsa rei natura nec posse, nec unquam potuisse irritare matrimonium. 2° Alii concedunt principes id posse ex natura rei, sed propugnant eos excidisse ab hac potestate quoad subditos christianos, ex quo Christus matrimonium evexit ad dignitatem sacramenti. 3° Alii admittentes principem habere hanc potestatem ex natura rei, nec eam amisisse propter institutionem sacramenti, dicunt fuisse per reservationem Ecclesiæ sublatam principibus christianis quoad subditos christianos. 4° Alii demum existimant hanc potestatem principibus competere ex natura rei, nec fuisse iis ablatam sive per institutionem sacramenti, sive per reservationem Ecclesiæ, proindeque ea semper ipsos gaudere.

Ex hac brevi enuntiatione intelligitur quatuor opiniones fundamentis omnino diversis inniti, et tres priores in eo solum convenire quod quartam impugnent. Singularum momenta exponere satis erit : quod ut accurate præstemus, earum argumenta ita proponemus, ut simul non omittamus indicare quid afferri soleat ad eorum vim elidendam.

291. *Expenditur* Ia OPINIO, *quæ scilicet auctoritatem principibus denegat,* ATTENTA SOLA MATRIMONII NATURA.

Hanc tenent quidam auctores, sat numero pauci, qui contendunt matrimonium, etiam infidelium, seu in sua tantum natura spectatum (scilicet attenta sola institutione primæva), non subjacere auctoritati princi-

pum. 1. Quia necesse foret principem attingere ipsasmet contrahentium voluntates, et de eorum personis disponere : atqui talem potestatem non habet ; auctoritas enim illius versatur quidem circa bona civium, sed non circa eorum voluntates. 2. Nil aliud potest princeps quam quod exigit bonum publicum : atqui bonum publicum non expostulat ut leges illius attingant vinculum matrimonii ; sufficit ut attingant forum externum et effectus civiles. Ita BARRUEL, et quidam alii. Matrimonium dicendum est contractus divinus et sacer, cum habeat Deum institutorem (supra, n° 25), referatur primario ad finem supernaturalem, nempe ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, et nonnisi mediate et consequenter influat in bonum societatis civilis, nempe per bonum spirituale ad quod solum ex essentiali sua constitutione refertur : porro principes nihil possunt in ea quæ sunt juris divini, aut sacra et supernaturalia. Ita MUZZARELLI, LAMENNAIS, etc.

Huic primæ opinioni adversantur trium aliarum opinionum patroni, id est, non solum theologi Galli, sed etiam plerique ex extraneis, his momentis innixi. 1. Ut adstruatur principum auctoritas, sufficit ostendere matrimonium, non solum quoad effectus civiles, sed in se spectatum, principum auctoritati subjici ; siquidem, ut jam dictum est (n° 132), potestas suprema et independens, quandiu versatur in suo foro, non alios agnoscit limites nisi justitiæ et æquitatis ; et nedum obstet justitia, contra non raro postulat ut matrimonium irritetur, prout jam pariter exposuimus : atqui revera, etc. Principi enim subjiciuntur quæcumque per se et ex natura sua directe tendunt ad bonum temporale societatis et civium, ut omnes debent agnoscere : atqui tale esse matrimonium per se videtur evidens ; est enim basis et fundamentum totius societatis ; ex eo bene vel male instituto præcipue pendet totius societatis status, ut agnoverunt semper legislatores et quicumque de bono societatis scripserunt. 2. Communiter admissum videtur principem posse irritare alios contractus, v. g. donationis, venditionis, etc., non solum quoad vinculum legale seu externum, sed etiam quoad vim naturalem et in foro conscientiæ : porro, nedum excipi debeat matrimonium eo quod sit con-

tractus longe excellentior, contra huic a fortiori applicandum est idem principium, siquidem ex una parte multo magis influit in bonum societatis; ex altera vero, cum id speciale habeat ille contractus, ut semel valide initus, sit indissolubilis, minus efficaciter scopum suum attingeret legislator, si soli effectus civiles irritarentur, nec ipse contractus attingi posset. 3. Nisi admittatur hæc opinio, dicendum erit matrimonia infidelium, ad quos non extenditur jurisdictio Ecclesiæ, non aliis impedimentis dirimentibus subjici quam impedimentis juris naturalis et divini: atqui illud maximum est incommodum; ubique enim et semper agnitum est moraliter necessarium esse, ut ipsummet vinculum matrimoniale subjiciatur impedimentis dirimentibus positivis, quibus nempe juxta varias locorum et populorum circumstantias ordinetur. 4. "Demum huic sententiæ adhæret in praxi S. Sedes, inquit D. PEROCHEAU, *Theolog. ad usum mission. Sutchuensis*, t. ii. p. 346, quæ declaravit invalida esse infidelium matrimonia quæ legibus patriæ irritantibus adversantur, nisi per consuetudinem abrogatæ fuerint illæ leges." Quam quidem declarationem non satis advertisse videtur P. PERRONE, n° 242, ubi docet principem non posse attingere matrimonium subditorum, etiam infidelium, nisi in ordine ad effectus civiles, non autem in foro conscientiæ et coram Deo.

292. *Expenditur* II^a^ OPINIO, *quæ nempe auctoritatem principibus denegat* EX INSTITUTIONE SACRAMENTI.

Duplici sensu propugnari potest et reipsa propugnatur hæc opinio: dici nempe potest subtractionem matrimonii ab auctoritate principum vel fuisse consectarium naturale ipsius elevationis ad esse sacramentale, vel ortum habuisse a speciali voluntate Christi ita statuentis. Sic autem ratiocinantur qui hanc sententiam tenent. Matrimonium ut pote elevatum ad dignitatem sacramenti, factum est aliquid sacrum, ac proinde soli potestati spirituali subjectum: contractus enim, ut pote intrinseca sacramenti ratione conditioneque penetratus, informatus et auctus, supra conditionem primitivam elevatus est et in altiore diversoque ordine constitutus.

Insuper materia sacramenti non est contractus civilis, sed tantum contractus naturalis; ac proinde subsistere potest sacramentum, licet princeps irritet contractum civilem. Ita PONTIUS, GALESIUS, *Theolog. Wirceburgensis*, SCHMALZGRUEBER, MOSER, SARDAGNA, D. BOUVIER, P. PERRONE, etc.

Huic opinioni adversantur auctores tertiæ et quartæ opinionis, de quibus modo : ideoque iterum non solum theologi Galli, sed et plures extranei, ut Sanchez qui ita absque dubio pronuntiat, Becanus, Layman, Salmanticenses, Henno, Pirhing, Brocardo, Selvaggius, et generatim omnes qui adducunt reservationem Ecclesiæ; hæc enim inutilis fuisset, si ex sola sacramenti institutione principes potestatem suam amisissent. Nituntur autem duplici præsertim momento. 1° Ex contractus natura. Licet matrimonium ad dignitatem sacramenti elevatum fuerit non desiit esse contractus naturalis et civilis ; naturalis quidem, ut patet; civilis, ut pote non minus directe quam antea influens in bonum societatis; ergo sub hoc respectu semper ordinationi principis subjacet. 2° Ex alterius sententiæ consectariis. In ea dicendum foret principes, quando fidem amplectentur aut quando religio in eorum regnis propagatur, aliquid amittere de sua potestate: porro hoc dici nequit. Nam, ut Ecclesia canit, *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia :* et quis non videt quantum adversariorum placita odiosam principibus reddere possent religionem ? Ergo, etc.

293. *Expenditur* III^a^ OPINIO, *quæ scilicet auctoritatem principibus denegat* EX RESERVATIONE ECCLESIÆ.

Hanc opinionem tenet multi extranei, inter quos SANCHEZ, LEDESMA, VALENTIA, LESSIUS, BECANUS, SALMANTICENSES, LAYMAN, HENRIQUEZ, BONACINA, CONINCK, HOLZMANN, KUGLER, RONCAGLIA, etc., quibus plures alii addi possent, et quorum nonnulli asserunt hanc esse communem sententiam, nonnulli esse communiorem. Quod talem reservationem facere potuerit Ecclesia, deducunt vel generatim ex potestate quam ipsi tribuunt supra res temporales, vel speciatim ex eo quod, attenta matrimonii natura, Ecclesiæ sub-

essè debeat in hac parte ipsa potestas civilis: Christus enim conferendo Ecclesiæ jus supremum in res sacras, quale est matrimonium, saltem inter Christianos, non debuit relinquere principi nisi ad summum potestatem subordinatam Ecclesiæ quoad exercitium; alioquin potestas ipsa Ecclesiæ non esset suprema et independens, et daretur locus conflictui, cui nullum afferri posset remedium. Quod vero reipsa fecerit, deducunt tum ex variis textibus juris canonici, in quibus statuitur aut supponitur matrimonia non esse ordinanda nisi ex legibus Ecclesiæ; tum ex praxi constanti jam diu recepta, vi cujus cunctæ causæ matrimoniales, etiam ipsorum principum, ad forum ecclesiasticum referuntur.

Huic opinioni refragantur auctores quartæ opinionis: auctores vero primæ et secundæ plerumque non expenderunt, quia in eorum sententia quæstioni locus non erat. Auctores igitur Galli libenter post PETRUM SOTO agnoscunt, jam a multis sæculis, principes, pro sua erga Ecclesiam pietate, ipsi reliquisse curam causarum matrimonialium; sed tamen juxta ipsos, non admittenda est reservatio, quæ nec facta est, nec fieri potuit. 1° Non facta est: unde enim factam fuisse concludere liceret? An ex agendi ratione principum? Sed quamvis christiani principes curam de connubiis Ecclesiæ prorsus reliquerint, non ideo jus suum amiserunt: aliud est enim jure suo non uti, aliud jus suum amittere, præsertim cum jus fundatur in ipsa rerum natura. Numquid ex lege Ecclesiæ? Sed nullum affertur decretum per quod reservationem hanc statuerit Ecclesia, ut ostendunt plures auctores. Ergo facta non est reservatio. 2° Nec fieri potuit; cum enim Ecclesia in temporale regum potestatem non habeat, jure quod tenent ex ipsa rerum natura reges spoliare non potuit: neque ipsi principes potuerunt penitus abdicare jus sibi innatum et intuitu solius boni publici sibi competens. Ita coram clero Gallicano disserebat episcopus Monspeliensis, in causa matrimonii Gastonis ducis Aurelianensis, an. 1635. Ita fusius auctores recentiores, inter alios GERBAIS, GIBERT, GOHARD seu ejus editor, *Collat. Andegavensis*, qui non solum ita statuunt, sed quod ultimum punctum adversariorum opi-

nionem tam dure arguunt, ut in eo nequaquam iis consentiamus, nec unquam consenserimus, nedum ulterius quam reliqui omnes progressi fuerimus, ut supponit P. PERRONE, n° 228, *note (a)*.

294. *Expenditur* IV^a^ OPINIO, *quæ nempe propugnat* PRINCIPIBUS ETIAMNUM COMPETERE POTESTATEM *statuendi impedimenta dirimentia.*

Ut accurata habeatur hujus opinionis notitia, simulque absolvatur totius controversiæ expositio, expendenda sunt seorsim argumenta quibus propugnatur quarta hæc opinio, deinde ea quibus impugnatur,

1. *Expenduntur argumenta IV^æ^ opinionis.*

I^um^ *Argumentum* coalescit ex iis quæ jam allata sunt adversus priores opiniones: sic proponi potest. Ea potestas principibus competit, quam habent ex natura rei, nec amiserunt per institutionem sacramenti, aut reservationem Ecclesiæ: atqui talis est potestas statuendi impedimenta dirimentia, ut deducitur quoad singulas partes ex iis quæ allata sunt exponendo argumenta eorum qui adversantur tribus singulis prioribus opinionibus; ergo, etc. Unde observant sibi opus non esse argumenta sua depromere e Protestantibus, Jansenianis, aut aliis hujusmodi scriptoribus, ut pluries innuit P. PERRONE, cum hæc ad manum habeant apud theologos apprime catholicos qui jam indicati fuerunt.

Quid huic argumento reponant priorum opinionum patroni, facile deduci potest ex dictis.

295. II^um^ *Argumentum. Ex praxi principum.* Illa potestas principibus competit, quam per plura sæcula constanter exercuerunt, tanquam sibi innatam et propriam, absque ulla reclamatione, imo cum approbatione Ecclesiæ: atqui talis est potestas de quæ agimus. 1. *Eam exercuerunt.* Factum illud fuse adstruunt GIBERT et GERBAIS. Et revera percurrenti sive jus Romanum, sive variorum populorum leges, multa statim occurrent de matrimonio sancita, in quibus elucet exercitium auctoritatis de qua agimus. Nam ibi plura statuuntur impedimenta dirimentia, ut agnoscit BENEDICTUS XIV. *de Synod.* l. ix. c. x. et xi. qui tamen propugnat ea vim non habuisse nisi ex Ecclesiæ aucto-

ritate. 2. Eam exercuerunt *tanquam sibi innatam et propriam.* Nihil enim in eorum legibus occurrit quod innuat ipsos uti potestate aliunde accepta; nullibi videtur quod eam ab Ecclesia acceperint: sequuntur exempla suorum prædecessorum, qui multa de matrimonio statuerant, antequam religionem christianam amplecterentur, et certe parum verisimile est principes plurium populorum qui, licet ad fidem conversi, inter barbaros diu nec prorsus immerito computati sunt, ab Ecclesia accepisse potestatem ferendi leges quæ in eorum condicibus de matrimonio leguntur. Ergo dicendum est principes voluisse uti jure sibi proprio. 3. Eam auctoritatem exercuerunt *absque reclamatione*, imo cum approbatione Ecclesiæ. Nullibi videmus quod Ecclesia primævis temporibus contra hujusmodi leges reclamaverit vel iis derogaverit, nisi tamen quando aliquo modo juri divino aut naturali repugnabant (prout jus ipsi competere constat in qualibet sententio). Imo legimus SS. Patres, SS. Pontifices et Concilia leges illas laudasse, earum vim agnovisse, et ad earum auctoritatem recurrisse, ut fideles ab illicitis conjugiis averterent, et majorem vim legibus ecclesiasticis conciliarent. Ergo, etc.

Reponunt alii, ex illa praxi adstrui forsan potestatem qua ante Christum potiebantur principes, et qua nunc potiuntur erga infideles, vel ad summum qua potiebantur antequam eis adimeretur per reservationem Ecclesiæ; sed nihil amplius: nam optime dici potest hæc impedimenta tunc tantum valere cœpisse ad irritandum matrimonium, quando accessit Ecclesiæ consensus, ut satis patet ex eo quod Ecclesia has leges correxerit, imo et abrogaverit, prout ipsi opportunum visum est; et aliunde pro validis semper habuerit matrimonia quibus nullum obstabat impedimentum canonicum: unde aderat reclamatio facti et practica; et si quando Ecclesia auctoritate sua sanciverit aliquod impedimentum a principe constitutum, non ideo principis potestatem agnovit.

296. II. *Expenduntur argumenta contra* IV^um^ *opinionem.*

Cum quarta opinio tria simul abstruenda habeat (n° 294), dum contra iis qui eam impugnant satis sit

unum e tribus adstruere, huc reddire possent quæ diximus expendendo tres priores opiniones: essentque argumenta contra hanc opinionem specialia. Verum ista jam satis fuerunt exposita. Addere sufficiat, juxta patronos quartæ opinionis, difficile esse ut in iis argumentis specialibus aliquid occurrat omnino decretorium, cum nullum sit quod a plurimis gravissimisque theologis non impugnetur, ut patet ex iis quæ attulimus. Expendenda nunc ergo tantum argumenta tribus prioribus opinionibus communia, id est, quæ eo diriguntur ut ostendant potestatem non competere principibus, ex quacumque causa id oriatur.

I^um^ *Argumentum. Ex auctoritate S. Thomæ, Suppl.* q. lvii. art. ii. ad iv., ubi loquens de cognatione legali, ait: "Dicendum quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit."

Reponunt patroni quartæ sententiæ, S. Doctorem intelligi posse, attento rerum statu, seu consuetudine qualis suo tempore vigebat, vi cujus principes totum matrimonii regimen Ecclesiæ relinquebant. Et ex sua parte afferunt testimonium aliud S. Thomæ, quod ipsis videtur satis apertum, in quo varios matrimonii respectus exponens, ait: "In quantum ordinatur ad bonum politicum (seu, ut antea exposuit, ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate), subjacet ordinationi civilis legis. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini ecclesiastico." *Summ. contra Gentil. l.* iv. c. lxxviii., et *Supplem.*, q. i. art. unic. ad iv.

297. II^um^ *Argumentum. Ex Concilio Tridentino*, quod non solum definit, can. xii., *causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos;* quæ verba, ut pote omnino generalia et absoluta, respiciunt *omnes* causas matrimoniales, et eas adscribunt *solis* judicibus ecclesiasticis, prout explicat Pius VI. in Brevi ad episcopum Motulensem, de quo infra: sed insuper cap. i. *de Ref. matrim.* declarat, et quidem sub pœna anathematis, matrimonia clandestina *rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit;* atqui illud declarare non potuisset, si alia existeret potestas quæ posset pariter ea irrita efficere. Etenim illa declaratio

non respicit tantum tempus quod præcessit Concilium, siquidem non dicit *fuisse*, sed *esse;* igitur in locis in quibus, ob defectum promulgationis, non viget decretum Concilii contra hujusmodi matrimonia, si princeps ea irrita decerneret, falsa foret hæc Concilii declaratio, quod admitti nequit. Simile argumentum educi potest ex Conciliis Lugdunensi II. et Florentino, in quibus definitur secundas et ulteriores nuptias licite contrahi posse, *si aliquod canonicum impedimentum non obstat.*

Respondent alii: 1° Canonem xii. non esse necessario exclusivum, et insuper in sua etiam sententia verificari, cum omnes causæ matrimoniales pertineant ad solam Ecclesiam, saltem sub respectu sacramenti et obligationum conscientiæ. Hinc agnoscit P. Perrone, n° 253, cum quæstione de impedimentis permisceri non debere quæstionem de judicio causarum matrimonialium; quamvis enim maximam hæ inter se habeant affinitatem, altera tamen ab altera sejungi debet. 2° In decreto de matrimoniis clandestinis abstrahi a præsenti controversia; scilicet diu disputatum est in Concilio an aliquando ea irrita fuissent; de sola Ecclesia movebatur quæstio, quia nemo tunc existimabat legem civilem ea aliquando irritasse, et quia jam a longo tempore sola Ecclesia de facto decernebat de matrimoniis; ideo Concilium, controversiam circa factum historicum nolens dirimere, sed declarare tantum ea matrimonia non esse ex natura sua irrita, nisi lege positiva irritentur, de sola Ecclesia locutum est.

298. III^um^ *Argumentum. Ex auctoritate SS. Pontificum:* nempe præsertim 1° Benedicti XIV., qui denegat hanc potestatem principibus, non solum in opere *de Synod. diœces*, l. viii. c. xii. n° 6, et l. ix. c. ix. n° 3, sed etiam in Instructione pro Cophtis, 4 maii 1745, *Bullar*, t. i., Const. cxxix. § 39, et in Decretali, ut eam vocant, directa ad cardin. Eboracensem (de York), 9 februar. 1749, *Bullar*, t. iii. Const. ii. § 7; 2° Pii VI., qui in Brevi ad episcopum Motulensem diei 16 septembris 1788, tam aperte loquitur, ut nihil magis expressum desiderari queat: non solum enim asserit hanc potestatem, soli Ecclesiæ competere, sed illud adstruit ex Concilio Tridentino, et varias adversariorum interpretationes aut allegationes refellit;

3° Pii VIII. et Gregorii XVI., in suis litteris Encyclycis, quorum prior ait matrimonium *Non humana tantum ex lege, sed ex divina regi debere, ac non terrenis sed sacris rebus ipsum accensendum esse, ideoque Ecclesiæ* OMNINO *subjici:* posterior vero, *Sacris illud rebus adnumerari*, et ex præstitutarum de ipso *Ecclesiæ legum exsecutione* OMNINO *pendere ejusdem connubii, vim, robur, ac justam consociationem.* Porro quamvis Pontifices Romani noluerint quæstionem definire, ait P. PERRONE, n° 235, *note* (*e*), ostendunt saltem quæ ipsis mens sit, et quinam sensus et praxis Ecclesiæ: unde, inquiunt alii, præsertim post Breve Pii VI. ad episcopum Motulensem, nullum superest dubium, nulla difficultas.

Reponunt alii, 1° generatim, noluisse SS. Pontifices quidquam de ea quæstione definire. Illa enim quæ opponuntur vel non sunt ad rem, vel saltem non sunt objectum directum judicii per eos lati, sed vel dicta obiter, vel per modum discussionis illi judicio prævia: porro ea quæ non sunt objectum immediatum decreti, non habent proprie juxta theologos vim decisionis pontificiæ, sed tantum sententiæ privati, licet maxime commendabilis, doctoris.

Respondent 2° speciatim variis documentis in medium allatis: 1. quoad Benedictum XIV., ipsum in opere *de Synod. diœces.* noluisse quidquam definire, ut ipse profitetur, et omnes agnoscunt: in Instructione citata non occurrere definitionem, sed esse tantum quædam verba incidenter dicta: in Decretali autem ipsum loqui, et quidem modo pariter incidenti tantum, de potestate principis, quoad infideles, quam tamen admittunt plerique ex adversariis. 2. Quoad Pium VI., ipsum potestatem in his quæ spectant ad matrimonii valorem non tantum soli Ecclesiæ adscribere, sed ideo adscribere, quia matrimonium elevatum est ad dignitatem sacramenti, imo *non alia ratione* adscribendam pronuntiare; unde sequeretur damnatos dici debere quicumque non tenent secundam opinionem, id est, præstantissimes omnis gentis theologos, ut patet ex dictis (n^is^ 292, 293). Addi posset eumdem Pontificem in Epistola ad archiepiscopum Mechliniensem, 10 decembris 1784, expresse

dicere: "Nos non damnamus absolute eos doctores catholicos qui asseruerunt principem posse adjungere impedimenta ad reddendam inefficacem et tollendam materiam aptam sacramento, quamvis alii magis merito illud negent;" nec ullatenus credibile esse interim factam fuisse tantum mutationem in statu controversiæ. Reipsa quæ opponuntur nullatenus sunt objectum directum judicii pontificii, nec omnino pertinent ad illius accessoria. Substantia est condemnatio agendi rationis episcopi Motulani, qui pronuntiaverat de causa matrimonii jam judicata per achiepiscopum Neapolitanum, quæ scilicet versabatur circa impedimentum impotentiæ: illa autem agendi ratio, in omni opinione, multiplici vitio laborabat, ut ex ipso Brevi manifestum est. Stat ergo judicium S. Pontificis inconcussum, independenter a discussionibus quæ in præsenti opponuntur, quæ non sunt nisi accessoria, nec proinde dici possunt decisio pontificia. 3. Quoad Pium VIII. et Gregorium XVI. eorum verba contra illos tantum dirigi qui Ecclesiæ auctoritatem circa matrimonium non agnoscentes, aut a potestate civili pendere propugnantes, ejus leges contemnunt aut parvi pendunt.

299. IV^um^ *Argumentum. Ex variis responsis Congregationum Romanarum. S. Pœnitentiaria*, pluries interrogata de matrimoniis apud nos cum impedimento civili initis, semper respondit, iis *suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a seculari potestate, Ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta:* ita speciatim in una responsione data 1 junii 1824, in qua, cum auctoritate S. Pœnitentiariæ, simul concurrit auctoritas Inquisitionis, et S. Congregationis Concilii. Citari possunt etiam variæ aliæ responsiones in eodem sensu datæ, prout testatur D. Perocheau, *loc. cit.* p. 346. Et quidem cum hic agatur de valore sacramenti, congregationes Romanæ non responderunt secundum sententiam probabiliorem, sed suam sententiam habuerunt et haberi voluerunt ut certam. Hinc deduci potest hanc esse praxim Ecclesiæ, tum in missionibus apud infideles, tum in regionibus in quibus legislator civilis quædam de matrimonio statuit diversa

a legibus Ecclesiasticis : sicque hic applicari potest argumentum quod alia occasione protulimus (n° 83, III. p. 84).

Respondent alii magna quidem veneratione excipi debere harum SS. Congregationum responsa : non esse tamen tanti ponderis ut ex iis penitus dirimi debeat controversia. Respondet S. Pœnitentiaria casibus propositis juxta ea quæ probabiliora judicat, nec ideo intendit quæstiones definire ; nec enim in hunc finem fuit instituta. Idem dici potest de aliis Romanis Congregationibus.

300. V^um^ *Argumentum. Ex auctoritate theologorum.* Fere omnes theologi extranei in deneganda principium potestate consentiunt ; in Galliis autem non defuerunt olim, nec hodie desunt gravissimi theologi qui idem sentiant. Nemo autem non videt quanti sit ponderis hic theologorum consensus.

Reponunt alii : 1° non deesse graves theologos, etiam apud exteros, qui, post PETRUM SOTO, potestatem principum admittunt. 2° Apud eos qui negant, paucissimos esse qui quæstionem ex professo expenderint, et argumenta accurate discusserint. 3° Multum abesse quin omnes theologi qui quartæ opinioni adversantur sint unius ejusdemque opinionis, ut intelligitur ex dictis : imo et numero et antiquitate præstare eos qui recurrunt ad reservationem Ecclesiæ, ideoque opinioni quartæ consentiunt in iis quæ sunt præcipua et huic controversiæ propria.

301. VI^um^ *Argumentum.* Ex ratione, seu *ex consectariis quartæ opinionis.* Hæc opinio conciliari nequit 1° cum rerum natura : repugnat enim ut idem objectum subjiciatur æque immediate duplici auctoritati, cum nequeat esse simul spirituale et temporale ; 2° cum bono regimine societatis : orientur enim quasi necessario conflictus inter potestatem ecclesiasticam et potestatem civilem, cum una possit invalidum judicare aut statuere matrimonium quod altera pro valido habebit : quo posito, subditi versabuntur in statu perplexo ; et si duæ illæ auctoritates sese mutuo elidere dicantur, adeo ut res in suspenso maneat, jam tollitur utriusque independentia, cum neutra sit, posito illo systemate, in suo ordine suprema. Ergo, etc.

Reponunt alii 1° hanc difficultatem applicari posse omnibus rebus de quibus jus præcipiendi aut prohibendi Ecclesiæ simul et principibus conceditur; dicuntur hæc objecta mixta, et communiter agnoscunt theologi dari objecta hujusmodi. 2° Non esse timendos conflictus, si utraque potestas alterius jura agnoscat, nec recedat a fine quem sibi proponere debet. Ecclesia enim matrimonium attingit prout ordinem dicit ad bonum spirituale, princeps vero quatenus ordinem dicit ad bonum temporale: cum ergo Deus sit auctor societatis ecclesiasticæ simul et civilis, ideoque verum unius bonum contrarium esse nequeat bono alterius, nulla erit discordia quandiu unaquæque potestas intra proprios limites consistet. 3° Etiam in casu conflictus, dari posse regulas quibus res componantur. Etenim vel princeps recusabit agnoscere impedimentum ab Ecclesia constitutum, vel vice versa. In priori casu, matrimonium erit semper irritum, quia princeps non potest destruere impedimentum ab Ecclesia constitutum, cum Ecclesia spoliari nequet auctoritate quæ ipsi jure divino competit. Hinc Pius VI. in Const. *Auctorem fidei*, prop. 60, hæc habet: " Rogatio synodi...quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata...libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio (in prop. 59 jam cit.) profecta:" cum enim Ecclesia habeat jus sibi proprium nec a principe mutuatum, statim ac impedimentum vel constituit, vel a principe constitutum comprobavit, id est, suum fecit et vim canonicam ei tribuit, princeps nequit vim illam tollere aut restringere, sive aliunde agnoscatur præditus potestate statuendi impedimenta, sive non. Igitur poterit quidem matrimonium habere effectus civiles, imo poterit adesse quoddam vinculum legale seu matrimonium putativum sensu jam exposito, sed nullum et irritum erit quoad vinculum naturale. Neque ideo sic nuptus versabitur in statu perplexo; quia lex civilis, simul ac declarat validitati talis matrimonii nihil obstare ex sua parte seu in suo foro, illum sinit providere suæ conscientiæ. In posteriori casu, dicendum quod Ecclesia, ut pote sancta et infallibilis in sua

disciplina, non possit rejicere impedimentum justum: igitur si rejiciat, impedimentum vim nullam habebit, non quia Ecclesia ex auctoritate sua irritabit legem civilem, sed quia irritam declarabit, eo quod principis potestas, quæ a Deo ordinata est, sit in ædificationem, non in destructionem, quemadmodum v. g. irritam pro foro interno declaravit in Concilio Lateranensi legem quæ decernebat valere præscriptionem etiam cum mala fide.

Hæc sunt præcipua variarum opinionum argumenta, hæ præcipuæ quæ iis opponuntur difficultates: jam in aperto est status controversiæ, quam accurate et absque ullo partium studio exponere conati sumus, sed quam dirimere nostrum non est.

ART. 2. *An legislator civilis in Gallia voluerit statuere impedimenta stricte matrimonium dirimentia.*

302. Majoris vel minoris momenti videbitur præsens quæstio, pro ea quam quisque admiserit opinione quoad principum potestatem ad statuendum impedimenta vere dirimentia: in omni tamen sententia operæ pretium videtur eam expendere.

Porro inter impedimenta Codice civili sancita, quædam sunt juris naturalis; de his nulla difficultas. Quædam jure canonico simul sunt constituta; non est inutile expendere an, posita potestate principis, essent vere dirimentia vi legis civilis; si enim talia essent matrimonium redderent invalidum, etiam obtenta dispensatione Ecclesiæ. Tandem aliæ sunt Codici civili propria: de his præcipue movetur difficultas, utrum in mente legislatoris sint vere dirimentia in foro conscientiæ, id est, utrum reddant matrimonium invalidum in se et quoad vinculum, et non quoad solos effectus civiles; et quidem etiam in foro conscientiæ, et non tantum in foro externo.

Duplex exorta est opinio. Alii affirmant impedimenta civilia esse, in quantum id pendet a legislatore, vero dirimentia in foro conscientiæ: alii negant. Utriusque opinionis argumenta exponere nobis sufficiat.

303. I° *Argumenta eorum qui* AFFIRMANT LEGISLATOREM VOLUISSE *statuere impedimenta vere dirimentia.*

I. *Ex textu legis.* Lex utitur his verbis: *On ne peut contracter mariage, le mariage est prohibé, on ne peut réclamare le titire d' époux, il n'y a pas de mariage, le mariage est nul, la nullité peut et doit être demandée*, etc. Ita art. 144, 146, 147, 148, 161, 162, 163, 184, 190, 191, 194. Porro hæc verba, sensu obvio et naturali intellecta, indicant matrimonium esse omnino irritum.

304. II. *Ex discussionibus Codicis civilis.* 1. Primi redactores *(Discours preliminaire du Projet de Code civil)* conqueruntur quod theologi non viderint in matrimonio nisi sacramentum, et jurisperiti nonnisi contractum civilem: deinde ipsi plura disserunt de contractu naturali, quem dicunt legibus ordinandum esse. Postea sive in Concilio status, sive coram Cœtu legislativo, quando actum est de ætate, de consanguinitate, etc., nullus est ex oratoribus, qui non agat de respectibus contractus matrimonii in bonum societatis, nullus qui non nitatur iis motivis quibus

fundari solent impedimenta vere dirimentia. 2. Quod magis apertum est in Concilio status, quando actum est de nullitatibus, hæc aiebat PORTALIS: " Les nullités ne sont plus les mêmes, mais les anciennes sont remplacées par des nullités nouvelles, qui sont de la même nature. La nullité relative, résultant de la non présence du propre curé, est remplacee par celle qui résulterait de l'absence de l'officier de l'état civil." 3. Coram Cœtu legislativo sic loquitur idem Portalis, motiva legis exponens: " Il n'y a pos mariage, mais commerce illicite entre des personnes qui n'ont point formé leur engagement en présence de l'officier civil compétent, témoin nécessaire du contrat. Dans notre législation actuelle, le defaut de presence de l'officier civil compétent a les mêmes effets quiavit antrefois le défaut de présence du propre curé. Le mariage était radicalement nul, il n'offrait qu'un attentat aux droits de la société, et une infraction manifeste des lois de l'Etat." Certe desiderari non possunt verba magis expressa.

305. III. *Ex auctoritate jurisperitorum*, sententia magni esse debet ponderis in ista materia. Plures interrogavimus, vel verbo, vel scriptis: omnes existimaverunt impedimenta Codicis civilis esse vere dirimentia in foro conscientiæ. Ii sunt DD. DELVINCOURT et PARDESSUS, tunc professores in facultate Parisiensi; TOULLIER, professor in facultate Rhadonensi; DE LA CALPRADE et DUPIN, advocati Parisienses; DE LA VIGUERIE, advocatus Tolosanus: non solum in ea fuerunt sententia, verum varias adduxerunt rationes et observationes, quas in decursu afferimus.

306. IV. *Ex principiis quibus imbutus fuisse apparet legislator.*

1° *Circa unitatem matrimonii.* In Codice civili agnoscitur unitas tanquam matrimonio essentialis, art. 147: nullum dubium ea de re motum est in discussionibus. Atqui tamen, quando matrimonium declaratum est irritum propter impedimentum dirimens, certe permittitur novum inire: ergo vel agnoscendum est matrimonium fuisse omnino irritum, vel discendum dissolvi per sententiam judicis: atqui posterius dici nequit. Nam. 1. impedimenta non reponit Codex inter causas dissolutionis matrimonii, quas recenset art. 227: sed optime distinguit inter postulationem nullitatis, et dissolutionis. 2. Nullum statuitur sub eo respectu discrimen inter varia impedimenta, et defectum consensus ac errorem circa personam, quæ profecto non dissolvunt matrimonium jam validum, sed omnino impediunt ne validum fiat. Ita art 180 et seq.

2° *Circa legislationem connubialem.* Impedimenta quæ olim agnoscebant jurisperiti erant profecto vere dirimentia; porro legislator noluit hanc legislationem de medio tollere, sed solum immutare. Hinc jurisperiti officiarium civilem hodie in eodem prorsus gradu reponunt ac olim proprium parochum: ita in textibus jam allatis Portalis: ita etiam multi alii.

3° *Circa jus principum in matrimonia.* Qui varias discussiones expenderit, facile deteget plures consiliarios et legislatores, principiis jurisperitorum neotericorum imbutos, existimasse soli potestati civili competere auctoritatem ferendi leges circa contractum matrimonii. Ergo si impedimenta non sit vere dirimentia, dicendum erit legislatores nulli legi voluisse subjectum contractum, quem exhibent ut tanti momenti, et ut tam efficaciter influentem in bonum societatis: atqui nemo non videt illud admitti non posse. Ergo, etc.

307. V. *Ex confutatione opinionis oppositæ.* Si non admittatur impedimenta codicis civilis esse vere dirimentia, lex restringenda erit ad effectus civiles, vel ad forum externum seu vinculum legale: atqui neutrum ex his dici potest. 1° Dicit nequit legem *attingere tantum effectus civiles.* 1. Art. 194, aperte distinguitur contractus naturalis ab effectibus civilibus: *Nul ne peut réclamer le titre d' époux et les effets civis du*

mariage si, etc.; sed articulus 201 præsertim est omnino clarus: *Le mariage qui a été déclaré nul, produit néanmoins les effets civils lorsqu'il a été contracté de bonne foi.* Ergo nullitas non attingit directe effectus civiles, sed contractum naturalem. 3. Jurisperiti omnes, Codicem explicando, disserunt de matrimonii respectibus naturalibus; unde certum esse nobis asserunt D. DELVINCOURT sub eo respectu matrimonium attingi a lege civili; nec putamus ullum jurisperitum contradicere. 2o Dici nequit impedimenta *non respicere nisi forum externum*, seu non dirimere nisi *vinculum legale* seu *civile* matrimonii. Lex enim civilis, præsertim lata ex motivo boni publici, et in ordine ad mores, qualis est ista, conscientiam attingit, nisi ratione quadam peculiari contrarium constet. Præsumitur legislator velle totam suam auctoritatem exercere, aiebat D. DELVINCOURT; vult ut lex sua servetur, et cum in conscientiæ vinculo sanctionem efficaciorem inveniat, procul dubio non vult eam recusare, inquiebat D. DUPIN. Esto quod multi ex illis qui ad legis confectionem concurrerunt, parum curaverint de vinculo religiose et naturali, imo de eo non satis recte senserint; non ideo legi civili detrahitur vis illa quam habet, non præcise ex opinionibus aut intentione legislatoris, sed ex ordinatione Deo potissimum: aliunde vitium, ut ita dicam, primævum alicujus legis tollitur per approbationem et sanctionem principum subsequentium. Demum si, absque motivo speciali et certo, possent restringi leges ad forum externum, jam pessumdaretur omnis obedientia auctoritati civili debita, quam tanta cura commendaverunt Apostoli et SS. Patres, etiam sub principibus a religione valde alienis, imo huic omnino infensis. His ultra non insistemus, quia non sunt specialia quæstioni præsenti, sed respiciunt generatim omnes leges civiles.

308. In hac tamen prima opinione, non pauci *excipiunt impedimentum quod oritur ex morte civili*, quia in art. 25, in quo determinantur effectus mortis civilis, legitur: "Le mort civilement est incapable de contracter un mariage qui produise aucun effet civil." Illa verba sensu obvio et per usum constantem veteris jurisprudentiæ determinato intellecta, non important vinculi nullitatem: porro lex, præsertim irritans, non est extendenda ultra sensum rigorosum verborum: ergo credendum est Codicem voluisse confirmare legem antiquam, ex qua matrimonium mortui civiliter non erat irritum nisi quoad effectus civiles. Unde, ut explicent discrimen inter hoc et alia impedimenta, ex quo non levis educitur difficultas contra istam primam opinionem, dicunt istud impedimentum constituere, non quidem speciem diversam impedimentorum, sed exceptionem regulæ generali: quod mirum videri non debet, cum lex ipsa verbis prorsus diversis utatur. Rationem autem illam nobis afferebat D. DELVINCOURT hujus discriminis: cum alia impedimenta fundentur bonis moribus et ordine publico, debent matrimonium prorsus rritum efficere; istud vero non nititur nisi fictione legis, quæ licet hominem mortuum reputet, non ignorat esse vivum, ac proinde non mirum est quod ipsum non spoliaverit omnibus juribus naturalibus, quale est jus nubendi.

309. II° *Argumenta eorum qui* NEGANT VOLUISSE LEGISLATOREM *statuere impedimenta vere dirimentia.*

Isti non propugnant quidem impedimenta civilia respicere tantum effectus civiles, sed asserunt non respicere nisi forum externum, seu non dirimere nisi vinculum legale et civile matrimonii. His autem nituntur.

I. *Ex discussionibus* habitis sive cum de morte civili, sive cum de divortio, sive cum de matrimonio generatim ageretur. Vix ullus fuit ex consiliariis et oratoribus qui non fuerit professus legem spectare tantum

ad contractum civilem, non curare de contractu naturali et religioso, abstrahere ab omni idea religiosa et obligatione conscientiæ: hæc omnia passim occurrunt percurrenti has discussiones. Porro hæc satis indicant mentem legislatoris fuisse ut non nisi vinculum legale attingeret.

310. II. *Ex impedimento mortis civilis.* Nulla est ratio sufficiens cur dicatur legem aliter sensisse aut statuisse de aliis impedimentis ac de morte civili: neque vulgo agnoscunt jurisperiti illa majorem vim habere ac istud. Atqui impedimentum ex morte civili non attingit vinculum naturale, ut agnoscunt omnes jurisperiti; attingit tamen vinculum legale et externum, ita ut coram lege sit tale matrimonium tanquam non existens, nec obstet novo matrimonio ineundo; ita propugnant MERLIN et multi jurisperiti, qui id deducunt tum ex discussionibus articuli 25, e quibus satis manifestum videtur hanc fuisse legislatorum mentem, tum ex art. 227 et 228, ex quibus idem naturaliter concluditur: ita etiam pluries judicarunt tribunalia, et hæc est jurisprudentia longe magis recepta. Ergo idem admittendum de aliis impedimentis.

311. III. Ex *dispositionibus legis circa divortium.* Eodem modo voluit lex matrimonium *irritare* in casu impedimenti, quo voluit *dissolvere* in casu divortii: hæc duo sæpe in discussionibus æquiparantur et eodem ordine reponuntur. Atqui certum est in casu divortii voluisse tantum dissolvere quoad vinculum legale, abstrahendo ab omni vinculo conscientiæ. Ergo, etc.

IV. *Ex natura impedimentorum.* Nullitates quas producunt illa impedimenta non sunt pleni juris, sed requirunt sententiam judicis; et quidem plures sunt quæ fere omnino relinquuntur judicis arbitrio, ut in decursu videbitur (n° 324); sunt tantum relativæ, saltem pleræque; sunt demum præscriptibiles. Porro hæc omnia facile intelliguntur, si respiciant tantum forum externum, non vero si ipsum forum conscientiæ, in quo matrimonium debet esse ab initio, et ante sententiam, vel statim validum, vel vi solius legis invalidum, et quidem absolute et erga omnes quorum interest, nec potest lapsu temporis convalescere. Ita olim ratiocinabantur plures theologi contra jurisperitos qui admittebant in matrimonio filiorum familias sine consensu parentum inito nullitatem ejusdem generis ac sunt nullitates Codicis nostri. Quædam mox observabimus (n^is 313, 314), ex quibus intelligetur qualis esse possit vis illius argumenti.

312. Hæc sunt præcipua utriusque opinionis argumenta. Cæterum etiam admisso quod legislator vere voluerit statuere impedimenta dirimentia, inquiri adhuc forte posset, an id juste voluerit. Porro quibusdam id satis dubium videtur: 1° quia lata sunt non consulta, nec probante Ecclesia, sine cujus tamen concursu immutari non debuisset legislatio, quæ mutuo utriusque potestatis consensu inducta fuerat, et longa sæculorum observantia sancita: 2° quia satis constat plerosque ex iis qui in lege condenda partem habuerunt fuisse principiis erroneis innixos, et ductos animo erga religionem male affecto; 3° demum quia ex ista legislatione sequi videntur consectaria quæ cum obligationibus conscientiæ vix possunt conciliari. Ergo, inquiunt, varia hæc impedimenta ad forum externum sunt restringenda.

313. Quæcumque admittatur opinio circa vim quam ex voluntate legislatoris habent in conscientia impedimenta nostra civilia, opportunum tamen est exponere naturam variarum nullitatum quas inducunt: exinde intelligetur quid saltem operentur illa impedi-

menta circa vinculum quod attingunt, sive deinde illud sit vinculum naturale et internum, sive tantummodo externum et legale.

1° Vulgo statuunt jurisperiti in matrimonio locum non haberet nullitates *pleni juris*, excepto solo casu mortis civilis. Porro per hanc assertionem intelligunt tantum semper recurrendum esse ad judicem, ut in foro civili disrumpatur vinculum apparens: sic in discussione explicabat TRONCHET: "Jamais le mariage n'est nul de plein droit; il y a toujours un titre et une apparence qu'il faut détruire." Ideo aliter statuitur de morte civili, quia satis constat de nullitate, modo exhibeatur judicium pronuntians pœnam quæ inducit mortem civilem. Sed non ideo sentiunt jurisperiti matrimonium in se validum esse, usque ad sententiam judicis; siquidem, ut jam vidimus, sententia judicis est tantum declaratoria, non dissolvit matrimonium, sed irritum declarat.

314. 2° Admittuntur in jure nostro nullitates absolutæ, et relativæ: illud agnoscunt omnes jurisperiti. Nullitatis absolutæ, cum directe fundentur motivo ordinis publici, invocari possunt ab omnibus quorum interest, ab ipsis sponsis et a ministerio publico: nullitates vero relativæ invocari nequeunt nisi a certis quibusdam personis, in quarum gratiam constitutæ sunt, et per quoddam tempus lege determinatum. Porro apud omnes non constat quænam sit natura nullitatis relativæ. Duplici præsertim modo explicari potest.

1° Ita eam nobis exposuerunt DD. DELVINCOURT et PARDESSUS. Juxta eos, impedimenta quæ inducunt nullitatem tantum relativam sunt veluti conditionata. Scilicet, inquiunt, vel nullitas invocatur ab iis qui jus habent, vel non. Si primo, matrimonium fuit ab initio irritum, ideoque judex non dissolvit, sed declarat nullum, id est, declarat nunquam exstitisse matrimonium. Si secundo, matrimonium fuit semper validum, aut saltem tale præsumitur a lege. Sic matrimonio sua servatur indissolubilitas, nec dici potest matrimonium irritum, fieri validum sola vi legis. Eam explicationem admittere possunt ii omnes qui sentiunt matrimonium iniri posse sub conditionibus de futuro contingenti.

2° Paulo aliter rem explicat TOULLIER. Juxta il-

lum, quælibet impedimenta reddunt quidem matrimonium invalidum ab initio ; sed propter bonum pacis, et ad vitandum scandalum, jus postulandi nullitatem quibusdam tantum conceditur, et non nisi per certum tempus : " Alors *inquiebat olim* D'Aguesseau, on peut dire que le mariage est comme validé, non qu'il soit exempt de défaut, mais par le défaut de droit dans celui qui veut le faire annuler, *Non jure proprio, sed defectu juris alieni*.....Si les parties doutent de la sûreté de leur état, par rapport à la conscience, elles peuvent le confirmer par des actes qui réparent les défauts des premiers ; mais à l'égard du public, et par rapport à la police extérieure, on les considère comme parfaitement engagés, et l'on ne souffre pas qu'on trouble impunément la tranquillité de leur état." Illa explicatio est omnino consentanea iis quæ dicta sunt in discussionibus Codicis : et potest suaderi tum ex eo quod inter nullitates tantum relativas, ex art. 180, ponantur defectus consensus unius e contrahentibus, et error ; quæ profecto reddunt matrimonium omnino invalidum : tum quia etiam nullitates absolutæ aliquando, post certum tempus, non debent admitti, nec a ministerio publico proponi, ut communiter agnoscunt jurisperiti. Unde secunda illa explicatio videtur magis menti legis consentanea.

Sed quidquid sit, satis certum videtur nullitates relativas non esse eo sensu intelligendas, quod rescindant contractum ab initio validum ; vel quod irritent matrimonium, quod postea vi solius legis convalescat : nullus unquam jurisperitus eas eo sensu intellexit. Quando pronuntiatur nullitas, matrimonium declaratur irritum ab initio : quando autem non pronuntiatur, vel irritum nihilominus remanet, vel, si convalescat, id fit, non vi solius legis, sed alia ratione ; scilicet, juxta priorem explicationem, quia deficiente conditione, non adest nullitas ; juxta posteriorem, quia nullitas non nitebatur nisi præsumptione facti, vel quia pendebat a consensu partium aut aliorum. Concipitur ergo, et quidem in utraque explicatione, quod nullitates relativæ conciliari possint cum natura matrimonii.

ART. 3. *Quænam sint impedimenta civilia apud nos admissa.*

315. Breviter percurremus singula impedimenta canonica, indicando quænam sint in jure nostro civili simpliciter admissa quænam prætermissa quænam cum variis restrictionibus seu modificationibus retenta ; deinde loquemur de impedimentis novis superadditis. Tandem exponemus a quibusnam postulari possint nullitates per illa impedimenta inductæ, et utrum per dispensationem tolli possint.

I° AMENTIA. Includitur illud impedimentum in art. 146, cum amentia tollat consensum. Hinc cum hodie interdictio non feratur nisi ob triplicem causam assignatam, art. 489, *un état habituel d' imbécillité, de démence, ou de fuerur*, non valeret matrimonium interdicti, etiamsi haberet intervalla lucida, quia coram lege præsumitur incapax consensus.

II° ERROR. Illud impedimentum, quod oritur ex jure naturali, agnoscit Codex civilis, art. 146 : " Il n'y a pas de mariage, lorsqu'il n'y a point de consentement ;" et art. 180, in quo agitur de nullitate postulanda propter errorem circa personam. Sed ultra non progreditur ; unde standum regulis quas exposimus ubi de impedimento canonico.

III° Vis seu METUS. Standum pariter regulis juris naturalis, et principiis quæ statuuntur de contractibus generatim, art. 1109-1115.

316. IV° IMPOTENTIA, et ÆTAS. De impotentia prorsus silet Codex civilis. Quoad ætatem vero hæc statuit. Vir ante annum ætatis xviii. completum, mulier ante an xv. nubere nequeunt ; art. 144. Illud impedimentum nititur tum præsumptione incapacitatis, tum imperfectione consensus, et motivo boni ordinis.

V° DIGAMEN. Illud impedimentum agnoscit Codex Civilis art. 147 : " On ne peut contracter un second mariage avant la dissolution du premier." Idem supponit art. 188. Duo tantum notabimus. 1° Ex omni et solo matrimonio civili oritur istud impedimentum civile ligaminis. 2° Mulier non potest novum inire matrimonium, nisi post decem menses evolutos a dissolutione prioris matrimonii, art. 228 ; sed matrimonium antea initum haberetur ut validum ex jurisprudentia satis constanti tribunalium, quamvis adsint rationes satis graves illud habendi tanquam irritum.

317. VI° VOTUM. Lex hodie non agnoscit vota solemnia, nec proinde impedimentum voti.

VII° ORDO. Olim erat impedimentum dirimens, etiam in foro civili ; hodie de eo prorsus silet Codex civilis : sed per decisionem Gubernii, an. 1806 et 1807, cautum est ne officiarii civiles tolerarent matrimonia sacerdotum, qui a tempore Concordati anni 1801 communione conjuncti fuerant cum suo episcopo. An. 1813, in Concilio status determinatum fuit ferendam esse legem qua irritum declararetur matrimonium eorum qui sacros ordines susceperant ; sed paulo post immutato rerum politicarum statu, lex illa lata non fuit.

Quæ cum ita sint, exorta est quæstio, *an hodie ordo sit apud nos impedimentum dirimens civile ?*

In varias opiniones abierunt jurisperiti. Non pauci affirmarunt : quorum alii id deducunt præcipue ex *Concordato*, ut dicitur, anni 1801, et ex lege lata 18 *germinal*, an. x. (8 avril 1802), qua continentur articuli vulgo dicti *Articles organiques*, quæ, art. 6 et 26, supponit vim canonum qui ad clerum spectant : alii nitebantur præcipue articulo sexto legis fundamentalis *(la Charte de* 1814) : " La religion catholique, apostolique et romaine est la religion de l'Etat."

Multi contra docuerunt impedimentum ordinis hodie non vigere coram lege : tum quia ita expresse coram Cœtu legislativo asseruit PORTALIS,

motiva legis exponens, sive de Concordato, sive de Matrimonio; tum quia decisio Gubernii, supra indicata, et ea quæ peracta sunt an. 1813 in Concilio status satis ostendunt agnitum non fuisse tunc impedimentum ordinis sacri.

Eadem quæstio pluries coram tribunalibus occurrit. Anno 1818, discussa fuit occasione cujusdam presbyteri, nomine *Martin:* pro matrimonii nullitate judicavit curia regia Parisiensis, 18 maii 1818: et cum appellatum fuisset ad curiam supremam, nihil de hoc puncto pronuntiatum fuit. Sed quæstio discussa fuit præsertim occasione nimium famosi *Dumonteil.* Repulsam passus coram tribunali et curia regia Parisiensi an. 1828, tandem causam obtinuit coram eodem tribunali Parisiensi 26 mart. an. 1831; sed judicium illud irritum fecit curia regia 14 jan. 1832, a qua non dissensit curia suprema 21 febr. 1833, cujus verba afferre juvat: "La cour *(après délibération en la chambre du conseil)*, attendu qu'il résulte nes articles 6 et 26 de la loi organique du Concordat de germinal an 11, que les prêtres catholiques sont soumis aux canons qui alors étaient reçus en France, et par conséquent à ceux qui prohibaient le mariage aux ecclésiastiques engagés dans les ordres sacres; attendu que le Code civil et la Chartene renfermant auvune dérogation à cette législation speciale, l'arrêt attaque, en interdisant le mariage dont il s'agit, n'a violé aucune loi; rejette, etc."

Demum ab anno 1830, interrogatum Gubernium respondit officiariis civilibus quæstionem, casu occurrente, deferendam esse ad tribunalia quorum est leges interpretari.

318. VIII° et IX° Cognatio et Affinitas. Triplex distinguitur cognatio, ut vidimus.

I. *De cognatione spirituali*, non curat hodie lex civilis.

II. *De cognatione naturali* et *affinitate.* Hæc duo quæ lex conjungit non disjungemus. Sic legitur art. 161: "En ligne directe, le mariage est prohibé entre tous les ascendants et descendants légitimes ou naturels, et les alliés au même degré." Art. 162: "En ligne collatérale, le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, et les alliés au même degré." Art. 163: "Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu." De his, nobis sufficiat quædam observare. 1° Dubium est an, ut cognatio mere naturalis producat impedimentum, requiratur quod sit legaliter agnita. 2° Declaravit Concilium status, an. 1808, sub art 163, comprehendi *le grand-oncle et la petite-nièce:* idem dicendum *de la grande tante et du petit-neveu;* uno verbo de iis qui inter se referunt imaginem parentum et liberorum.

III. *De cognatione legali* seu *adoptione.* Sic statuit art. 348: "Le mariage est prohibé entre l'adoptant, l'adopté et ses descendants;—entre les enfants adoptifs du même individu;—entre l'adopté et les enfants qui pourraient survenir à l'adoptant;—entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté." Vulgo agnoscitur his exprimi impedimentum dirimens; et quidem magis extenditur quam in jure Romano, cum impediat matrimonium inter plures filios adoptivos ejusdem personæ.

X° Honestas publica. Illud impedimentum, quatenus oritur ex sponsalibus, non admittit Codex civilis, cum de iis omnino sileat: si vero ex matrimonio rato, locum habere potest aliquatenus sub titulo *affinitatis (alliance)*, ad quam lex civilis non exigit ut matrimonium fuerit consummatum.

319. XI° Disparitas cultus. In foro civili non viget.

XII° Conditio. Cum apud nos servitus non existat, huic impedimento locus non est. Sed ea occasione agere possumus de morte civili.

1° Si mors civilis in se spectetur, jam vidimus (n^is 308, 310) a quibus-

dam haberi ut impedimentum ejusdem generis ac alia, a quibusdam vero existimari illud non attingere nisi effectus civiles.

2° Si autem spectemus ad errorem circa mortem civilem, certum est illum errorem per se non esse impedimentum, quia nullibi æquipasatur errori circa personam. Contra, juxta plures auctores, in quorum sensu judicavit curia suprema die 15 januar. 1816, ille error tribuit matrimonio effectus civiles ad sensum articuli 201. Contradicunt tamen plures, quia cum mors civilis non incurratur nisi per sententiam juridicam, lex non supponit bonam fidem : aliunde art. 201, non respicit nisi nullitates de quibus agitur in cap. IV. ad cujus calcem est appositus : porro inter eas non memoratur mors civilis.

320. XIII° Raptus. Illud impedimentum, quale statutum est jure canonico, non admittitur in jure civili : sed raptus violentiæ includitur in impedimento vis, cum aliquo tamen discrimine ; raptus autem seductionis, qui, ut vidimus, præcipue constituebatur per injuriam illatam parentibus, includitur in necessitate consensus paterni.

XIV° Crimen. Quando vigebat divortium, et fuerat pronuntiatum ob causam adulterii, conjux reus nubere non poterat cum complice ; art. 298 : sed cum lex nulli tribueret jus impugnandi tale matrimonium, impedimentum erat tantum prohibens. Non constat an illa dispositio applicanda sit separationi, quæ hodie viget : opinioni neganti consentanea est jurisprudentia curiæ supremæ, quæ non applicat separationi dispositiones pœnales spectantes ad divortium.

XV° Clandestinitas, seu defectus præsentiæ parochi, non attenditur in foro civili : sed alia via lex curat de publicitate matrimonii, ut modo dicemus.

321. Nunc speciatim dicendum de duobus impedimentis Codici civili propriis.

XVI° Defectus consensus parentum. Duo status filiorum sunt distinguendi.

1. *Ante majoritatem*, id est, ante annum vigesimum quintum completum pro viris, et vigesimum primum pro feminis, absolute requiritur consensus parentum. *Art.* 148, *Cod. civ.* Hæc autem observari possunt.

1° Si dissentiant, sufficit consensus patris ; *ibid.* Ratio est quia pater est caput familiæ.

2° Si unus e duobus parentibus mortuus sit, vel in impossibilitate manifestandi voluntatem, sufficit consensus alterius. *Art.* 149.

3° Deficientibus patre et matre, succedunt in eorum locum avi et aviæ : si dissentiant, sufficit avi consensus : si dissentiant inter se ambæ lineæ, ille dissensus consensui æquivalet. *Art.* 150.

4° Deficientibus his omnibus, usque ad unum xxi., sive pro masculis sive pro feminis, requiritur consensus consilii familiæ. *Art.* 160.

5° Quoad filios mere naturales statuunt art. 158,

159 : si sint legaliter agniti, indigent pariter consensu parentum ; non vero avorum, quia nonnisi a patre et matre agnosci possunt. Si vero non sint agniti, vel si, post agnitionem, pater et mater mortui sint, aut in impossibilitate voluntatem manifestandi, non possunt, ante annum vigesimum primum completum, nubere sine consensu tutoris *ad hoc*, qui ipsis datur.

II. *Post majoritatem*, lex præcipit actus obsequiosos, nempe tribus vicibus repetitos, si ante plenam majoritatem, id est triginta annos completos pro viris, et viginti quinque pro feminis, *art.* 150 : et una tantum vice, si post eam ætatem. *Art.* 153.

Not. Huc referri potest quod sancitum est decreto 16 junii 1808, quoad milites : officiarii nubere nequeunt sine consensu Ministri belli, milites vero sine consensu consilii administrationis. Per alterum decretum 3 augusti ejusdem anni statuum est eas dispositiones applicandas fore officiariis et militibus nauticis *(des troupes appartenant au département de la marine)*. Sed omnes agnoscunt hæc non præscribi sub pœna nullitatis.

322. XVII° Defectus præsentiæ officiarii civilis, *et aliarum formalitatum quas lex præscribit.*

Jam vidimus præsentiam officiarii civilis præscribi sub pœna nullitatis, colligiturque ex art. 191, qui statuit nullitatem postulari posse ab omnibus quorum interest, et a ministerio publico : et quidem facile intelliget quam gravis momenti debeat esse illa nullitas, qui adverterit sine illa præsentia ne adesse quidem legalem apparentiam matrimonii.

Porro officiarius competens est officiarius domicili unius e contrahentibus : ex art. autem 74, " Ce domicile, quant au mariage, s'établira par six mois d'habitation continue dans la même commune." Unde patet domicilium in ordine ad matrimonium aliter spectari ac domicilium in genere, de quo agit Codex civ., art. 102 et seq. Ad acquirendum enim domicilium in genere, requiritur intentio sedem figendi : sed, quando illa intentio est sufficienter manifestata, sufficit habitatio qualiscumque : ad domicilium vero in ordine ad matrimonium illa intentio nec requiritur, nec sufficit ; sed ratio habetur solius habitationis per sex menses

continuatæ. Igitur si quis, domicilium suum reale servans, alibi per sex menses habitaverit, v. g, negotiorum causa, poteritne adhuc nubere in loco domicilii realis? Affirmant multi, juxta quos art. 74 non tollit jus nubendi in vero domicilio, sed tantum concedit facultatem nubendi in loco habitationis. Negant alii, quia art. 74 est omnino imperativus, non vero facultativus: lex voluit consulere publicitati matrimonii; porro longe melius obtinetur ille finis, si matrimonium celebretur in loco habitationis, quam si in domicilio, cum domicilium brevissimo tempore aliquando acquiri possit. Si quis vero prius domicilium abdicaverit, et tamen in novo nondum per sex menses habitaverit, non constat etiam ubinam nubere possit. Forsitan dici posset, in utraque hypothesi, magnam habendam esse rationem circumstantiarum, ad sensum mox exponendum (nº 324), ubi de articulo 193.

323. Dixi *Et aliarum formalitatum*, etc.: duæ sunt præcipuæ, nempe promulgatio bannorum, et celebratio publica matrimonii.

I. *De promulgatione bannorum.* Vid. art. 63, 64, 65, et 166—170 Codicis civilis. Agnoscunt communiter jurisperiti promulgationem non requiri sub pœna nullitatis. Adest tantum difficultas pro matrimonio celebrato in regione extranea, de quo sic statuit art. 170: "Le mariage contracté en pays étranger entre Français, et entre Français et étrangers, sera valable s'il a été célébré dans les formes usitées dans le pays, pourvu qu'il ait été précédé des publications prescrites par l'art. 63, et que le Français n'ait point contrevenu aux dispositions contenues au chapitre précédent." Variæ fuerunt jurisperitorum opiniones, varia tribunalium et curiarum judicia; tandem 6 martii 1837 pro nullitate matrimonii pronuntiavit curia suprema, irritum faciendo judicium curiæ Rhedonensis. Existimat MERLIN recurrendum esse ad art. 191, qui respicit publicitatem matrimonii, de quo mox dicemus, et, juxta illius dispositionem, statuendum: matrimonium poterit irritum declarari, si vere defuerit publicitas; non vero, propter solum promulgationis defectum. Idem admittit DURANTON.

324. II. *De celebratione publica.* Ita præscribitur

art. 165 et 191 : " Tout mariage qui n'a point été contracte publiquement, et qui n'a point été célébre devant l'officier public compétent, peut être attaqué par les époux eux-mêmes, par les père et mère, par les ascendants et par tous ceux qui ont unintérêt né et actuel, ainsi que par le ministère public." Art. 192 varias pœnas statuit contra officiarium civilem et ipsos contrahentes : et articulus 193 ita fert : " Les peines prononcées par l'article précédent seront encourues par les personnes qui y sont désignées, pour toute contravention aux règles prescrites par l'article 165, lors même que ces contraventions ne seraient pas jugées suffisantes pour faire prononcer la nullité du mariage." Ostendunt postrema ista verba non sufficere quamcumque violationem articuli 165, seu quemcumque defectum, sive circa competentiam officiarii, sive circa publicitatem, ut matrimonium declarandum sit irritum. Unde nullitas ex illa violatione orta, quamvis in mente legislatoris sit gravissima, differt tamen, quoad applicationem, ab aliis nullitatibus, et circa illam judici relinquitur quædam veluti latitudo, quam non habet v. g. circa nullitatem ex bigamia, incestu. Hæc est autem ratio discriminis. In postremis istis casibus, factum unde oritur nullitas est aliquid per se determinatum ; vel adest bigamia aut incestus, vel non ; ubi autem adest, existere nequit matrimonium. At vero non idem dicendum circa competentiam officiarii, et publicitatem : in his sunt plures veluti gradus ; plures præscribuntur circa utramque regulæ, quæ possunt modo magis minus ve gravi infringi. Sic quoad competentiam, requiritur 1° ut sit officiarius status civilis ; 2° officiarius domicilii unius e contrahentibus ; 3° ut, juxta art. 74, domicilium acquisitum fuerit per sex mensium habitationem. Sic ad publicitatem requiritur 1° promulgatio bannorum ; 2° celebratio in ædibus municipalibus ; 3° præsentia quatuor testium. Sed non inde concludendum sufficere cujuscumque ex his regulis transgressionem, ut matrimonium statim declarandum sit irritum ; aliquando adeo gravis erit transgressio, ut necessario nullitatem inducat, aliquando non ita. Et illud est quod judici determinandum relinquitur ex variis circumstantiis, ex quibus dignosce-

tur an adfuerit sive competentia, sive publicitas sufficiens. Sicque, etiamsi constet de quadam dictarum regularum transgressione, prout necessario constare debet ut imponantur pœnæ art. 192 statuæ, poterit matrimonium validum judicari. Talem esse sensum articuli 193 fuse exponit MERLIN ; in eo sensu judicavit curia suprema, et nunc communiter judicant tribunalia.

Ut autem illud plenius evolvatur, quædam observari possunt circa utrumque defectum.

1° Quoad defectum competentiæ, si ille qui celebrat matrimonium non sit officiarius status civilis, omnimoda erit incompetentia, et nullitas absoluta. Idem dicendum erit, si sit quidem officiarius status civilis, sed versetur extra suum territorium, et neuter e contrahentibus domicilium habeat in illius territorio ; quia quoad illos est simplex privatus, et actui nullam auctoritatem conferre potest. Sed minor erit nullitas, et locus esse poterit applicando articulo 193, si sit officiarius civilis, versetur in suo territorio, et non desit nisi habitatio continua per sex menses unius e contrahentibus in eodem territorio, id est, etiamsi neuter e contrahentibus illam habitationem habeat.

2° Quoad defectum publicitatis, duo sunt præsertim de quibus moveri potest quæstio.

Primum est quatuor testium præsentia, art. 75. Cum lex nullibi determinet eos requiri sub pœna nullitatis, licet non adessent, non ideo irritum declarari deberet matrimonium, modo aliunde satis publicum esset.

Secundum est, ut matrimonium celebretur in loco dicto *Maison commune*, art. 75. Variæ fuerunt ea de re opiniones : tandem satis communiter existimatum est illud pendere a circumstantiis sensu mox exposito, et pluries in eo sensu judicavit curia suprema.

Hinc 1° intelligitur, ex legis præscriptionibus non impediri matrimonia *secreta :* olim privabantur effectibus civilibus ; hodie, modo observatæ fuerint formæ a lege præscriptæ, valida erunt omnino, etiamsi nihil non tentetur ut occulta permaneant.

Hinc 2° idem statuendum de matrimoniis que dicuntur *in extremis*. Fuerunt expresse admissa in concilio status : tota difficultas est in servandis formis a lege præscriptis. Verum ex dictis deducitur absolute observari posse sive officiarius civilis se transferat in domum ægroti, sive iste nubat per procuratorem.

325. Præter indicatas formalitates, quædam adhuc præscribuntur ab officiario civili peragenda, juxta art. 70 et seq. Debet 1° habere plura instrumenta ibi designata, *plusiers pieces*, inter alia *l'acte de main-levée des oppositions, s'il y en a ;* 2° conjugibus plura legere,

speciatim caput Codicis de officiis conjugum ; 3° redigere actum seu instrumentum matrimonii. Sed hæc non exiguntur sub pœna nullitatis. Certe validum foret matrimonium, licet illius instrumentum non statim redigeretur, sed tantum postea ; imo licet nullatenus redigeretur facto officiarii civilis ; tunc locus esset applicandi art. 198, et inscriptio judicii quo condemnaretur officiarius civilis, ipsi instrumento æquivaleret. Nihil interest etiam, quod jam pridie redactus fuerit actus, ut communiter fit Parisiis.

Ex his omnibus concludi potest, non adeo rigorosam esse legis civilis præscriptionem quoad formas in celebratione matrimonii servandas, ac primo intuitu videretur : mens legislatoris fuit ut facile non disssolverentur matrimonia semel inita, et in eo sensu dicunt omnes jurisperiti facile admittendas esse in præsenti materia exceptiones, *Les fins de non-recevoir sont favorables en cette matière.*

326. Scholium. Ut plane perspectum sit quod spectat ad impedimenta civilia apud nos admissa exponendum superest a quibusnam et quatenus postulari possint variæ nullitates per illa impedimenta inductæ, et utrum per dispensationem tolli possint.

I. *A quibusnam et quatenus invocari possint variæ nullitates per impedimenta civilia inductæ ?*

De his statuit Codex civilis, art. 180 et seq. Ad scopum nostrum hæc sufficiant. Principium generale est, nullitates quæ directe fundantur in motivo ordinis publici et boni communis posse invocari ab omnibus quorum interest, et ab ipsa societate, scilicet per ministerium publicum : eas vero quæ directe fundantur motivo boni privati non posse invocari nisi ab iis in quorum gratiam sunt constitutæ. Priores vulgo vocantur *absolutæ*, posteriores vero *relativæ*, ut jam dictum est. Nullitates relativæ, imo et aliquando absolutæ, possunt, ut dicitur, *purgari*, gallice *etre convertes*, sive per ratihabitionem, sive per lapsum temporis determinati a lege. His positis.

1° In priori classe recenseri debent : 1. nullitas orta *ex ligamine :* potest invocari ab omnibus quorum interest, et a ministerio publico, ex art. 184, 190 : nunquam purgari potest, etiam priori matrimonio disso-

luto ; articulo enim 184 nulla apponitur exceptio pro illo casu ; imo art. 187 supponit, etiam dissoluto matrimonio, perseverare nullitatem. 2. Nullitas orta *ex cognatione* et *affinitate*, ut intelligitur ex art. 184, 190 : nunquam purgari potest, quia illius causa est ex se perpetua. De nullitate orta *ex adoptione* silet Codex, quia art. 448 non tam statuit novam nullitatem, quam applicat cognationi legali prohibitiones articuli 161, 162, 163 statutas quoad cognationem naturalem igitur adoptioni applicanda sunt quæ dicuntur de consanguinitate. 3. Nullitas orta *ex defectu ætatis :* absoluta juxta art. 184, et tamen aliquando amp invocari nequit : nempe quando elapsi sunt mens tempore quo conjuges attigerunt ætatem requisit *art.* 185 ; vel quando uxor, quæ illam ætatem i attigerat, concepit ante elapsos sex menses, *ibid.* Nullitas orta *ex defectu publicitatis* vel *præsentiæ officiarii civilis* competentis, ut ex art. 191 patet. 5. Nullitas ex *ordine sacro :* si admittatur tanquam orta ex Concordato, dicenda erit, juxta MERLIN, revixisse cum antiquis regulis, ac proinde posse invocari etiam a collateralibus, quamvis contrarium judicaverit curia suprema. 6. Demum huc referri potest nullitas orta *ex morte civili.* Ideo non memoratur a Codice civili ubi de nullitatibus, quia est pleni juris, ut vidimus (n° 313), nec opus est ut invocetur ; sufficit ut exhibeatur judicium ex quo secuta est mors civilis.

2° In posteriori classe recenseri debent, 1. nullitas orta *ex defectu consensus*, propter *errorem et vim* : invocari nequit nisi a conjugibus, vel conjuge cujus defuit consensus. Ita art. 180. Pariter amplius invocari nequit, quando adfuit cohabitatio per sex menses a tempore quo sublata est vis, vel error, art. 181. Juxta MERLIN, nullitati ex amentia ortæ applicandus est art. 180, ac proinde hæc nullitas invocari nequit a collateralibus. 2. Nullitas orta *ex defectu consensus parentum :* invocari nequit nisi ab iis quorum requirebatur consensus, et a conjuge qui illo consensu indigebat, art. 182. Ex articulo autem 183, amplius invocari nequit a parentibus vel conjuge, quando matrimonium approbatum fuit ab iis quorum requirebatur consensus, vel quando non reclamaverunt per spatium unius anni

a tempore quo cognoverunt matrimonium : item nec a sponso, quando, a tempore quo attigit ætatem requisitam ad consentiendum per seipsum matrimonio, vel expresse approbavit, vel effluxit unus annus sine reclamatione.

327. II. *De dispensatione ab impedimentis civilibus.* In impedimentis civilibus posse aliquando obtineri dispensationem constat expressa Codicis civilis declaratione : ita de impedimento ætatis, art. 145 ; de impedimento cognationis inter fratrem et fratris filiam, vel sororem et fratris filium, art. 164 ; de secunda promulgatione bannorum, art. 169. Idem permisit lex 16 Avrilis 1832 pro affinitate collaterali, *entre beaux-frères et belles-sœurs.* De aliis impedimentis, etiam mere positivis, silet Codex : dicunt tamen quidam inde non concludendum dispensationem obtineri non posse ; sed recurri posse nihilominus ad Regem in Concilio status. Recursus ad principem fit mediante Procuratore regio : is supplicationem cum suis animadversionibus dirigit ad Ministrum justitiæ, qui de ea referat ad Regem. Ita ordinatum fuit per statutum Gubernii, 20. prairial an xi.

ART. 4. *Quid in praxi agendum quoad impedimenta civilia.*

328. Si inter Ecclesiam et auctoritatem civilem res ita essent compositæ, ut matrimonium eodem tempore in utroque foro iniretur, sicque utrique legi simul satisfieret, vix ulla esset in praxi difficultas. Cum vero non ita se res habeant, non modicæ occurrunt ambages, sive admittatur impedimenta civilia esse vere dirimentia, sive negetur : fatendum tamen minora esse incommoda in sententia quæ negat. Nobis satis erit varios casus in quibus difficultati locus esse potest percurrere, et indicare quid servandum in praxi. Exinde apparebit in quo conveniant, in quo differant quoad praxim quæ opiniones circa vim impedimentorum civilium.

I. ANTE CELEBRATIONEM *matrimonii*, magna non est difficultas. Sit

ASSERT. *Sacerdos non debet, saltem generatim loquendo, ministerium suum præbere matrimonio, nisi prius legi civili fuerit satisfactum.*

Prob. Ea assertio duo includit seorsim probanda.

1° *Fideles debent coram officiario civili se sistere.* Etenim, abstrahendo a validitate vel invaliditate matrimonii in quo hæc forma negligeretur, servanda est lex quæ non est evidenter injusta, cujus observatio principiis religionis non adversatur, simulque est magni momenti : atqui talis est lex præcipiens ut matrimonium ineatur coram officiario civili. 1. Non est evidenter injusta. Cum enim matrimonium multum conferat ad bonum societatis, potest princeps in omni sententia medium determinare quo ipsi de matrimonio constet. 2. Hujus legis observatio principiis religionis non adversatur. Actus enim mere civilis exercetur: porro, hoc posito, sæpe declaravit S. Congregatio Concilii, et ipse Benedictus XIV., fideles posse, tuta conscientia, coram magistratu civili, etiam hæretico aut infideli, se sistere ad declarandum matrimonium. *De Synod.* l. vi. c. vii. n° 2. Idem declaravit Pius VI. tempore perturbationis Gallicæ. 3. Tandem legis hujus observatio est magni momenti : tum quoad conjuges et eorum filios ; inde enim pendet matrimonii notitia certa, cum lex probationem non admittat ex iis quæ acta sunt coram Ecclesia ; inde pendent omnes effectus civiles, quos nemo negaverit esse magni momenti : tum quod bonum religionis ; nam si alterutrum e conjugibus civiliter non nuptis matrimonii tædeat, poterit aliud inire coram legi civili, quæ matrimonium ecclesiasticum non agnoscit : porro quis non videat quantum inde scandalum, præsertim si prius reputetur validum ?

2° *Fideles non debent ad matrimonium coram Ecclesia admitti, nisi prius steterint coram officiario civili.* Nam præter articulos qui dicuntur *Organici*, quibus prohibetur, n° 54, ne sacerdos ministerium suum præbeat matrimonio quod prius non fuerit coram officiario civili celebratum, in Codice pœnali, promulgato anno 1810, decernuntur art. 199, 200, contra infractorem gravissimæ pœnæ, nempe prima vice mulcta 16 francorum ad 100 ; secunda vice, incarceratio 2 ad 5 annos ; et pro tertia, deportatio, seu ex modificatione allata per legem 28 aprilis 1832, detentio perpetua. Quamvis dici possit leges illas difficile conciliari cum libertate cultuum, quatenus nempe benedictio nuptialis est cæremonia mere religiosa, de qua proinde nihil pronun-

tiandum habet auctoritas civilis, cum tamen nihil in se malum præcipiant, servandæ sunt; tum quia sacerdos non debet se exponere pœnis modo memoratis, quæ in religionis detrimentum verterentur; tum quia si sic nupti negligant vel non possint in foro civili nubere, orientur incommoda de quibus modo diximus. Hinc Ritualia recens edita districte prohibent, quædam etiam sub pœna suspensionis, ne parochus benedictionem nuptialem impertiatur antequam illi constet satisfactum fuisse legi civili.

Exinde quidem grave sequitur incommodum, quod nempe multi, civiliter nupti, vel Ecclesiam non adeant, vel saltem interim maritaliter vivant; unde intelligi potest quam merito exoptent ii omnes qui bonum religionis aliquo in pretio habent, ut immutetur lex multiplici laborans vitio. Sed interim, sacerdos ad præcavenda, quantum in se est, præfata incommoda, debet curare 1. ut, post civilem celebrationem, diu non differatur celebratio religiosa, et interim ab usu matrimonii abstineatur; 2. ut, si quod adsit impedimentum canonicum, non nisi eo sublato magistratus adeatur, ne, si forte denegetur dispensatio, matrimonium existat reipsa irritum, sed coram lege civili validum et indissolubile; quod esset maximum incommodum.

Dixi *Saltem generatim loquendo*, quia si magni intersit matrimonium iniri, nec tamen civiliter celebrari possit, v. g. in articulo mortis, non pauci sentiunt, tali urgente necessitate, conferri posse benedictionem nuptialem. Illud satis facile concipitur in sententia quæ tenet impedimenta civilia non esse vere in foro conscientiæ dirimentia: in altera autem dici forsan posset non obligare legem civilem, saltem pro foro conscientiæ, quando observari nequit. Quidquid sit, certum est parochum, aut alium sacerdotem, in hujusmodi circumstantiis, nihil agere debere, inconsultis superioribus ecclesiasticis.

329. II. *Si matrimonium celebratum sit* CIVILITER *tantum, sed* CUM ALIQUO IMPEDIMENTO CIVILI.

Si sacerdos impedimentum illud advertat, investigabit quænam sit natura nullitatis quam inducit.

1° Si sit *nullitas irreparabilis*, aut saltem *nondum purgata*, supersedebit a matrimonio celebrando. Tunc enim nihil quidem timendum haberet ab auctoritate

civili, sed perficeret matrimonium in foro civili invalidum et effectibus civilibus vacuum, quodque posset coram tribunalibus impugnari et dissolvi : quod magnum certe esset incommodum, præsertim si admittatur tale matrimonium esse validum in foro conscientiæ.

2° Si sit *nullitas jam purgata*, potest ministerium suum præbere : cum enim legi civili satisfactum sit, quæ nihil amplius exigit, si pariter satisfiat legi religiosæ, nihil jam matrimonio deerit. Et vero, vel nullitates de quibus hic agitur habentur tantum ut conditionatæ, vel existimantur producere effectum absolutum. Si primo, nulla est difficultas : deficiente enim conditione, matrimonium statim valet. Si secundo, lex profecto nec voluit, nec velle potuit ut personæ illæ in perpetuo concubinatu viverent ; cum ergo ex parte sua nihil exigat ad revalidationem, earum conscientiæ curam remisit ea agendi quæ forent necessaria ut vere coram Deo conjungerentur : igitur, peracta celebratione religiosa, perfectum erit omni ex parte matrimonium ; hanc proinde nihil impedit.

330. III. *Si matrimonium celebratum sit* CORAM ECCLESIA, *et* NON CIVILITER.

De isto casu hæc statui posse videntur. 1° Sic nupti obligandi sunt, saltem generatim loquendo, ad se sistendum coram officiario civili : 1. ad satisfaciendum legi ; 2. ut matrimonium obtinere possit effectus civiles, quod est magni momenti, si adsint filii, qui alioquin pro illegitimis coram lege haberentur ; 3. ne supersit his conjugibus possibilitas matrimonium suum dissolvendi, et novum cum aliis personis ineundi in foro civili.

Dixi *Saltem generatim loquendo*, quia fieri potest ut matrimonio civili obstent rationes gravissimæ, imo ut sit impossibile illud inire : tunc non possunt sic nupti ad id obligari : sed nihilominus tenentur, si adsint filii, alio modo eorum sorti providere.

2° Si sic nupti non possint, aut absolute nolint suum matrimonium in foro civili confirmare, quæstio est utrum ipsis liceat nihilominus matrimonio uti : item, posito quod velint et possint confirmare, quid dicendum interim donec id præstiterint ? — Facile intelligitur solutionem pendere ex vi impedimentorum civilium. Sed quidquid in theoria admittatur, cum ferant plura SS. Congregationum Romanarum ipsorumque SS.

Pontificum responsa, variis in diœcesibus pervulgata, eos posse tuta conscientia se gerere tanquam valide nuptos, poterunt profecto fideles ex talibus responsis conscientiam sibi in praxi formare.

3° Non debent sic nupti ad novum matrimonium admitti : non solum enim incurreretur periculum dissolvendi matrimonium validum, sed magnum, saltem plerumque, exoriretur scandalum.

331. IV. *Si matrimonium celebratum sit prius* CIVILITER CUM UNA PERSONA, *et postea* RELIGIOSE CUM ALTERA ; *vel vicissim.*

In eo casu certum est ex antea dictis (n° 191) invalidum esse in foro conscientiæ matrimonium civile : sed cum habeatur pro valido coram lege, non poterit matrimonium religiosum in foro civili confirmari. Posito illo rerum statu, si conjuges vellent continentiam servare, facile tolleretur difficultas ; sed valde durum esset id exigere, nec plerumque id obtineretur, saltem ab utroque conjuge. Pariter si pro irrito haberetur matrimonium religiosum, omnia facile componerentur, nempe conferendo benedictionem matrimonio civili, quod exinde validum fieret. Verum in praxi hic applicanda sunt quæ diximus pro casu præcedenti (n° 330).

332. V. *Si matrimonium sit celebratum* PRIMUM CIVILITER CUM UNA PERSONA, SUBINDE RELIGIOSE ET CIVILITER CUM ALTERA ; *aut* RELIGIOSE PRIMUM CUM UNA, *et* POSTEA CIVILITER ET RELIGIOSE CUM ALTERA.

Differt iste casus a præcedenti in eo quod in alterutro e duobus connubiis servata fuerit simul forma ecclesiastica et forma civilis : unde videri posset istud pro certo haberi debere ut validum, sicque huic omnino standum esse. Verum re proprius inspecta, aliud dicendum apparebit. Etenim si primum civiliter nupserint conjuges, matrimonium postea initum pro irrito habebitur coram lege, et irritum declarari poterit : si vero primum religiose nupserit, et istud matrimonium validum judicetur, pro irrito habendum erit secundum matrimonium. Uno verbo, cum in utroque foro, ecclesiastico et civili, pro certa habeatur matrimonii unitas, si in alterutro foro bis celebratum fuerit matrimonium, nullam vim habere potest secunda celebratio ; ac proinde iste casus omnino recidit in casum præcedentem.

333. VI. *Si matrimonium celebratum sit* IN UTROQUE, FORO *sed* CUM IMPEDIMENTO CIVILI.

Hæc statui possunt pro variis speciebus nullitatum.

1° Si sit *nullitas temporaria et jam purgata*, matrimonium ipso facto fit validum coram lege. Pro foro conscientiæ (si in eo vim habere putaretur nullitas), dicendum foret pariter matrimonium ipso facto fieri validum, in sententia quæ hujusmodi nullitates habet ut mere conditionatas ; in sententia autem quæ eas habet ut producentes effectum absolutum, novus requireretur consensus. Sed in utraque sententia non requiritur ut renovetur coram Ecclesia, cum formæ exteriores jam observatæ fuerint, et nullitas amplius postulari non possit.

2° Si sit *nullitas temporaria nondum purgata*, matrimonium est in foro civili irritum, aut saltem in suspenso. Ex dictis intelligitur multo satius esse ut conjuges non postulent ut pronuntietur nullitas, sed sinant per temporis lapsum, aut aliis modis a lege determinatis confirmari matrimonium. Interim autem applicanda erunt quæ diximus de matrimonio celebrato coram Ecclesia, et non civiliter (n° 330).

3° Si sit nullitas *irreparabilis*, licet non ex jure naturali orta, a fortiori si nullitas sit jam pronuntiata, tunc pariter applicanda quæ diximus de matrimonio celebrato religiose, et non civiliter (n° 330).

334. Ex his omnibus concludi potest duas opiniones quas exposuimus circa vim impedimentorum civilium, sive quoad jus, sive quoad factum, id est, quoad potestatem principis et illius voluntatem, vix differre quoad praxim, quando agitur de matrimonio nondum inito ; differre vero, quando matrimonium jam est initum, præsertim quando ex una parte stat matrimonium civile, ex altera matrimonium religiosum. Sed quæcumque admittatur opinio, negari non potest maxima oriri posse incommoda, quando initum est matrimonium coram Ecclesia, antequam constaret plene satisfactum fuisse legi civili : unde eo efficacius præcavebuntur illa incommoda, quo strictius servabuntur legis civilis præscripta.

FINIS.

INDEX ANALYTICUS.

NOTA.—Quæ in decursu operis minori impressa sunt charactere designantur hoc peculiari signo*.

Numeri. Paginæ.

1. Compendium doctrinæ de matrimonio ex Concilio Tridentino. 7
2. Ordo, et divisio tractatus in tres partes. 7

PARS I.—DE NATURA MATRIMONII.

3. Primæ partis divisio in tria capita. 8

CAP. I.—DE MATRIMONIO SUB RATIONE CONTRACTUS SPECTATO.

4. Matrimonii definitio affertur et explicatur. 8
5. Essentia matrimonii *in fieri et in facto esse.* 9

ART. 1. *Utrum et qualis requiratur consensus ad perficiendum matrimonium.*

6. Divisio articuli in quatuor paragraphos. 9

§ 1. *De necessitate consensus partium.*

7. Certum est absolute requiri consensum partium : nec suppleri potest ab auctoritate publica, sive ecclesiastica, sive civili. 9

§ 2. *De dotibus consensus matrimonialis.*

8. Applicando principia *de contractibus in genere*, consensus debet esse I. *Internus.* 10
Attamen qui ficte consensit, ordinarie conjux reputabitur in foro externo, et tenetur postea verum consensum præbere. 10
9. II. *Liber;* III. *Externus;* regulariter expressus per verba clara et aperta. 11
IV. *Mutuus;* V. *De præsenti.* 11
10. COROLLAR.—Quid de matrimonio inito cum impedimento putativo? 12

§ 3. *De matrimonio sub conditione.*

11. I. Matrimonium initum sub conditione suspensiva probabilius fit statim, et adveniente, validum absque renovatione consensus, 13
*12. II. Quid de conditione impossibili? 14
*III. Quid de conditione contraria substantiæ matrimonii? 14
13. IV. Matrimonia conditionata ordinarie non permittenda. 14
*14. COROLLAR.—Quid 1° de matrimonio *Græcorum* aut *Protestantium?* 15
*15. 2° De conditione *servandæ continentiæ.* 15

§ 4.—*De matrimonio per procuratorem.*

*16. Valet saltem in ratione contractus, etiam post Concilium Tridentinum. 15
*Plures tamen requiruntur conditiones; nempe 1° mandatum speciale; 2° ut mandati fines non excedantur; 3° ut mandatum non fuerit revocatum; 4° ut parocho constet de mandato. 15
*17. Idem dicendum *de matrimonio per litteras* ac de matrimonio per procuratorem. 16

Num. Pag.

ART. 2. *Quænam præcise pertineant ad essentiam matrimonii.*

18. Exponuntur errores et opiniones. 16
*19. Solvuntur objectiones, præsertim circa matrimonium B. Virginis Mariæ. 18
23. Statuitur 2° jus ad actum conjugalem esse de essentia matrimonii. 19
24. Quomodo stet matrimonium cum voto castitatis. 19
25. SCHOLIUM.—De variis respectibus matrimonii : an et quatenus sit contractus *naturalis*, *civilis et ecclesiasticus*. 20
26. Quo jure regatur matrimonium. 23

CAP. II. DE MATRIMONIO SUB RATIONE SACRAMENTI SPECTATO.

ART. 1. *De existentia sacramenti matrimonii.*

27. Non agitur hic *de veteri lege*, in qua matrimonium non erat sacramentum nisi latiori sensu. 24
Sed statuitur *in nova lege* matrimonium christianorum, ritu legitimo celebratum, esse verum sacrameutum. 25
28. Explicatur singula assertionis verba. 28
*29. Solvuntur objectiones, speciatim ex scriptis veterum theologorum. 28
*30. Quandonam institutum fuerit matrimonii sacramentum. 29
*An reponi debeat in matrimonio *in fieri*, an *in facto esse*. 29
31. COROLLARIUM.—Matrimonium confert gratiam sanctificantem, et sacramentalem. 29
32. Requirit doctrinæ christianæ notitiam. 30
33. Et statum gratiæ : unde lex multis in locis recepta de libello confessionis. 30

ART. 2.—*De ministro sacramenti matrimonii.*

34. Controversiæ historia, et status. 30

1° *Expenduntur argumenta eorum qui propugnant sacerdotem esse ministrum.*

35. I. Ex Scriptura. 32
36. II. Ex traditione priorum sæculorum. 32
37. III. Ex monumentis ecclesiasticis recentiorum temporum, seu Conciliis et Ritualibus. 33
38. IV. Ex incohærentia sententiæ oppositæ cum natura sacramenti. 34

II° *Expenduntur argumenta eorum qui propugnant contrahentes esse ministros.*

39. I. Ex Concilio Florentino. 35
40. II. Ex Concilio Tridentino. 36
41. III. Ex auctoritate theologorum. 36
42. IV. Ex novitate et varietate formulæ adhibitæ. 37
43. V. Ex praxi Ecclesiæ. 37
44. Judicium de utriusque partis argumentis differtur. 39

ART. 3.—*De materia et forma sacramenti matrimonii.*

45. I. *Quoad materiam*, consentiunt theologi catholici. 39
Statuitur contra Leridanum materiam sacramenti sitam esse in ipso contractu. 40
46. II. *Quoad formam*, quænam sit in sententia quæ tenet contrahentes esse ministros. 41
47. In opinione quæ tenet sacerdotem esse ministrum, explicatur in quali benedictione sacerdotis reponenda sit forma. 42
48. SCHOLIUM.—Quid jam sentiendum videatur circa ministrum sacramenti ; quid in praxi servandum. 43

Num. Pag.

CAP. III.—AN ET QUATENUS SACRAMENTUM SEJUNGI POSSIT A CONTRACTU MATRIMONII.

49. Non agitur de matrimonio inter duos infideles. 44
*Quid, si convertantur? videtur non effici sacramentum. 44
*De matrimonio *fidelis cum infideli : an possit claudicare?* 44
50. Inter fideles, I. *valide* separari potest *ex defectu benedictionis*, in sententia eorum qui tenent sacerdotem esse ministrum. 45
2° Item probabilius in omni sententia, *ex defectu intentionis.* 45
51. Quid de matrimoniis valide initis *inter hæreticos*, qui non admittunt sacramentum matrimonii? 46
52. II. Quoad *licitum*, regula generalis est, ut *omnia præstentur quæ necessaria esse possunt ad certam sacramenti susceptionem.* 46
In multorum sententia, sunt varii casu in quibus aliter fieri permittit, aut tolerat Ecclesia. 47
53. Quando *sponsi sunt indispositi*, non ideo illis permitti potest ut matrimonium ineant solum in ratione contractus. 48
54. SCHOLIUM.—Quomodo definiendum matrimonii sacramentum. 50
Matrimonii divisio in legitimum, ratum, et consummatum. 50

PARS II.—DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

CAPUT I.—DE HONESTATE MATRIMONII.

56. Triplex ea de re error: ostenditur 1° matrimonium esse in se bonum et honestum. 51
57. Ostenditur 2° matrimonium nulla lege naturali aut divina individuis præcipi, saltem ordinarie loquem lo. 52
58. Ostenditur 3° virginitatem pro Deo susceptam nuptiis meliorem esse ac excellentiorem. 54
Non ideo tamen est omnibus passim consulenda. 54

CAP. II.—DE UNITATE MATRIMONII.

59. Huic opponitur polygamia; quid sit et quotuplex. 55

ART. 1.—*De polygamia simultanea.*

60. Duplex distinguitur; de *polyandria* nulla difficultas. 56
De *polygamia* errores et opiniones. 56
I. Polygamia non adversatur *juri naturali primario*; sed adversatur secundario, præsertim quando ultra certos limites extenditur. 56
Cæterum ad praxim nil refert, attento jure divinoomnes obligante. 57
61. II. Polygamia contraria est *primævæ institutioni matrimonii.* 58
62. III. Polygamia fuit tamen permissa Judæis *sub lege Mosaica*; imo et patriarchis ante Moysen. 58
*63. Solvuntur objectiones. 59
*64. COROLLARIUM.—Fuit ergo dispensatio a Deo concessa; sed post diluvium tantum, et verisimiliter ipsis etiam gentibus. 59
65. IV. Christus per *legem Evangelicam*, polygamiam simultaneam omnino abrogavit. 60
*66. De lege Valentiniani, et responso Gregorii II. 61

ART. 2.—*De polygamia successiva.*

67. I. Secundæ et ulteriores nuptiæ sunt etiam sub lege christiana licitæ. 62

Num. Pag.
*68. II. Ecclesiæ veteris pastores non eas habuerunt ut jure naturali aut divino prohibitas: eas tamen vituperaverunt ut quid sanctitati christianæ minus conveniens; imo et variis pœnis subjecerunt, quamvis non videantur ulla lege generali eas prohibuisse. 63

CAP. III.—DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

69. Quotuplex distinguatur dissolutio. 64

ART. 1.—*De indissolubilitate matrimonii quoad vinculum.*

§ 1.—*De indissolubilitate matrimonii generatim spectata.*

71. Sensus quæstionis, et status controversiæ. 65
I. Indissolubilitas matrimonii, præsertim consummati, ipsimet *juri naturali* innititur. 65
72 Quid de matrimonio rato? 68
* Quousque urgenda sit assertio. 68
73. II. Matrimonium *ex primæva Dei institutione* est indissolubile. 68
74. III. Matrimonium *sub lege Mosaica* dissolvi poterat per libellum repudii. 69
Et quidem probabilius etiam in foro conscientiæ. 70
*75. Non tamen omnibus concedebatur hæc facultas. 71
* Nec qualibet ex causa. 71
* Sed variis formalitatibus adstricta erat. 71
* Et variis cautionibus munita. 71
*76. Præcaventur difficultates alterius opinionis. 72
* An ea permissio respiceret ipsos Gentiles. 72
77. IV. *Sub lege Evangelica*, matrimonium, saltem consummatum, in christianis est ita indissolubile, ut nulla auctoritate humana dissolvi possit. 72
*78. Quid de matrimonio rato? 74
*79. Solvuntur objectiones ex legibus et usu variorum populorum. 74
*Item ex usu Poloniæ. 75

§ 2.—*An matrimonium dissolvi possit propter adulterium.*

80. Controversiæ occasio. I. Statuitur matrimonii vinculum dissolvi non posse propter adulterium. 76
81. Solvuntur objectiones. 79
82. II. Indissolubilitas matrimonii, in casu adulterii, non est tamen de fide catholica. 81

§ 3.—*De matrimonio inter duos infideles, quorum alter ad fidem christianam convertitur.*

83. Statu quæstionis exposito. 82
Ostenditur conjugem conversum posse dissolvere matrimonium in infidelitate contractum, si alter infidelis nolit cum eo cohabitare, aut non nisi cum contumelia Creatoris, vel pertrahendo ad peccatum mortale. 83
84. Explicantur assertionis verba. 86
*85. Solvuntur objectiones speciatim ex silentio traditionis. 86

SCHOLIUM.—*De variis quæstionibus quibus locum dedit præcedens controversia.*

*86. I. *De tempore quo dissolvitur prius matrimonium:* non dissolvitur, nisi quando conversus novum init matrimonium. 87
*87. II. *De casibus in quibus conversus potest privilegio uti:* probabilius non potest, si altera pars velit cohabitare pacifice; saltem generaliter, sive seclusa lege Ecclesiæ cohabitationem prohibente. 87

Num. Pag.
*88. III. *De interpellatione faciendâ parti infideli:* regulariter necessaria est; omitti tamen aliquando potest; saltem cum dispensatione S. Pontificis. 88
*89. IV. *De variis ab infideli converso servandis, quando vult uti suo privilegio:* 1° Non absolute necessaria judicis sententia: non tamen sine consilio agendum. 89
*2° Quid, si infidelis plures uxores habeat? 89
*3° Judæus conversus dare non posset libellum repudii more judaico. 89

§ 4 — *An matrimonium dissolvi possit per professionem religiosam, seu per votum solemne castitatis.*

90. Agitur tantum de matrimonio rato, et de professione solemni. 89
Ostenditur matrimonium ratum dissolvi per solemnem professionem alterius conjugum. 89
*91. Scholium.—I. Stabilito hoc privilegio, exponitur quoto tempore exerceri possit: concedantur a jure duo menses; quibus elapsis, non ita constat, an sicut valide, ita et licite exerceri possit. 90
*92. II. Nec pariter an applicari possit matrimonio post fornicationem contracto, vel ex vi seu metu consummato. 91

§ 5. — *An matrimonium dissolvi possit per dispensationem S. Pontificis, aut Ecclesiæ.*

93. Non agitur de matrimonio consummato, saltem fidelium. 91
Quidam eam auctoritatem denegant. 91
94. Alii concedunt: nihil pronuntiamus. 92

Art. 2. — *De dissolutione matrimonii quoad torum et habitationem.*

95. Regulariter necessaria est conjugum cohabitatio. 93

§ 1.—*An aliquando liceat separatio inter conjuges.*

96. Contra lutheranos ostenditur aliquando licere. 93

§ 2.—*De variis causis separationis ex jure canonico.*

97. Quatuor præcipuæ assignari possunt. 93
I. Detrimentum corporale; II. aut spirituale. 93
98. III. Fornicatio. Per hanc intelligitur adulterium. 95
Jus separationis confert utrique conjugi. 95
Excipitur tamen 1° si adulterium fuerit tantum materiale; 2° si uterque sit adulter; 3° si vir ipse uxorem prostituerit; 4° si secuta fuerit reconciliatio. 95
An vero vir teneatur uxorem adulteram dimittere, et vice versa, pendere videtur ex circumstantiis. 96
99. IV. Professio religiosa, vel susceptio ordinis sacri: quandonam requiratur consensus compariis, et quænam regulæ servandæ. 96
100. In his variis casibus non facienda regulariter separatio auctoritate privata. 97
Quid hodie apud nos ad Ecclesiæ forum pertineat. 97

§ 3.—*De causis separationis ex jure civili.*

101. Separatio aliquando admissa: hujus causæ. 98
Quid de filiis, si quidam ex matrimonio orti sint? 98
Etiam lata sententia, possunt conjuges propria auctoritate ad se invicem reverti. 99
102. Corollarium.— Quid agendum a pastore qui de separatione facienda consulitur? 99

Num. Pag.

PARS III.—DE CONDITIONIBUS MATRIMONII.

103. Partis divisio in quinque capita. 101

CAP. I.—DE SPONSALIBUS.

104. I. Quid et quotuplicis speciei sint sponsalia. 101
105. II. An necessaria sint sponsalia. 102
106. III. Quinam sint *effectus* sponsalium. 102
*An si unus e sponsis renuat sponsalia adimplere, ad id cogi possit, et quatenus? 102
*An sponsalibus adjici possit pœna conventionalis? 103
An sponsorum fornicatio habeat malitiam specialem. 103
107. An, ut locum habeant hi effectus, necessarium sit sponsalia iniri coram Ecclesia. 103
An sponsalibus æquivaleat postulatio bannorum. 104
An matrimonium civile? 104
*108. IV. Qnibusnam ex *causis* dissolvi possint sponsalia. 105

CAP. II.—DE BANNIS.

109. Quid sit bannum et quotuplex hodie distinguatur. 105

ART. 1.—*De necessitate bannorum.*

110. Banna, quoad substantiam antiquissima; quoad formam hodiernam, in Gallia sumpserunt exordium. 106
Motiva præcipua; exinde concluditur legis gravitas. 107

ART. 2.—*De modo promulgationis bannorum.*

111. I. DE TEMPORE: ante matrimonium promulganda; tribus diebus festivis, continuis; inter missarum solemnia. 107
112. II. DE LOCO. In parochia domicilii. 108
Quid, si sponsi sint e duabus diversis parochiis, vel unus aut uterque in duabus parochiis domicilium æquale habeat? 108
Quid, si a tempore sufficienti domicilium non habeant? 109
113. Quid de minoribus, de famulis, militibus, vagis? 109
114. III. A QUO BANNA PROMULGANDA. A proprio contrahentium parocho: quid ante promulgationem servare debeat, quid postea? 111
115. IV. DE BANNORUM FORMA. Standum Ritualibus; cavendum ne cuiquam infamia inuratur. 111

ART. 3.—*De dispensatione a lege bannorum.*

116. I. An et qua de causa concedi possit? 112
117. II. Ad quem pertineat eam concedere? 112
Quid, si quæ partes sint diversæ diœcesis? 113
118. III. Qua forma concedenda sit? Ordinarie scripto conceditur. 113

ART. 4.—*De obligatione quam fidelibus imponit bannorum promulgatio.*

119. Exsurgit obligatio revelandi impedimenta, quamprimum moraliter, et pro omnibus generatim. 114
120. I. *De iis qui impedimentum noverunt sub secreto:* Distinguendum est inter secretum promissum, et secretum commissum, quod est vel *confessionis*, vel *consilii*, vel *conversationis*. 114
121. II. *De iis qui revelare non possunt absque gravi damno:* Principium generale; applicatur variis casibus. 115

ART. 5.—*Quid agere debeant pastores quibus denuntiantur impedimenta.*

122. Ante omnia curet parochus ut veritatem aut falsitatem detegat. 116

Num. Pag.
Quid post factam sufficientem inquisitionem? 116
123. De *via intercessionis* : quid olim sancitum ; quid hodie ? 117

APPENDIX.—DE MATIMONIIS *conscientiæ.*

*124. Quænam eo nomine designentur : de matrimoniis ad *morganaticam.* 117
*I. Ex *jure canonico*, hæc matrimonia, licet valida, sunt ordinarie graviter illicita ; possunt tamen aliquando permitti, positis quibusdam conditionibus. 117
*II. Ex *jure civili* veteri irrita quoad effectus civiles, hodie nulli peculiari regulæ subjiciuntur. 118

CAP. III.—DE CONSENSU PARENTUM.

125. I. Pecant ordinarie filii qui nubunt sine consensu parentum. 218
Hinc irrita filiorum sponsalia inita absque consensu parentum. 118
Per se tamen non tenentur filii obedire parentibus, matrimonium præcipientibus. 118
126. II. Ex *jure naturali et divino*, certum est, contra Protestantes, valere hæc matrimonia. 119
127. III. Nil vetat dicere olim irrita fuisse ex *jure positivo* hæc matrimonia ; te nunc etiam pariter irrita fieri posse, si legitima potestas id decernat. 119

CAP. IV.—DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII CANONICIS.

128. Divisio capitis in quatuor articulos. 120
ART. 1.—*De impedimentis canonicis in genere.*
129. Impedimentorum notio, et divisio. 120

§ 1.—*An possit Ecclesia statuere impedimenta matrimonium dirimentia.*

130. Contra varios errores, adstruitur auctoritas Ecclesiæ I. *Ex illius praxi* 121
131. II. *Ex Concilio Tridentino*, et Const. *Auctorem fidei.* 124
132. III. *Ex ratione.* 125
133. Ostenditur hæc impedimenta directe irritare contractum naturalem. 126
Quatenus indirecte attingant sacramentum et contractum civilem. 128
134. Solvuntur objectiones. 128

§ 2.—*Quibusnam in Ecclesia competat jus statuendi impedimenta dirimentia.*

137. De S. Pontifice ; de Conciliis particularibus, et episcopis. 130
138. Potest consuetudo impedimentum dirimens inducere ; potest et abrogare. 131
Breviter exponitur quandonam id locum habeat. 131

§ 3.—*Quinam subjiciantur impedimentis canonicis.*

139. I. *De hæreticis.* Exposito quæstionis statu, indicatur duplex opinio. 132
Quid inter illas opiniones tenendum videatur ? 133
Quid olim ea de re vigeret in Galliis, et quid hodie tenendum ? 133

Num. Pag.
*140. II. *De infidelibus.* Non subjiciuntur directe impedimentis ecclesiasticis: possunt tamen *indirecte* per ea attingi. 133
*Applicatur decisio variis impedimentis in specie. 134

ART. 2.—*De impedimentis canonicis in specie.*

141. Quot sint, et quis ordo inter ea statuendus. 134

§ 1.—*De impedimento* AMENTIÆ.

142. Quatenus amentia sit impedimentum. 135
De surdis et mutis. 135

§ 2.—*De impedimento* ERRORIS.

143. 1° Error *circa personam* irritat matrimonium jure naturali: 136
2° Non vero *circa qualitates* aut *fortunam;* 136
Exceptis tamen tribus casibus. 137

§ 3.—*De impedimento* VIS *seu* METUS.

144. I. An et qualis metus irritet matrimonium. 137
Debet esse 1° gravis; 2° injustus; 138
3° In ordine ad matrimonium, saltem æquivalenter. 138
*145. Hinc 1° matrimonium metu initum non firmatur juramento. 139
*2° An ille qui metum intulit, teneatur stare contractui? 139
146. II. Quo jure metus irritet matrimonium. 139
Quid hoc ad praxim intersit. 140

§ 4.—*De impedimento* IMPOTENTIÆ *et* ÆTATIS.

147. Irritum est matrimonium ante pubertatem. 140
Impedimentum est juris positivi: ab episcopo proprie tolli non potest. 141

§ 5.—*De impedimento* LIGAMINIS.

148. Impedimentum oritur ex priori matrimonio. 141
Non potest novum matrimonium iniri, nisi constet de morte prioris conjugis. 141
Quid, si antea initum fuerit? 142

§ 6.—*De impedimento* VOTI.

149. Agitur de voto castitatis: quotuplex distinguatur. 142

PUNCT. 1.—*De voto solemni castitatis.*

150. I. In quo sita sit voti solemnitas: votum solemne differt a simplici ex sola institutione Ecclesiæ. 143
151. II. Non irritat matrimonium, nisi ex jure ecclesiastico. 144
In illo igitur dispensare potest Ecclesia. 144
*152. III. Quo jure dissolvat matrimonium ratum: exponuntur tres opiniones. 145
153. IV. An hodie in Gallia emittantur vota solemnia? 146

PUNCT. 2.—*De voto simplici castitatis.*

154. Huic adjungenda vota quædam affinia. 147
Hæc per se non sunt impedimentum dirimens. 148
Peccat, saltem ordinarie, qui post ea emissa matrimonium init. 148
Tenetur ea implere, quantum moraliter potest. 148
An ideo semper teneatur religionem ingredi? 149

§ 7.—*De impedimento* ORDINIS.

155. I. Est impedimentum, jure tantum ecclesiastico inductum. 150

Num. Pag.
*156. Utrum oriatur immediate a lege Ecclesiæ, an mediante voto? Solvuntur varii casus, 151
157. II. An et quatenus concedi possit dispensatio. 151

§ 8.—*De impedimento* COGNATIONIS.

158. Triplex cognatio distinguitur. 152
159. I. *Naturalis:* in ea distinguenda sunt stipes, linea gradus. 152
160. 1° Quomodo computentur gradus. 153
161. 2° Quo in gradu, et quo jure irritet matrimonium. 154
162. II. *Cognatio spiritualis*, orta ex baptismo, vel confirmatione, inducit impedimentum. 155
1. Quas inter personas ex Concilio Tridentino. 155
163. 2° Requiritur quoad baptizantem, et susceptores, 1. ut sint baptizati; 2. ut vere conferatur baptismus. 155
Quoad susceptores tantum, requiritur 1. baptismus solemnis; 2. intentio obeundi munus patrini; 3. sufficiens designatio. 155
164. 3° Cognatio spiritualis matrimonio superveniens impedit illius usum. 156
Excipiuntur casus necessitatis, ignorantiæ, fraudis. 157
165. III. *Cognatio legalis*, seu adoptio, quid sit et quotuplex. 157
Ex jure Romano, per Ecclesiam recepto, est impedimentum dirimens. 157
Hodie apud nos videtur habere vim impedimenti canonici. 158

§ 9.—*De impedimento* AFFINITATIS.

166. Quid sit, et unde oriatur. 158
167. An et quousque sit impedimentum dirimens. 159
168. II. Quo jure inductum sit illud impedimentum. 160
169. III. Quisnam sit effectus affinitatis matrimonio inito supervenientis. 160

§ 10.—*De impedimento* HONESTATIS PUBLICÆ.

170. Quid sit illud impedimentum. 161
I. Quatenus oriatur ex sponsalibus. 161
171. II. Quatenus ex matrimonio rato. 162
Quatenus ex matrimonio civili. 163
172. III. Quo jure inductum sit illud impedimentum. 163

§ 11.—*De impedimento* DISPARITATIS CULTUS.

173. I. De matrimoniis *fidelium cum infidelibus*. 1° Quamvis multis incommodis obnoxia, non sunt tamen jure naturali aut divino absolute prohibita. 163
2° Nec olim jure ecclesiastico: 164
3° Hodie omnino reprobantur, et sunt irrita. 164
174. II. De matrimoniis *catholicorum cum hæreticis*. 1° Licet generatim improbata, non sunt tamen de se absolute prohibita jure naturali aut divino. 164
175. 2° Ex jure ecclesiastico sunt prohibita, sed non invalida. 166
176. Cautiones adhibendæ, quando ex dispensatione permittuntur. 166
177. Quid agendum parocho, si deficiant illæ cautiones? 167
Quid post initum matrimonium? 168

§ 12.—*De impedimento* CONDITIONIS SERVILIS.

178. Servitus ignorata est impedimentum, sed juris duntaxat ecclesiastici. 168
De mortuis civiliter; remissive. 168

Num. Pag.

§ 13.—*De impedimento* RAPTUS.

179. Duplex distinguitur. I. De raptu *violentiæ;* quid sit? 169
Quid, si mulier rapiat virum? 169
Quid, si fiat tantum libidinis explendæ causa? 170
180. II. De raptu *seductionis;* non videtur impedimentum ex jure communi, sed ex consuetudine in Galliis recepta. 170

§ 14.—*De impedimento* CRIMINIS.

181. Undenam oriatur impedimentum, et quodnam sit illius motivum. 171
I. *De adulterio.* Est impedimentum, si conjungatur cum promissione matrimonii, aut illius attentatione. 171
Sed requiritur 1° *ex parte adulterii*, ut sit verum, formale ex utraque parte, et consummatum. 171
182. 2° *Ex parte promissionis*, requiritur, juxta omnes, ut sit vera promissio. 172
Juxta multos, ut sit absoluta; ab altero acceptata; non tamen ut sit mutua. 172
183. 3° *Quoad conjunctionem adulterii cum promissione*, utrumque concurrere debet, durante conjugio. 172
*Hinc solvuntur varii casus. 173
184. II. *De conjucidio.* Hoc nomine includitur viricidium. 173
Requiritur 1° ut fuerit reipsa peractum; 2° utroque conspirante; 3° ex intentione matrimonii, saltem ex una parte. 173
185. III. *De conjucidio cum alterio.* Sufficit ut hæc duo concurrant cum intentione matrimonii. 174
186. Ex solo jure ecclesiastico oritur illud impedimentum: quatenus in eo dispensetur. 174

§ 15.—*De impedimento* CLANDESTINITATIS.

187. Quid hodie intelligatur per matrimonium clandestinum. 175

PUNCT. 1.—*An semper irrita sint matrimonia clandestina.*

188. Non sunt irrita ex jure naturali aut divino: an ex jure ecclesiastico veteri, dubium; sed ex jure recentiori. 175

QUAEST. 1.—*An et quatenus matrimonia clandestina irrita sint ex jure communi ecclesiastico.*

189. Affertur decretum Concilii Tridentini; hujus motivum. 175
Requiritur ut fuerit promulgatum in singulis parochiis, vel saltem aliquo tempore observatum tanquam decretum Concilii. 176
Prorsus irritat matrimonium. 177
Nisi tamen excuset moralis impossibilitas. 177
Eos tantum attingit qui pertinent ad parochiam. 178
190. Quid ergo 1° de hæreticis qui degunt in parochia? 178
2° De iis qui recedunt e loco ubi viget lex Tridentina? 179
3° Vel qui eo advenium? 179

QUAEST. 2.—*An irrita sint nunc in Galliis matrimonia clandestina.*

191. Matrimonia mere civilia pro validis apud nos habent quidam diversis innixit principiis. 180
Statuitur irrita esse vi decreti Tridentini, apud nos sufficienter promulgati. 181

Num. Pag.
*192. SCHOLIUM.—De matrimoniis initis tempore perturbationis Gallicæ. 182

QUAEST. 3.—*An irrita sint matrimonia clandestina apud hæreticos.*

193. Status quæstionis: duplex opinio. 183
Videndum an efforma verint societatem distinctam, ante vel post promulgationem decreti. 184
*194. I. *De matrimoniis Hollandiæ.* Quatenus ad nos intersit declaratio Benedicti XIV. de iis matrimoniis. 185
* 1° Declarationis tenor; 2° hujus natura. 185
* 3° Quibus rationibus nitatur; 4° an applicari possit aliis regionibus? 185
* Concluditur valere matrimonium inter duas partes quarum una non subjicitur decreto Tridentino. 186
195. II. *De matrimoniis Protestantium in Gallia.* 1° Ante revocationem Edicti Nannetensis, habebantur ut valida. 186
2° Post illam revocationem, ut irrita. 187
3° Post edictum Ludovici XVI. et deinceps: cleri Gallicani reclamatio. 187
Duplex orta est opinio. 188
Quid probabilius, quid in praxi servandum? 188

PUNCT. 2.—*Quid requiratur ut matrimonium non sit clandestinum.*

196. Quinque hic expendenda occurrunt. 189

QUÆST. 1.—*Qualis praesentia parochi requiratur.*

197. Adesse debet ut testis authorizabilis. 189
Hinc 1° Valet matrimonium sine benedictione. 190
Hinc 2° Requiritur præsentia moralis: quid exigat hæc præsentia? 190
Hinc 3° Valet matrimonium celebratum a parocho in aliena parochia. 191

QUÆST. 2. *Quis sit proprius parochus in ordine ad matrimonium.*

198. Affertur decretum Concilii Tridentini. 191
I. *Ex jure communi*, proprius parochus est 1° parochus domicilii: 191
199. 2° Vel quasi-domicilii: 192
200. 3° Vel simplicis habitationis: 193
201. 4° Non parochus originis; 194
202. 5° Vel qualiscumque loci per quem transeunt contrahentes. 194
203. Quid de matrimonio vagorum? 194
204. II. Ex disciplina Ecclesiæ Gallicanæ, quid olim sancitum? quid hodie tenendum? Regulariter ad episcopum pertinet determinare cuinam juri standum sit. 195
Quid statuerint varii episcopi et quid in praxi servandum? 196

QUAEST. 3. *Quaenam debeant esse dotes parochi ut possit matrimonio assistere.*

*205. I. *De parocho non sacerdote.* Valet matrimonium ut contractus; dubium an valeat ut sacramentum. 197
Tenetur delegare sacerdotem. 197
*206. II. *De parocho excommunicato aut suspenso.* Si sit toleratus, nulla difficultas: non toleratus potest 1° assistere matrimonio; 197

Num. Pag.
*2° Et dare benedictionem nuptialem; 197
*3° Item probabilius dare alteri licentiam assistendi. 197
*Peccat tamen assistendo, vel dando benedictionem. 197
207. III *De sacerdote cui interdictum est ne matrimonio assistat.* Si interdictum latum sit a S. Pontifice, videndum an sit munitum decreto irritanti. 198
Si ab episcopo erga parochum, valebit matrimonium: quid si erga simplicem sacerdotem. 198
208. IV. *De parocho intruso.* Quis intelligatur. 1° Si nec adsit error communis, nec titulus coloratus, irritum erit matrimonium: 198
2° Si utrumque concurrat, valebit. 199
3° Si desit error communis, irritum erit matrimonium; 199
4° Item, si desit titulus coloratus. 199

QUAEST. 4. *De iis a quibus suppleri potest parochus.*

209. I. *De ordinario.* Eo nomine designatur episcopus, aut ejus vicarii generales: potest certe matrimonio assistere. 199
Item delegare sacerdotem, inconsulto aut invito parocho; plerumque tamen non expedit. 199
210. II. *De delegato generatim.* 1° Quinam possint delegare? 200
2° Quis delegari possit? Solus sacerdos. 200
211. 3° Qualis debeat esse delegatio? 1. Expressa: an et quatenus specialis? 200
2. Intimata delegato; 3. acceptata; 4. nec revocata. 201
212. 4° Quousque extendatur delegatio? 201
213. III. *De vicario.* Quid possint vicarii, attento usu magis communiter recepto? 202
214. SCHOLIUM.—Semper curandum ut de matrimonio constare possit. 203

QUÆST. 5.—*De testibus qui matrimonio assistere debent.*

215. 1° Sufficiunt duo aut tres; 2° nec requiritur ut sint omni exceptione majores. 203
3° Concurre debet testium et parochi præsentia. 204

§ 16.—*De impedimentis canonicis* PROHIBENTIBUS.

216. Quatuor sunt: de duobus tantum dicendum superest.
I. *De Ecclesiæ vetito:* quid sensu stricto intelligatur. 204
217. II. De impedimento *temporis.* 205

ART. 3.—*De dispensatione ab impedimentis canonicis.*

218. Dispensatio concedi potest in impedimentis juris ecclesiastici. 205

1.—*Quis possit in Ecclesia dispensare ab impedimentis matrimonii.*

PUNCT. 1.—*De S. Pontifice.*

219. Inconcussa est illius potestas. 206

PUNCT. 2.—*De episcopis.*

220. Duæ exstant opiniones: plura sigillatim expendenda. 206
221. 1° *An possint episcopi* JURE PROPRIO *generatim dispensare?* Statuitur opinio negans: 1° ex principiis regiminis ecclesiastici; 207
*2° Ex Ecclesiæ usu et disciplina, 208
3° Ex auctoritate SS. Pontificum. 209
222. An agitur potestas episcoporum fuerit per reservationem coarctata? 209

Num. Pag.

Quanda dispensant, an eorum potestas dici debeat ordinaria, an delegata? 209

223. IIo *De variis casibus specialibus in quibus dispensant episcopi* VI CONSUETUDINIS UNIVERSALITER RECEPTÆ. 1° *In impedimentis prohibentibus :* adsunt tamen quædam restrictiones, speciatim quoad votum castitatis perpetuæ, et votum ingrediendi religionem. 210

224. 2° *In iis quæ impediunt a petitione debiti :* afferenda quædam restrictio, ubi agitur de voto. 210

225. 3° *In matrimonio cum impedimento dirimenti jam inito :* sed variæ requiruntur conditiones, quas non exigunt cum eodem rigore auctores nostri. 210

226. 4° *In casu dubii.* 211

227. 5° *In casu urgentissimæ necessitatis*, quoad impedimentum occultum ; 211

Non vero, si impedimentum sit publicum. 212

228. 6° *In casu dispensationis jam obtentæ, sed irritæ*, jus episcopo tribuunt quidam, sed non satis merito. 213

229. IIIo *An et quatenus dispensare possint episcopi* VI CONSUETUDINIS SUARUM SEDIUM ? Variæ olim aderant in Galliæ diœcesibus consuetudines, quæ videntur vim habuisse, attentis *facto* et *jure*. 213

230. Sed *post Concordatum anni* 1801, non pauci tenent non amplius vigere has consuetudines. 214

Alii eas adhuc vigere propugnant. 215

Quidam sentiunt standum esse praxi a tempore Concordati servatæ. 216

*231. IVo *Quid possint episcopi* VI INDULTORUM SEDIS APOSTOLICÆ. 1° Attente consideranda indulti verba. De illis verbis : *In tertio et quarto simplici et mixto.* 216

*Quid per hæc : In matrimoniis *nulliter initis ?* includunturne matrimonia civilia ? 216

*2° Quænam natura potestatis quam obtinet episcopus vi indulti. 216

* An possit eam communicare vicariis generalibus ? 216

PUNCT. 3. — *An alii, præter S. Pontificem et episcopos, possint dispensare ab impedimentis matrimonii ?*

232. Movetur quæstio I. De metropolitano ; II. De vicariis generalibus ; III. De officiali ; 217

IV. De capitulo, sede vacante. 217

§ 2. — *De modo obtinendi dispensationes a S. Sede.*

233. I. QUINAM *postulare debeant.* 1° An pro utroque contrahente ; 2° an ex contrahentium mandato ; 3° cujus Expensis ? 218

234. II. ADQUEM *dirigenda sit dispensationis petitio.* Ad Pœnitentiariam recurritur pro impedimentis occultis ; ad Datariam pro publicis. 218

Quandonam impedimentum censeatur occultum. 219

235. III. QUA FORMA *scribendum ad petendam dispensationem* 220

236. IV. QUÆNAM SINT EXPRIMENDA *in libello supplici.* Tres afferuntur regulæ. 221

237. *Reg.* Ia, ut explicetur *quale sit vinculum* quod tollendum est. Quædam observantur circa varia impedimenta. 221

238. *Reg.* IIa, ut rite proponatur *causa finalis.* Requiritur causa : quid de dispensationibus *sine causa ?* 223

Num. Pag
239. 1° *Quænam causæ* allegari soleant ? 223
240. 2° *Quo tempore* verificari debeant ? 223
1. Quando Romam scribitur : non absolute requiritur veritas causæ. 224
241. 2. Quando Romæ conceditur dispensatio : probabilius requiritur. 225
242. 3. Quando dispensatio fulminatur : certum est requiri. 225
243. 4. Quando dispensatione utuntur impetrantes ; satis probabile est non requiri. 225
244. 3° *Quo sensu* et quomodo verificari debeant causæ. 1. De causa falsa quæ creditur vera. 226
2. De causa vera quæ creditur falsa. 226
3. De causa fraudulenter posita. 227
245. *Reg* III^a, ut exprimatur *quod exigit jus et stylus curiæ Romanæ*. 1° Inopia sponsorum. 227
246. 2° Matrimonium jam initum. 227
247. 3° Commercium carnale illicitum. Si sit ipsa origo impedimenti, nulla difficultas ; 228
Item, si allegetur ut causa dispensationis. 228
Extra hos casus, de quonam commercio agatur ? 228
1. Si habitum fuerit ante petitam dispensationem, exprimendum est. 229
248. 2. Si incœperit post petitam et ante fulminatam dispensationem, hæc valide fulminari nequit. 229
249. 3. Si habitum ante petitionem et in ea expressum, postea iteratum fuerit ante fulminationem, quid ? 229
250. 4. Si habeatur post fulminationem dispensationis, hæc non efficitur invalida. 2

§ 3.—*De modo exsequendi dispensationes S. Sedis.*

251. I. *Ad quem pertineat dispensationum exsecutio.* 1° *De rescripto Pœnitentiariæ :* pertinet ad confessarium. 230
252. 2° *De rescripto Datariæ :* dirigitur ad officialem. 231
*An exsequi possit episcopus, aut vicarius generalis satis dubium. 231
*253. An vicarius, aut officialis capitularis exsequi possit dispensationem ante mortem episcopi obtentam ? 231
*254. Quid, si adsit error circa diœcesim ? 232
*255. Quid, si contrahentes sint e duabus diœcesibus ? 232
*256. An et quatenus officialis delegatus possit vices suas alteri committere ? 232
257. II. *Quid agere debeat delegatus ut dispensationem exsecutioni demandet.* Considerare debet varias rescripti clausulas. 232
1° De informatione circa veritatem precum. 232
258. 2° De præmittenda confessione, et quali, ubi agitur de rescripto Pœnitentiariæ. 234
259. 3° Quid, si error in rescripto irrepserit circa nomen oratoris ? vel circa impedimentum, vel causas ? 234
260. 4° An rescriptum S. Pontificis exsecutioni mandari possit post illius mortem ? 235
261. 5° Utrum dispensationis mentio scripto consignanda sit ? 235

§ 4.—*De modo obtinendi dispensationes ab episcopo, et eas exsequendi.*

262. I. An omnia exprimenda pariter ac ubi obtinenda est a S. Pontifice ? 235

Num. Pag.
263. II. Si contrahentes sint e duabus diœcesibus, an requiratur dispensatio utriusque episcopi? 236
264. III. A. quo et quomodo fulminandæ dispensationes episcopales. 237

ART. 4.—*De ratione agendi tenenda quando impedimentum canonicum non fuit per dispensationem sublatum.*

265. Quatuor hic expendenda. 237

§ 1.—*An sponsi ligati impedimento possint aliquando matrimonium inire, non obtenta prius dispensatione.*

266. I. Inire matrimonium cum impedimento, nec obtenta dispensatione, est per se peccatum grave. 237
267. II. Ipsa necessitas nec impedimentum tollit, saltem generatim loquendo; 238
Nec licitum reddit matrimonium sine dispensatione. 239
268. III. Non licet inire matrimonium cum impedimento dubio aut probabili. 239

§ 2.—*An conjuges qui certitudinem habent aut dubium de nullitate sui matrimonii, possint petere aut reddere debitum conjugale.*

269. Tres exstant decisiones: Innocentii III. Lucii III. et Cœlestini III. 240
270. I. De iis *qui certi sunt* de nullitate matrimonii: nec petere nec reddere possunt. 241
Regulæ prudentiæ tunc servandæ. 241
271. II. Quando *unus tantum dubitat:* potest reddere, non vero petere. 242
272. III. Quando *uterque dubitat*, neuter potest petere, nec reddere. 243
273. An conjux dubitans debeat alterum monere? 243

§ 3.—*Utrum et quomodo conjuges qui advertunt sui matrimonii nullitatem curare debeant ut revalidetur.*

274. Ordinarie expedit revalidare matrimonium. 244
275. Io Quando matrimonium irritum fuit *ex defectu consensus.* 1o Si defectus sit utrique conjugi notus, uterque renovare debet consensum; 244
2o Si uni tantum notus, satis est, absolute loquendo, ut consentiat qui non consensit, dummodo cognoscat prioris matrimonii nullitatem, et alter consensum suum non revocaverit. 245
276. IIo Quando matrimonium irritum fuit *ob clandestinitatem.* Convalidari potest 1o absque dispensatione. 245
Quid, si una pars renuat se sistere coram parocho? 246
277. 2o Vel cum dispensatione. 246
278. Quid si matrimonium *caruerit benedictione nuptiali*, nec tamen irritum fuerit? nempe de matrimoniis 1. infidelium; 2. hæreticorum; 3. eorum qui non potuerunt recurrere ad parochum. 247
279. IIIo Quando matrimonium irritum fuit *ob aliud impedimentum.* Requiritur dispensatio, vel simplex, vel *in radice.* 248
I. Cum *dispensatione simplici.* 1o Regulariter requiritur renovatio consensus utriusque conjugis. 248
Et quidem prius certiorati de nullitate prioris matrimonii, saltem æquivalenter. 249
Quid exigat ea de re S. Pœnitentiaria? 249

Num. Pag.
280. 2o Necesse non est ut consensus renovetur coram parocho, nisi vel omissa fuerit ea formalitas, vel impedimentum sit publicum. 250
281. An saltem denuo recipienda sit benedictio nuptialis? 251
282. II. Cum *dispensatione in radice*. 1o Quid sit illa dispensatio, qualem in præsenti spectamus. 252
*Quinam varii illius dispensationes respectus. 252
283. 2o An Ecclesiæ possit concedere dispensationes in radice? Asseritur potestas Ecclesiæ et S. Pontificis. 253
Hæc potestas non competit episcopis. 254
Gravissima requiritur causa. 254
Non extenditur nisi ad impedimenta juris ecclesiastici. 255
284. 3o Quibusnam sub conditionibus concedantur hujusmodi dispensationes? Requiritur 1. species externa matrimonii: 255
2o Ut constet utriusque consensum perseverare. 256
285. 4o Quid præstandum, quando obtenta fuit dispensatio in radice? 256

§ 4. — *Quid agere debeat confessarius aut parochus, quando inter nupturos vel nuptos detegunt impedimentum.*

286. I. De officio *Confessarii*. An teneatur pœnitentem monere? 257
287. II. De officio *parochi*. 1o Si impedimentum sit partibus notum. 258
288. 2o Si sit ipsis ignotum, sive ante, sive post matrimonium initum. 259
Aliquando non omittenda, sed differenda tantum monitio. 260

CAP. V. — DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII CIVILIBUS.

289. Quatuor hic expendenda sunt. 260

ART. 1. — *An possit princeps secularis statuere impedimenta matrimonium dirimentia.*

290. Statu quæstionis exposito. 260
Quatuor proferuntur opiniones. 261
291. 1a OPINIO denegat auctoritatem principibus, *attenta matrimonii natura*: hujus argumenta. 261
Quibusnam argumentis impugnetur. 262
292. IIa OPINIO denegat *ex institutione sacramenti*: quomodo adstruatur et impugnetur. 263
293. IIIa OPINIO denegat *ex reservatione Ecclesiæ*. 264
294. IVa OPINIO tribuit absolute hanc potestatem principibus. I. *Argumenta sua educit*, 1o Ex iis quæ allata sunt adversus tres priores opiniones. 266
295. 2o Ex praxi principum per plura secula. 266
Quid huic praxi reponant aliarum opinionum patroni. 267
296. II. *Impugnatur* pluribus argumentis, quorum vim elidere conantur ejus patroni: nempe 1o Ex auctoritate S. Thomæ. 267
297. 2 Ex Concilio Tridentino. 268
298. 3o Ex auctoritate SS. Pontificum. 269
299. 4o Ex variis responsis Congregationum Romanarum. 271
300. 5o Ex auctoritate theologorum. 272
301. 6o Ex ratione, seu ex incommodis. 272

Num. Pag.

ART. 2.—*An legislator in Galliis voluerit statuere impedimenta stricte matrimonium dirimentia.*

*302. Status quæstionis: duplex opinio. 274
*303. I. Qui *affirmant*, argunt 1° Ex textu legis. 274
*304. 2° Ex discussionibus Codicis civilis. 274
*305 3° Ex auctoritate jurisperitorum. 275
*306. 4° Ex principiis quibus imbutus fuisse apparet legislator, 1. circa unitatem matrimonii; 2. circa legislationem connubialem; 3. circa jus principum in matrimonia. 275
*307. 2° Ex confutatione sententiæ oppositæ: lex restringi nequit 1. ad effectus civiles: 2. nec ad forum externum. 275
*308. Multi aliter ratiocinantur de impedimento ex morte civili. 276
*309. II. Qui *negant*, arguunt et ipsi 1° Ex discussionibus Codicis. 276
*310. 2° Ex impedimento mortis civilis. 277
*311. 3° Ex dispositionibus legis circa divortium. 277
*4° Ex natura impedimentorum. 277
*312. Cæterum, etiam admissa principis voluntate, quidam dubitant an juste voluerit. 277
313. Quænam sit natura nullitatum. 1° Non sunt pleni juris, excepto casu mortis civilis. 277
314. 2° Sunt vel absolutæ, vel relativæ: istarum natura duplici modo explicatur. 278

ART. 3.—*Quænam sint impedimenta civilia apud nos admissa.*

*315. Breviter percurruntur juxta ordinem impedimentorum canonicorum. 280
*I. Amentia. II. Error. III. Vis, seu metus. 280
*316. IV. impotentia. 280
*317. V. Ligamen. VI. Votum. VII. Ordo. 280
*318. VIII. et IX. Cognatio et affinitas. X. Honestas publica. 281
*319. XI. Disparitas cultus. XII. Conditio. 281
*320. XIII. Raptus. XIV. Crimen. XV. Clandestinitas. 282
321. XIV. Defectus consensus parentum. 282
322. XVII. Defectus præsentiæ officiarii civilis. 283
323. Requiritur insuper 1° promulgatio bannorum: non tamen ordinarie sub pœna nullitatis; 284
324 2° Celebratio publica: plura includit quorum omissio non semper irritat matrimonium. 284
Hinc non irritantur matrimonia *secreta*, vel *in extremis*. 286
325. Quædam adhuc præscribuntur ab officiario civili peragenda, sed non sub pœna nullitatis. 286
326. SCHOLIUM.—I. A quibusnam et quatenus invocari possint variæ nullitates per impedimenta civilia inductæ? 287
1° De nullitatibus *absolutis*. 287
2° De nullitatibus relativis. 288
327. II. De dispensatione ab impedimentis civilibus. 289

ART. 4.—*Quid in praxi agendum quoad impedimenta civilia.*

328. Unde oriatur difficultas. 289
I. Si matrimonium *nondum sit ullo modo celebratum*. 1° Fideles debent coram officiario civili se sistere. 290
2° Antea non debent ad matrimonium coram Ecclesia admitti; 290
Saltem generatim loquendo. 291

Num. Pag.
329. II. Si matrimonium sit celebratum *civiliter tantum*, sed *cum* aliquo *impedimento civili*. 1o Si nullitas sit irreparabilis aut nondum purgata, supersedeat sacerdos. 291
2o Si sit jam purgata, potest ministerium suum præbere. 292
330. III. Si matrimonium sit celebratum *coram Ecclesia*, et *non civiliter*. 1o Generatim curandum ut civiliter ineatur. 292
2o Si iniri non possit, quid in praxi servandum? 292
3o Non permittendum est novum matrimonium. 293
331. IV. Si matrimonium celebratum sit *prius civiliter cum una persona* et *postea religiose cum altera;* vel vicissim. In praxi quid servandum? 293
332. V. Si matrimonium sit celebratum *primum civiliter cum una persona, subinde religiose et civiliter cum altera*, aut vice versa: Idem statuendum ac in casu præcedenti. 293
333. VI. Si matrimonium celebratum sit *in utroque foro*, sed *cum impedimento civili:* solutio pendet a specie nullitatis. 294
334. Concluditur quodnam sit discrimen practicum inter varias opiniones de impedimentis civilibus. 294

FINIS INDICIS.

No. 05445

When Duplicate of this book is required, it will only be necessary to send us the number as above.

264.01
C316

Carriere, Joseph

De Matrimonio

DATE	ISSUED TO

264.01
C316

Can. Law!